B 1,364,477

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

EL VALENCIANO CLÁSICO

COLECCIÓN DE OBRAS SELECTAS DE LA LITERATURA VALENCIANA

PUBLICADAS POR LA SOCIEDAD VALENCIANA DE BIBLIÓFILOS

BAJO LA DIRECCIÓN DE

D. JOSÉ RUIZ DE LIHORY

Y

D. MANUEL SANCHIS GUARNER

VALENCIA
IMPRENTA DE MANUEL SOLER
1921

Digitized by Google

878
S
G 3
185

Digitized by Google

GAI SALUSTII CRISPI

CATILINA IUGURTHA HISTORIARUM RELIQUIÆ.

INCERTORUM AUCTORUM

EPISTOLÆ AD CÆSAREM INVECTIVÆ DECLAMATIO

IN CATILINAM.

RECENSUIT ADNOTATIONE CRITICA

INDICIBUS HISTORICIS ET GRAMMATICIS INSTRUXIT

FR. DOR. GERLACH.

ACCEDUNT HISTORICORUM VETERUM ROMANORUM RELIQUIÆ

A CAR. LUD. ROTH COLLECTÆ ET DISPOSITÆ.

BEROLINI

APUD A. ASHER ET SOCIOS.

MDCCCLII.

Digitized by Google

C. Sallustius Crispus, C

GAI SALUSTII CRISPI

CATILINA IUGURTHA HISTORIARUM RELIQUIÆ.

INCERTORUM AUCTORUM

EPISTOLÆ AD CÆSAREM INVECTIVÆ DECLAMATIO

IN CATILINAM.

EDIDIT

FR. DOR. GERLACH.

ACCEDUNT HISTORICORUM VETERUM ROMANORUM RELIQUIÆ

A CAR. LUD. ROTH COLLECTÆ ET DISPOSITÆ.

VOL. I.

BEROLINI

APUD A. ASHER ET SOCIOS.

MDCCCLII.

Digitized by Google

878
S
G371
1862

TYPIS IOANNIS WIELANDI TYP. ACAD. BASILIENSIS.

VIRO DOCTISSIMO ET ADMODUM REVERENDO

THOMÆ GAISFORD

ÆDIS CHRISTI DECANO IN ACADEMIA OXONIENSI
GRÆCÆ LINGUÆ PROFESSORI REGIO

D. D. D.

AUCTOR.

Tuo honori tuisque meritis, vir clarissime, hanc novam Salustii editionem dedicavi, ut summæ meæ adversus Te reverentiæ aliquod exstaret monumentum. Cum enim paucis abhinc annis non minus fama ingenii clarus quam eruditionis atque doctrinæ laude nobilitatus, Germania peragrata Helvetiam ipsamque Basiliam adiisses, coram nobis probasti, quantum ornatum ingenio scientiæque afferat animi candor morumque elegantia. Tu quidem in clarissima Musarum sede collocatus, toti fere Britanniæ ad antiquitatis studia novo ardore suscipienda colendaque facem prætulisti, Te otii litterati auctorem atque suasorem tamquam patrem veneratur studiosa iuventus, Tuum nomen doctissimi labores æternæ gloriæ commendarunt. Sed tantam illam dignitatem atque amplitudinem non superbia et arrogantia, sed animi moderatione atque

pudore tueris. Itaque quæ honoris insignia alii prima habuerunt, ad quæ summis laboribus atque periculis contenderunt, ea Tu despicere et pro nihilo putare videris. Illi enim laudis studio trahuntur, sed tanta Tua est modestia tantaque comitate condita gravitas, ut laudum Tuarum præconia prohibeas et novis usque meritis et beneficiis animos hominum Tibi concilies atque devincias. Ea vis humanitatis est, quem præstantissimum studiorum antiquitatis fructum percipiunt, qui casta mente numen Musarum adorant. Quodsi igitur humanitatis præcipua pars est honestissimum quemque complecti atque ita a minoribus amari, ut simul a principibus diligare, profecto Tua felicitas summis laudibus celebranda est, qui in omni genere doctrinæ et litterarum studio versatus, id assecutus es, ut Tuum nomen omnibus carum sit, nullam habeat invidiam.

Sit igitur Tua vita, quam in præclaris laboribus, in optimis studiis, in bene faciendo, in bene merendo consumis, omnibus bonis cumulata, quæ viris honestis et sapientibus contingere possunt. Cuius quidem voti ut me compotem faciat, Deum optumum maxumum omnibus precibus oro et obsecro.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Quid in hac nova Salustii editione secutus sim et quæ mei consilii ratio fuerit, paucis exponam. Id igitur potissimum mihi fuit propositum ut, cum per hos proximos viginti annos multorum virorum doctorum studia in hoc scriptore edendo elaborarint, et satis longum temporis spatium elapsum sit, ex quo primam eius editionem evulgavi, Salustium iterum iterumque retractatum ederem quam emendatissimum. Quod quidem consilium ut prospere cederet, non modo varias librorum manu scriptorum lectiones sæpius inter se contuli et comparavi, sed etiam interpretum coniecturas et explicationes denuo excussi, ut quod maxime probabile esset reciperem et, in quantum fieri posset, integritatem orationis Salustianæ ubique restituerem. Et præcipuam quidem curam in Codice Basiliensi primo diligentius examinando adhibui eiusque laboris fructum cepi maximum, quod et verborum ordo, qui multis locis turbatus fuerat, restitutus est, et novæ lectiones satis multæ inventæ sunt, quæ adhuc aciem oculorum fugerant.

Digitized by Google

Præterea multos novos libros inspexi, quos enumerare longum est, neque operæ pretium duco, quippe ex quibus nihil novi adiumenti ad emendandum Salustium accesserit. Id solum lucri fecimus, ut quod iam olim suspicati eramus, novis utique argumentis confirmaretur, Codicem Basiliensem primum omnium librorum manu scriptorum longe esse præstantissimum. Sed ut certa via atque ratione opus institueretur, primum quæ de Salustii vita et scriptis constanti antiquitatis memoria et certissimis veterum scriptorum testimoniis satis explorata videbantur, breviter exposui omissis omnibus, quæ meris suspicionibus et coniecturis continentur. Importunis enim et audacibus argutiis, quibus multi interpretes scriptores magis onerarunt quam illustrarunt, finis aliquando ponendus est. Contra melius visum iudicia veterum Grammaticorum intexere, quippe ex quibus et certissimam normam atque regulam eruere possis, ad quam omnis de Salustiana oratione disquisitio dirigatur, et optime intelligas, quem dignitatis locum scriptor ille in litteris Latinis tenuerit. His præmissis omnibusque, quæ ad rectius de Salustio faciendum iudicium pertinere videbantur, diligenter expositis, ipsos auctoris libros, Catilinam, Iugurtham, atque Orationes et Epistolas ex Historiarum libris excerptas emendatius edidi. Sed ne quid desideraretur, quod aut ad Salustii orationem illustrandam aut ad eius ingenium moresque explanandos facere videretur, Epistolas quas Salustius ad Cæsarem senem de ordinanda re publica scripsisse fertur, ad exemplar Vaticanum expressas, præterea Invectivas Ciceronis et Salustii, quæ dicuntur, ipsamque Porcii Latronis, ut falso perhibent, Declamationem in Catilinam iterum typis exscribendam curavi.

Digitized by Google

Sequuntur minora Salustii fragmenta, denuo examinata, multis locis emendata et passim melius disposita. Ad calcem libri addere placuit veterum Historicorum Romanorum, qui inde ab antiquissimis temporibus usque ad Augusti ætatem floruere, reliquias a Carolo Ludovico Rothio, viro mihi amicissimo et communitate studiorum conjunctissimo, qui in nova hac Salustii editione paranda utilissimam operam mihi commodavit, collectas, auctas, emendatas et apte dispositas, ita ut omnia veteris Historiæ Romanæ monumenta inde a Q. Fabio Pictore usque ad Titum Livium modicum corpus conficiant, utilissimum harum litterarum cultoribus instrumentum, cuius ope de Historiæ Romanæ initiis et incrementis rectius iudicium facere possint. In Adnotatione Critica omnia loca diligentius examinavi, ubi lectio dubia esse videbatur, sive ab auctoritate Codicis Basiliensis recedendum locusque coniectura sanandus fuit, sive reliquorum interpretum inventa impugnanda et reiicienda esse putabam. Qua quidem in re hoc instituto usus sum, ut integra Codicis Basiliensis lectio cum notabiliori optimi cuiusque libri discrepantia exhiberetur. Sed quam habuerim regulam, qua in oratione Salustii vera et falsa iudicarentur, optime ex commentario de proprietate stili Salustiani intelligetur, in quo toto eius dicendi genere examinato, omnia collegi, quæ ad Salustianæ elocutionis rationem explanandam facere videbantur. Accedunt denique Indices, primum historicus, rerum et nominum, qui memoriam rerum gestarum retineret; tum grammaticus, quo verborum copia, collocatio et conformatio, sententiarum ornamenta et dictionum ratio contineretur. Cum enim de singulis verbis eorumque structuris plurima obser-

vata, notata atque disputata sint, hæc omnia in unum collata atque in uno conspectu posita expressam imaginem dictionis Salustianæ exhibebunt. Ita et Historicorum et Grammaticorum rationibus consultum volui et gratum iis me fecisse puto quod, cum in dies commentariorum ambitus crescat, ad ipsos rerum fontes eos reduxerim, totumque opus ad compendium redegerim, ut quorum ingenia aliorum iudiciis, interpretationibus, animadversionibus, digressionibus fere obruebantur, ii suo quisque uterentur iudicio et quid in quaque re optimum esset, ipsi statuerent. Tardi enim ingenii est rivulos consectari, ipsos rerum fontes non videre.

Digitized by Google

DE G. SALUSTII CRISPI VITA ET SCRIPTIS.

G. Salustius Crispus Amiterni in Sabinis natus est, G. Mario L. Cornelio Cinna Coss. a. U. C. DCLXVIII. a. Chr. n. LXXXVI. Testis Eusebius Chron. ad annum MDCCCCXXXI. *Σαλούστιος ἐγεννήθη καλάνδαις ὀκτωβρίαις* et Anonymus *ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ· Σύλλας τὰς Ἀθήνας ἐξεπολιόρκησε, Κρίσπος Σαλούστιος ἐγεννήθη.* cfr. Fabric. Biblioth. Lat. Ed. Ern. T. I. p. 237. Patre plebeio illum ortum esse satis documenti est, quod postea tribunus plebis factus est. Ascon. Pedian. in Mil. p. 38. Bait. Neque repugnat quod Dio Cassius XL. 63. illum in numerum *τῶν πάνυ γενναίων* retulisse videtur. Primum enim hoc non expressis verbis dicit auctor, cuius hæc verba leguntur: *ἐκείνῳ δὲ (Ἀππίῳ Κλαυδίῳ) οὐκ ἀντέπραξε (ὁ Πίσων) πάντας μὲν τοὺς ἐκ τῶν ἀπελευθέρων, συχνοὺς δὲ καὶ τῶν πάνυ γενναίων, ἄλλους τε καὶ τὸν Κρίσπον τὸν Σαλούστιον τὸν τὴν ἱστορίαν συγγράψαντα, ἀπελάσαντι ἐκ τοῦ συνεδρίου.* Parum accurate enim Dionem esse locutum, iam inde intelligitur, quod, ut fidem verbis faceret, Salustium eo quidem tempore historicum appellavit, qui tum ne consilium quidem historiæ scribendæ cepisset. Sed etiamsi Salustium a Dione *τοῖς γενναίοις* adnumeratum fuisse statuimus, hoc vocabulo non patricii, immo ne nobiles quidem, quamquam et multæ plebeiæ familiæ nobiles fuerunt, sed viri clari atque illustres significati esse videntur. Salustii quidem nepotem, qui apud Augustum multum gratia valebat, Tacitus

Annal. III. 30. equestri loco ortum dicit, quo satis fit manifestum, illius maiores altiorem dignitatis locum non obtinuisse. Sed quo tempore ille Romam migraverit, quibus artium liberalium magistris usus fuerit, quomodo pueritiam et adolescentiam egerit, plane ignoratur, nisi quod auctor declamationis, cui Ciceronis nomen præscriptum est, satis aperte fœda eius vitia incusat, primum initio: „neque quicquam tam obscenum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas sua respondeat.“ et c. 7: „neque tu si qua in pueritia peccasti, exsequar, ne parentem tuum videar accusare — sed qualem adolescentiam egeris. Hac enim demonstrata facile intelligetur, quam petulanti pueritia, quam impudicus et procax adoleveris. Posteaquam immensæ gulæ impudicissimi corporis quæstus sufficere non potuit, et ætas tua iam ad ea patienda, quæ alteri facere collibuisset, exoleverat, cupiditatibus infinitis efferebaris, ut quæ ipse corpori tuo turpia non duxisses, in aliis experireris.“ Quæ quidem declamatio quamvis sit commenticia, auctor tamen certam quandam probabilitatem secutus esse videtur. Ne tamen isti conviciatori nimium tribuamus, monet altera ista declamatio, cuius auctorem ipsum Sallustium fuisse iudicavit Quinctilianus, qui tot probra in Ciceronem effudit ut ipsius Caleni procacitatem apud Dionem XLVI. 1—28. et verborum contumelias superaverit.

Ibi enim fere eadem ipsi Ciceroni exprobrantur. c. 1. „An non ita a pueritia vixisti, ut nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alteri collibuisset? Scilicet istam immoderatam eloquentiam apud M. Pisonem non pudicitiæ iactura perdidicisti? c. 2. filia patris pellex. 3. cuius nulla pars corporis a turpitudine vacat?“ ita ut illi declamationum scriptores, nisi idem fuit Didymus, quem Diomedes nominat, ex eodem μυροθηκίῳ et ex iisdem arculis pigmenta sumpsisse videantur. Argumenta firma ad probandum desunt, sed Cicero in meliore causa est, Sallustii exstimationem oppugnant quæ Aulus Gellius Noct. Att. XVII. 18. memoriæ prodidit: M. Varro in litteris atque in vita fide homo multa et gravis, in libro quem inscripsit *Pius aut de Pace*, C. Sallustium scriptorem seriæ illius et severæ orationis, in cuius historia notiones censorias fieri et exerceri videmus, in adulterio deprehensum ab Annio Milone loris bene cæsum dicit et cum dedisset pecuniam, dimissum.“ Quocum Servius consentit ad Virg. Aen. VI. 612. *Quique ab adulterium cæsi*

Digitized by Google

etc.: „Si revera *cæsi*, Salustium significat, quem Milo deprehensum sub servi habitu verberavit in adulterio suæ uxoris Faustæ, filiæ Syllæ.“ cfr. Acron ad Hor. S. 1. 2. 41. *Ille flagellis cæsus.* „Hoc de C. Crispo Salustio dicitur, qui deprehensus ab Annio Milone in adulterio cum uxore Fausta, Sullæ filia, flagellis cæsus esse dicitur, ut refert Asconius in eius vita.“ ita ut alter non minus gravis tanti flagitii testis Asconius accedat. Immo Salustius ipse, etiamsi prioris vitæ probra non ingenue confessus est, tamen non plane dissimulare potuisse videtur; detrimentum quidem existimationis se fecisse non abnegat. cfr. Cat. c. 3. „Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebat. Quæ tametsi animus aspernabatur, insolens malarum artium, tamen inter tanta vitia imbecilla ætas ambitione corrupta tenebatur; ac me, cum ab reliquorum malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eadem, qua ceteros fama atque invidia vexabat c. 4. Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit etc.“ Sed hæc ad eam ætatem pertinent, qua primum ad rem publicam accessit, ita ut parum recte faciant, qui his argumentis etiam illius pueritiam et adolescentiam infamare velint. Mox et odio nobilitatis, ut videtur, et ira et dolore incensus, cum post quæsturam tribunus plebis factus esset, Clodio in via Appia interfecto, simul cum Q. Pompeio et T. Munatio Planco inimicissimas conciones de Milone habebat, magnamque invidiam etiam Ciceroni faciebat, quod Milonem tanto studio defenderet. Dixerunt enim illi, manu Milonis occisum esse Clodium, sed consilio maioris alicuius; iidemque Cn. Pompeium ad populum produxerunt, et ab eo quæsiverunt, num ad eum delatum esset illud quoque indicium, suæ vitæ insidiari Milonem. Sed postea Pompeius et Salustius in suspicione fuerunt, in gratiam redisse cum Cicerone et Milone. cfr. Ascon. in Milon. p. 38. 49. 57. Ed. Bait. Mox, duobus annis post, cum ab Appio Claudio censore multis equi ademti, multi senatu moti essent, Salustius quoque in idem dedecus incurrit; qua quidem censoria nota Dio factum esse statuit, ut multi in Cæsaris castra transirent. Fuit enim Appius Claudius Pompeianus, cuius alteram filiam Cnæus Pompeius, alteram Brutus in matrimonium duxerat cfr. Onom. Cicer. Ed. Orelli. Neque tamen solo partium studio Appium Claudium adductum esse puto, ut tam gravem vitiorum correctorem se præberet. Quæsivit enim laudem

severitatis cfr. Dio C. l. l. Cic. Epp. ad Fam. VIII. 14. „Scis Appium censorem hic ostenta facere, de signis et tabulis, de agri modo, de ære alieno acerrime agere; persuasum est ei, censuram lomentum aut nitrum esse etc.“ Quamobrem Horatius ad summam severitatem declarandam Appii nomine utitur. S. I. v. 31. Sed quidquid illud fuit, fieri non potuit, ut, nisi turpitudo quædam vitæ domesticæ esset inusta, senatores senatu moverentur aliave pœna afficerentur. Neque adulterium cum Fausta unicam invidiæ et criminum causam fuisse putaverim. Addit enim declamator, domum paternam illum vivo patre turpissime venalem habuisse et vendidisse; præterea adulterium senatu audiente esse confessum, in sodalicium sacrilegii Nigidiani abiisse, bis iudicis ad subsellia attractum extrema fortuna stetisse et ita discessisse, ut non innocens esse, sed iudices peierasse viderentur. Commemorat etiam censorium elogium Ap. Claudii et L. Pisonis, quo recitando æternæ maculæ Salustio inurerentur. Ad hanc insimulationem subobscuram accederet ipsius Horatii auctoritas, si quo loco perversas æqualium libidines notat, S. 1. 2. 45. „Tutior at quanto merx est in classe secunda, Libertinarum dico, Salustius in quas non minus insanit, quam qui mœchatur“ poeta non nepotem sed ipsum historicum notasse existimandus est. Id quod fieri posse negavit Orellius, quod ipsa ætas historici, qui a. U. 719 diem obiit supremum, eum ab hoc opprobrio vindicaret. Quod enim tempore præsenti verbi *insanit* poeta significaverit, hæc probra tum maxime fieri, et hæc satira anno ferme DCCXIV vel XV scripta sit, hoc non cadere in hominem pæne quinquagenarium, puto, quod ea ætate omnis fere pectoris æstus deferbuerit. Quod ab eo parum recte iudicatum arbitror. Neque firmiora argumenta attulit Heindorfius, qui poetam pugnantia locuturum fuisse statuit, si quem hominem adulterium cum muliere nobili fecisse in confesso fuerit, eundem in libertinas insanientem et ita loquentem fecerit: „matronam nullam ego tango“ cfr. Hor. l. l. vs. 54. Quare nescio an rectius iudicio scholiastarum Acronis et Cruquiani standum esse videatur, qui hunc locum ita commentati sunt: fertur Salustius Crispus tanto ardore insanivisse in libertinas, quanto mœchus in matronas; quod cum illi in senatu obiectum esset, respondit se non matronarum, sed libertinarum esse sectatorem, quare ex senatu eiectus est, quod ipse excusat in Catilinæ libello.“

Digitized by Google

Eandem famam auctor declamationis secutus est, cuius testimonium infra scriptum: „Itaque timens, ne facinora eius clam vos essent, cum omnibus matrum familiarum viris opprobrio esset, confessus est vobis audientibus adulterium nec erubuit ora vestra.“ A qua turpitudinis nota non alienum est, quod scholiastæ Horatii eum Nomentani cuiusdam cocum centenis millibus æris conductum habuisse narrant. Horat. Serm. I. 2. sub fin. Cum bellum civile exarsisset, in castra Cæsaris, quo omnis sentina rei publicæ confluxerat, se contulit. Declamat. c. 5. A quo iterum quæstura ornatus et in senatum lectus est. l. l. Mox parti copiarum præfectus, in Illyrico cum Octavio et Libone, Pompeii ducibus, prælio commisso rem male gessit, cfr. Orosii Histor. VI. 15. p. 416. Havercamp. Sed bello in Græcia, Aegypto et Asia confecto, prætor factus a Cæsare in Campaniam missus est, qui legiones seditionem moventes et in Africam traiicere recusantes ad officium redire cogeret. Sed condicionibus quas ferebat reiectis parum abfuit, quin ipsum milites interficerent, ita ut fuga salutem quærere cogeretur. Appian. de bello civ. II. 92. Dio Cass. XLII. 52. Seditione repressa Cæsar in Africam traiectus, tum quoque Salustii opera usus est. Nam parti copiarum præfectum in insulam Cercinam misit, ut commeatum ab hostibus eo collatum interciperet. Auctor de bello Afric. 8. 14. 34. 97. Qua re bene gesta victisque, quas Scipio et Iuba coegerant, a Cæsare copiis, Salustius proconsul Numidiæ, quæ in provinciæ formam redacta fuerat, relictus est. Quam quidem provinciam, ut declamatoris verbis utar, ita vastavit ut nihil neque passi sint neque exspectarint gravius in bello socii, quam experti sunt in pace, hoc Africam interiorem obtinente. Quam ob rem cum Romam rediisset, repetundarum accusatus, sed Cæsaris iussu absolutus est. Declam. c. 7. Dio Cass. XLIII. 9. *Καὶ τῷ Σαλουστίῳ λόγῳ μὲν ἄρχειν ἔργῳ δὲ ἄγειν τε καὶ φέρειν ἐπέτρεψεν* (scil. *τοὺς Νομάδας*). *ἀμέλει καὶ ἐδωροδόκησε πολλὰ καὶ ἥρπασεν, ὥστε καὶ κατηγορηθῆναι καὶ αἰσχύνην αἰσχίστην ὀφλῆσαι, ὅτι τοιαῦτα συγγράμματα συγγράψας καὶ πολλὰ καὶ πικρὰ περὶ τῶν ἐκκαρπουμένων τινὰς εἰπὼν οὐκ ἐμιμήσατο τῷ ἔργῳ τοὺς λόγους. ὅθεν εἰ καὶ τὰ μάλιστα ἀφείθη ὑπὸ τοῦ Καίσαρος, ἀλλ' αὐτός γε ἑαυτὸν καὶ πάνυ τῇ συγγραφῇ ἐστηλοκόπησεν.*

Qui quidem locus non ita explicandus est, Cæsarem eo consilio Numidiam provinciam Salustio tradidisse, ut quam maximas posset divitias corraderet, sed Dio Cassius, quæ eius est acerbitas, suum interposuit iudicium. Cæsaris autem cum tanta indulgentia in ipsos inimicos fuisset, facilius etiam amicorum peccatis veniam dedisse videtur. cum quo S. sestertio duodecies pactus esse dicitur, ne causam diceret. decl. l. l. Tantæ quidem ei fuere divitiæ, ut hortos pretiosissimos in colle Quirinali et Cæsaris villam Tiburtinam sibi pararet. Qui quidem *horti Salustiani* appellati et a Tacito hist. III. 82. Annal. XIII. 47 et a ceteris historicis, a Dione Cassio, Vopisco, Procopio passim commemorantur. Sed quanto splendore domus Salustiana exstructa, quot artium monumentis horti ornati fuerint, non id solum argumento est, quod multi imperatores hos hortos sedem et domicilium habuerunt, Nero, Tac. Ann. XIII. 47. Vespasianus, Dio Cass. LXVI. Nerva, Eusebius in Chron. Hadrianus, Aurelianus ap. Vopisc. c. 44, sed etiam quod nobilissimæ statuæ, Hermaphroditus, Faunus qui infantem complexus tenet, Papirius iuvenis, matrem nimis curiosam mendaciis fallens, mirmillo exspirans, et quatuor colossi Aegyptii lapide syenite facti et Niobe cum liberis in marmore cælata etc. iis locis effossa sunt. cfr. Montfaucon Ant. Illustr. T. II. Supplem. VI. c. I. p. 128. Domus erat sita inter portam Salariam et Nomentanam et integra mansit usque ad Alarichi tempora, ubi incendio consumpta est. cfr. Procop. bell. Vandal I. 2. *Ἀλάριχόν τε τῇ πόλει ἐδέξαντο, οἵ τε τάς τε οἰκίας ἐνέπρησαν, αἱ τῆς πύλης ἄγχιστα ἦσαν. ἐν αἷς ἦν καὶ ἡ Σαλουστίου τοῦ Ῥωμαίοις τὸ παλαιὸν τὴν ἱστορίαν γράψαντος, ἥ τε τὸ πλεῖστον ἡμίκαυστα καὶ εἰς ἐμὲ ἥστηκεν.* Eodem fere tempore Terentiam, cui Cicero nuntium remiserat, in matrimonium duxisse, Hieronym. adv. Iovin. I. 48. (quam CIII. annos explevisse auctores sunt Plinius N. H. VII. c. 49. p. 47. Ed. Bip. et Valerius Maximus VIII. 13. 6. et postea Vibio Rufo nuptam fuisse tradit Dio Cassius LVII. 15.) sed nullos liberos ex ea suscepisse videtur, quod sororis nepotem adoptavit, qui potea Augusti gratia floruit Tac. Ann. III. 30. 1. 6. Ceterum post Cæsaris cædem Salustius remotus a re publica reliquam ætatem in bonarum artium studio et inprimis in historia scribenda consumpsisse videtur. Cuius quidem otii honesti et moderati fructus uberrimos reliquit, Catilinam, Iugurtham et quinque libros Historiarum. Diem supremum obiit quadriennio ante bellum Actiacum III.

Digitized by Google

Idus Maias L. Gellio Publicola, M. Cocceio Nerva Coss. Euseb. Chron. Int. Hieronym. MDCCCCLXXXI.

Sed ne quis me credulitatis aut inconsiderantiæ insimulet, quod quæ vel maligni vel parum certi auctores de Salustii moribus memoriæ mandaverint, tamquam luculentis testimoniis firmata posuerim, vocibus eorum, qui ita statuunt, pauca respondenda esse duco. Cum enim ad scriptorum, de quibus supra memoratum est, accedat Lactantii auctoritas, qui Instit. Div. II. 12. Salustium hominem nequam dicit et hæc addit: „Servivit enim fœdissimis voluptatibus suamque ipse sententiam vitæ pravitate dissolvit.“ cum Macrobius eundem gravissimum alienæ luxuriæ obiurgatorem et censorem appellaverit Sat. II. 9. et Symmachus Ep. V. 9 hoc de eo fecerit iudicium: „statuerit hoc scriptor, stilo tantum probandus: nam morum eius damna non sinunt, ut ab illo agendæ vitæ petatur auctoritas.“ fuerunt, qui hæc quidem testimonia eo infirmari posse statuerint, quod illi viri a Salustii ætate longius remoti non historiæ fidem, sed malignorum hominum falsa opprobria, rumores et fabulas secuti esse videantur. Omnium enim contumeliarum, quibus Salustius vexatus sit, auctorem esse volunt Pompeium Lenæum, Pompeii Magni libertum, qui tanto amore patroni memoriam prosecutus erat, ut Salustium, qui illum *oris probi*, *animo inverecundo* esse dixerat, acerbissima satira laceraret, lastaurum et lurconem et nebulonem popinonemque appellans et vita scriptisque monstrosum; præterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem. Sueton. de illustr. Gramm. 15. Cuius quidem satiræ acerbitate factum esse putant, ut in rhetorum scholis de vita et moribus Salustii declamationes conscriberentur. Accessisse inimicitias, quæ Ciceroni cum Salustio intercesserint; unde mira quædam grammaticos excogitasse, eorumque vestigia Macrobium, Lactantium et Symmachum legisse sibi persuadent. Sed reliqui sunt gravissimi testes, Gellius, Varro, Dio Cassius, quorum auctoritatem quomodo infirmare studeant, silentio non est prætereundum. Alium enim Varronem nescio quem, non hominem omnium Romanorum doctissimum atque litteratissimum, qui Salustii æqualis fuit, hoc loco esse intelligendum, et Gellium ipsum in laudandis scriptorum testimoniis parum diligentem fuisse multis verbis probare student. Iam quod ad avaritiam et rapinas pertinet, quo crimine ipse Dio Cassius Salu-

stium arguit, hanc maculam facile elui posse existimant. Cæsari enim, non sibi rapuit Salustius! Sic Vos non vobis mellificatis apes! Quemadmodum Vespasianus rapacissimis procuratoribus pro spongiis uti solebat, Suet. Vesp. 16. ita Salustius provinciam expilavit, ut præda in fiscum imperatoris cogeretur! Sed quem Cæsar rapere iusserat, eum facere non potuit quin tueretur. Magnas quas etiam postea retinuit divitias, non rapinis quæsierat, sed Cæsaris credo liberalitati acceptas retulit. En iocularem licentiam! Nemo enim est, qui nesciat, ne satirarum quidem scriptorem vana atque inania captare, sed certam quandam probabilitatem sequi. Quid quod satiræ ratio postulat, ut quæ breviter in ea perstringantur, a legentium suspicionibus non plane abhorreant. Hominis enim vitia facetiis exagitare, quæ non solum ignota sed etiam incredibilia sunt, quippe quorum falsitatem omnes compertam habeant, hoc non satirarum scriptoris est sed hominis maledici, otio et litteris turpiter abutentis. Sed largiamur sane Salustii morum propugnatoribus, iratum hominem in patroni reprehensorem contumeliosius quam verius esse invectum, facile est ad intelligendum, adversum, quo Salustius flagrabat, rumorem non ex Lenæi conviciis natum fuisse. Salustii enim vitæ scriptor fuit Asconius Pedianus, diligentissimus et religiosissimus auctor, quem adulterii testem Acron et Cruquii Scholiasta laudant.

Iam cum neque Asconio neque Varroni fides derogari et Dionis Cassii testimonium nulla ingenii calumnia infirmari possit, Macrobius, Lactantius, Symmachus libidinis et luxuriæ probra ita perstringant, ut pro certissimis ea habuisse videantur, fides accrescit vel declamatori illi, sive ille Didymus fuit, sive alius quidam, cuius nomen obscuravit vetustas. Immo ne Scholiastæ quidem contemnendi sunt, qui vel iisdem fontibus hortulos suos irrigarunt, vel alios auctores, qui de personis Horatianis scripserant, secuti esse videntur. Denique, quod iam supra memoratum est, rem conficit ipsius auctoris confessio, qui prioris vitæ infamiam non excusavisset, nisi conscientia culpæ mentem vexaret.

Sed quod veritatis studium nos impulit, ut putidas interpretum argutias oppugnaremus, idem facit ut nihil omittendum esse putem, quod non quidem ad Salustium purgandum, sed tamen ad severissima censorum nostrorum iudicia elevanda facere videatur.

Digitized by Google

Hæc tum vita hominum erat. Corrumpere et corrumpi sæculum vocabatur, et, ut Sallustii verbis utar, pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia largitio avaritia vigebant. Sed libido stupri, ganeæ ceterique cultus non minor incesserat; viri muliebria pati, mulieres pudicitiam in propatulo habere. — Quodsi quis etiam a culpa vacuus in hoc hominum genus inciderat, cotidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris efficiebatur. In tanta et tam corrupta civitate eo ipso tempore Sallustius rem publicam capessivit, quo et partium studiis et factionibus libertas eversa et servitus, malorum omnium postremum, parata est. In ipsam enim flammam civilis discordiæ vel potius belli incidit. Quæ quidem tempora quantum ad iuvenum mores corrumpendos valeant, nemo est qui neciat. Sallustius igitur, qui eius animi ardor fuit, facilius etiam præceps datus est. Ductus enim voluptatibus et lenociniis cupiditatum et corruptelarum illecebris irretitus, etiam mala ambitione captus tenebatur. Neque, quod prava ambitio solet, vitia sua occulta habuit, sed magis impetu quodam animi quam cogitatione usus, quod temere et inconsiderate agebat, in maxima dedecora et varias reprehensiones incucurrit. De Numidia expilata hanc ob causam breviori mihi esse licet, quod dici vix potest, quantum in provincialibus et inprimis in recens victis hostibus vexandis vel homines alioquin probi sibi permiserint.

Sed dicat aliquis, ipsa vitia Sallustii minus sibi videri reprehendenda, quam quod eius vita cum scriptis pugnaverit, quod alienæ luxuriæ atque nequitiæ gravissimus censor atque obiurgator, tanta cum turpitudine vitam egerit. Quibus primum hoc respondendum esse videtur, Sallustium extremis demum ætatis annis in historiarum libris scribendis esse versatum.

Etsi enim iam ætate ineunte historiæ scribendæ consilium cepit (cfr. Catil. 3. „a quo incepto studio me ambitio mala detinuerat“) tamen manus extrema eius operibus non accessit, immo nil elaboratum, nedum perpolitum et absolutum est, antequam a re publica remotus bonum otium non desidia atque socordia conterere, sed res Romanas carptim scribere statuerat. Id quod nisi post reditum ex Africa, anno XLV a. Ch. n. fieri non potuit. Immo satis est probabile, post Cæsaris mortem demum opus institutum fuisse confectum. Ea enim tempora insecuta sunt, quibus optimus quis-

Digitized by Google

que in portum non desidiæ atque inertiæ, sed honesti otii atque moderati confugit. Iam quod Salustius in rerum gestarum memoria, quam maximo usui rei publicæ esse statuit, qua egregiis viris ardorem quendam ad gloriam in pectore accendi intellexit, qui non prius sedetur, quam virtute maiorum famam atque gloriam adæquarint, non Epicureorum more omnia voluptate et quæstu metiri voluit, sed conscientia culpæ in errorem non inductus, de rebus humanis incorruptum iudicium fecit et gravem senatoris Romani personam sustinuit, id in summis eius laudibus pono. Historiam enim, testem temporum, lucem veritatis, magistram vitæ, nuntiam vetustatis, corrumpere noluit, cuius prima lex est, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. Historiæ igitur laudem atque dignitatem integram et inviolatam servavit. Neque ille se bonum virum simulavit, sed censoria severitatis nota non aliena magis vitia quam suæ ipsius vitæ probra damnavit et prioris vitæ memoriam iis litterarum monumentis obscuravit, in quibus et veteris Romanæ linguæ maiestas et prisca iudicii severitas esset expressa.

Et primum quidem haud dubie ad coniurationem Catilinæ scribendam animum adiecit, non modo quod hoc facinus inprimis memorabile esse existimavit, sceleris atque periculi novitate, sed quod ei locus datus esse videbatur de moribus civitatis disserendi, ad quam rem studio incitatus ferebatur more ingenii humani, quod, cum erroris tædio captum est, ad cognitionis et scientiæ cupiditatem trahitur et in veri inquisitione atque investigatione conquiescit. Qua quidem in re magnum historici ingenium agnoscas, qui, quorum temporum ipse æqualis fuerat, eorum memoriam primum litteris illustravit, quippe a quibus initiis omnium rerum, quæ postea insequebantur, causæ erant repetendæ, cuiusque rei accuratior cognitio, cum sceratissimorum consiliorum fontes aperuisset, ei ad totius historiæ studium amplectendum viam munivit. Sed ut Catilinam primum otii Salustiani fructum esse statuamus, facit etiam ipsius orationis color, qui quidem non iuvenile quid spirat, id enim a Salustii ætate alienum, sed tamen sententiis et figuris, quæ Salustianæ dicuntur, est ornatissima. Quam ob rem similem hunc librum Taciti Agricolæ dixeris, quo in libello et ipso sententiarum ornamenta et conformationes Tacito propriæ cumulatæ sunt. Catilinam haud dubie

Digitized by Google

secutum est bellum Iugurthinum, non modo quod eius rei memoria prætura in Africa gesta renovata erat, sed quod causæ malorum, quibus lacerata fuerat res publica et libertas amissa, ex illis potissimum temporibus videbantur esse repetendæ, quibus et nobilitatis superbia omnium odia in se converterat et luxuria atque avaritia omnem modum excesserat, quippe qui auro corrupti rem publicam venalem habuerunt. Quorum scelerum invidia factum, ut plebeiis hominibus animus augeretur et Marius consul factus magnas illas nobilitatis opes frangeret, atque, cum homines adolescentuli senatum criminando plebem exagitassent, dein largiundo atque pollicitando magis incendissent, homines factiosi consilium opprimundæ rei publicæ caperent. Quam quidem sententiam quanta arte persecutus sit, pluribus exponere non attinet, sed satis manifesto verba ostendunt, quæ in c. v. leguntur: „quia tunc primum superbiæ nobilitatis obviam itum est; quæ contentio divina et humana cuncta permiscuit eoque vecordiæ processit, uti studiis civilibus bellum atque vastitas Italiæ finem fecerit“ et quæ in fine leguntur: „ea tempestate spes atque opes civitatis in illo (Mario) sitæ.“

Tum demum ad Historiarum libros scribendos animum appulit, quorum ambitum Ausonius in Protreptico Eidyllio IV. vs. 60 sq. in universum his verbis circumscribit:

Iam facinus Catilina tuum Lepidique tumultum,
Ab Lepido et Catulo iam res et tempora Romæ
Orsus bis senos seriem connecto per annos;
Iam lego civili mistum Mavorte duellum,
Movit quod socio Sertorius exul Hibero.

Res igitur inde ab anno LXXVIII Catulo Lepido Coss. usque ad legem Maniliam a. LXVII perlatam et Pompeii in Asiam adventum i. e. Lepidi tumultus, bellum Sertorianum, servile, Mithridaticum tertium et seditiones tribuniciæ perscriptæ erant. Iam quæ mens, quod consilium Sallustii in hoc libro scribendo fuerit, facile iam ex ipso argumento exputaveris. Cum enim dominatione Sullæ legibusque ab eo latis nobilitatis opes restitutæ atque plebs oppressa esse videretur, docuit quomodo et bellis civilibus atque domesticis et seditionibus tribuniciis vis nobilitatis fracta et tribunicia potestate restituta summa rerum ad populum translata sit Ceterum satis est probabile Sallustium non modo argumenti gravitate, sed

etiam partium studio permotum hoc opus aggressum esse, non quod voluptatem quandam ex alienis malis ceperit, sed iuvit eum ostendere, nobilium potissimum perversitate rem publicam tantis malis esse oppressam. Non igitur veritatem inflexit, sed quæ acerba erant auditu, nullis verborum lenociniis mitigavit. Fieri igitur non potuit, quin et sententiarum gravitas et vis orationis æqualium animos vario modo vulneraret. Et recte quidem A. Gellius IV. 15. „Elegantia orationis Salustii verborumque facundia et novandi studium cum multa prorsus invidia fuit; multique non mediocri ingenio viri conati sunt reprehendere pleraque et obtrectare, in quibus plura inscite aut maligne vellicant, nonnulla tamen videri possunt non indigna reprehensione.“ Quo ex genere esse putaverim, quod fuerunt, qui Salustium vituperarent, quod maris transitum navibus factum *transgressum* traiectosque *transgressos* dixerit cfr. Gell. N. A. x. 26. cfr. idem IV. 15. ubi de significatione vocabuli *arduus* subtilius disputat Salustiumque ab iniqua obiurgatione Asinii Pollionis defendit. Is enim libro quodam (ab Aulo Gellio x. 26. epistola ad Plancum scripta commemoratur,) Salustii scripta reprehenderat ut nimia priscorum verborum affectatione oblita. Quod quo iure ille fecerit, quem auctor dialogi etc. c. 34. sibi inter Menenios et Appios videri studuisse dicit, cuius salebrosam et exilientem compositionem et, ubi minime exspectes, relicturam Seneca Epp. 100 notavit; quem adeo durum et siccum fuisse idem auctor dialogi c. 11 affirmat, ut Pacuvium et Attium non solum tragœdiis sed etiam orationibus suis expresserit, in medio relinquam, sed strictum eius et asperum et nimis ratum in dicendo iudicium etiam Seneca pater Præfat. Excerpt. Controv. IV. fuisse statuit. Neque abhorruit ab eius iudicio Octavianus, qui cacozelos et antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit, et verba antiqua, quæ Salustium ex Originibus Catonis excerpsisse insimulabat, diligentissime vitavit. Sueton. Aug. 86. Eandemque iudicii normam secutus est Auctor incertus epigrammatis, quo Salustianum genus dicendi notatum fuisse testis est Quintilianus Instit. Orator. VIII. 3.

Et verba antiqui multum furate Catonis
Crispe Iugurthinæ conditor historiæ.

id quod fuerunt, qui Lenæo, Pompeii Magni liberto, qui Salustium, ut supra memoratum est, vita scriptisque monstrosum

Digitized by Google

præterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem appellaverat. Sueton. de illustr. Gramm. c. 10. In eam rem auctore Asinio adiutorium ei fecit maxime Atteius Prætextatus, nobilis grammaticus Latinus, declamantium deinde adiutor atque præceptor, ad summam Philologus a semet nominatus. Sueton. l. l. cfr. Ioh. Rod. Thorbecke Commentatio de L. Asinii Pollionis vita et studiis doctrinæ. Lugduni Batav. MDCCCXX. p. 131. Coluit ille familiarissime C. Salustium et eo defuncto Asinium Pollionem, quos historiam componere aggressos alterum breviario rerum omnium Romanarum, ex quibus, quas vellet, eligeret, instruxit etc. Sueton. l. l. Ipse Suetonius, qui Asinium reprehendit, quod putaverit, Atteium antiqua verba et figuras solitum esse colligere, Salustii obscuritatem et audaciam in translationibus notavit l. l. Sed iniquos orationis iudices Salustius imprimis habuit æquales, qui in eodem studiorum genere versabantur, primum Trogum Pompeium, a quo reprehensus est, quod conciones directas et orationes operi suo inferendo modum excesserit. cfr. Iustin. Histor. Lib. xxxviii. 3. easdemque in honorem historiarum legi Cassius Severus iudicabat. Senec. Excerpt. iii. Controv. præfat. et Titum Livium, qui sententiam: *res secundæ mire sunt vitiis obtentui*, quam ille ex Græcis Thucydidis *δειναὶ γὰρ αἱ εὐπραξίαι συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα* expresserat, tamquam translatam et tamquam corruptam, dum transferatur, Salustio obiecerit. cfr. Seneca Controv. iv. 24. p. 273 sq. Bip. Et quod idem de oratoribus, qui verba antiqua et sordida consectantur et orationis obscuritatem severitatem putant, aiebat Miltiadem rhetorem eleganter dixisse: *ἐπὶ τὸ πλησίον μαίνονται*, Salustium pungere voluisse eique ob pravam quandam æmulationem infestior fuisse videtur. Sed recte de priore loco Seneca: „Nec hoc amore Thucydidis facit (Livius) ut illum præferat: laudat quem non timet et facilius putat posse a se Salustium vinci, si ante a Thucydide vincatur, et supra: „cum sit præcipua in Thucydide virtus brevitatis, hac eum Salustius vicit et in suis illum castris cecidit. Nam in sententia Græca tam brevi habes, quæ salvo sensu detrahas; deme vel *συγκρύψαι* vel *συσκιάσαι*, deme *ἑκάστων*, constabit sensus, etiamsi non æque comtus, æque tamen integer. At ex Salustii sententia nihil demi sine detrimento sensus potest."

Sed obtrectatorum iudiciis nescio num Quintiliani addendum sit, qui Crispum Salustium in bello Iugurthino et Catilinario nihil ad historiam pertinentibus principiis usum esse iudicat. Inst. Orat. III. 8. 10. Cum enim in antecedentibus Aristotelem laudaverit, quod in demonstrativis proœmia maxime libera esse existimet, idque et Isocratis et Gorgiæ exemplis illustraverit, addit: „Quos secutus videlicet Crispus“ etc ita ut nulla iusit reprehensio. Eodem fere spectat alius locus Inst. Or. x. 3. 7. „sed redeamus ad iudicium et retractemus suspectam facilitatem. Sic scripsisse Salustium accepimus et sane manifestus est etiam ex ipso opere labor.“ Neque hoc ei vitio tribuendum, quod Quintilianus IX. 3. 17. habet: „Ex Græco vero translata vel Salustii plurima, quale est: vulgus amat fieri.“ Quæ quidem cum in universum ad Salustianæ orationis naturam illustrandam faciant, viam muniunt ad iustum laudis præconium, quod præstantissimus quisque scriptor ei impertivit. Omnium igitur consensu primum brevitas orationis laudatur, quod Seneca falso genio sæculi tribuit Epp. CXIV. „Salustio vigente amputatæ sententiæ et verba ante exspectatum cadentia et obscura brevitas fuere pro cultu.“ Res autem contra se habet; cum enim lactea illa ubertas et dicendi copia, cuius auctores imprimis Hortensius et Cicero fuerunt, quam Livius expressit, in dies magis incresceret, tantum orationis flumen et circulatoriam quandam volubilitatem coercuit Salustius, cuius ingenii asperitas a verbosa illa, tracta et fluenti oratione abhorruit et novam quandam dicendi formam invenit; ita Macrobius Saturn. v. 1. Salustium Ciceroni opponit. „Quatuor sunt genera dicendi: copiosum in quo Cicero dominatur, breve in quo Salustius regnat.“ Quare A. Gellius N. A. III. 1 eum subtilissimum brevitatis artificem dicit, et in eandem sententiam Sidonius Apollinaris in Panegyrico Anthemii Augusti vs. 190 sqq. locutus est.

qua Crispus brevitate placet, quo pondere Varro,
quo genio Plautus, quo flumine Quintilianus,
qua pompa Tacitus numquam sine laude dicendus.

Idem est Quintiliani iudicium Inst. Or. x. 1. 32. „Neque illa Salustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis explicationibus iudicem et sæpius ineruditum captanda nobis est“ et alio loco IV. 1. Vitanda illa Salustiana, quamquam in ipso virtutis locum obtinet, brevitas

Digitized by Google

et abruptum sermonis genus, quod otiosum fortasse lectorem minus fallit, audientem transvolat, nec dum repetatur exspectat. alio loco x. 1. 102. eandem „immortalem illam Salustii velocitatem“ dixit, eandemque ob causam Salustium post Livium legendum esse iudicat Inst. Or. II. 5. 19. „Ego optimos quidem et statim et semper, sed tamen eorum candidissimum quemque et maxime expositum velim, ut Livium a pueris magis quam Salustium, et hic historiæ maior est auctor, ad quem tamen intelligendum iam profectu opus sit.“ cfr. x. 1. 101. „At non historia cesserim Græcis nec opponere Thucydidi Salustium verear.“ iterumque eum cum Thucydide comparat, ubi pravos imitatores, præcisis conclusionibus obscuros, Salustium et Thucydidem superare sibi videri statuit x. 2. 17. quomodo etiam Velleius Paterculus Salustium Thucydidis æmulum dixit II. 36. Sed in qua re historici virtus quam maxime versatur, fidem dico, hanc quoque laudem Salustio tribuunt. Ita apud Vibium Sequestrem Lib. de fluminibus, apud Hieronymum de loc. Hebraicis Opp. T. III. p. 202. et Isidorum Origg. XIII. 21. Salustius auctor certissimus dicitur et Festus Avienus in ora maritima hæc canit de Salustio: vs. 32 sqq.

Interrogasti, si tenes, Mœotici
Situs quis esset æquoris. Salustium
Noram id dedisse, dicta et eius omnibus
Prœiudicatæ auctoritatis ducier,
Non abnuebam; ad eius igitur inclytam
Descriptionem (qua locorum formulam
Imaginemque expressor efficax stili
Et veritatis pæne in obtutus dedit
Lepore linguæ) multa rerum iunximus.

Sed ab Augustino de Civ. Dei I. 5. nobilitatæ veritatis historicus et Ep. V. ad Marcellinum, nobilissimus historicus appellatur. Immo Martialis eum omnibus Romanis historicis præferendum esse statuit cfr. Lib. XIV. Epigr. CXCI.

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Crispus Romana primus in historia.

Denique ut Romanæ facundiæ obtrectatoribus gravissimi censoris opponam iudicium, Tacitus ipse Salustium rerum Romanarum florentissimum auctorem appellavit Ann. III. 30, cuius quidem testi-

monii nescio an tanta sit auctoritas, ut eorum, qui Græca solum admirantur, malignitas vel unius viri iudicio refelli posse videatur.

Sed cum tantis laudibus celebraretur Salustiana oratio, mirum videri non potest, quod illi soli omnium historicorum Romanorum contigerit, ut commentariis illustraretur; quos quidem scripserat C. Aemilius Asper. Hoc enim eius nomen fuisse et ex Probo ad Virg. Eclog. VI. 31. cfr. ad Aen. XI. 696. ex Servio ad Virg. Georg. IV. 166, ex Lydo de mag. III. 8. *οἱ δὲ νομενκλάτωρες, ὡς φησιν ὁ Αἰμίλιος ἐν τῷ ὑπομνήματι τῶν Σαλλουστίου ἱστοριῶν ὀνομασταὶ, καὶ ἀναφωνῆται τῶν τογάτων εἰσίν.* et ex Anonymo biographo Horatii apud Suringar III. 84 satis probabiliter coniecit Bergkius; qua de coniectura cfr. Th. Obbarius præf. ad Horat. (Jenæ 1848) c. III. p. XXXIV. adn. 5. Vulgo autem Asper appellatur, ut apud Hieronymum apol. in Rufinum 1. 16. „puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Salustium commentarios;" et ita eum laudat Charisius p. 116. a. 124. a. 129. a. 129. a. Lind. et semel Pompejus Comm. in art. Don. 29. 3. p. 395. Lind. Cuius quidem commentarii excerptum, a Monacho ut videtur, factum, olim Parisiis asservatum esse putabatur, (Cod. 6256.) quod ipse descripsi. Ceterum huic quidem fragmento non ita multum tribuas; similia similibus illustrantur, multaque loca ex Catilina, Iugurtha et ex Cæsare de bello Civili componuntur et inter se comparantur. Sed num etiam Statilius Maximus inter Salustii commentatores referendus sit, admodum incertum est, cum unus tantum locus ab eo tractatus apud Charisium commemoretur. Char. II. 4. 36. p. 116. a. Lind. Vitam quidem Salustii Asconius Pedianus scripserat, quod iam supra memoratum est. cfr Acron. ad Hor. S. I. 2. 41. Nam quod nuper mirus quidem homo excogitavit, a Didymo quoque vitam Salustii fuisse compositam, id plane de nihilo est. Vide enim hominis inconsiderantiam. Qui Pseudo-Ciceronis verba ex declamatione in Salustium laudavit, eum fugisse videtur, verba: *patrimonio comesto* quæ habet Diomedes p. 382. Putsch. in eadem declamatione paulo infra legi. Unde alii recte statuerunt, illius declamationis auctorem Didymum fuisse Sed Grammaticos in Salustio explicando et excutiendo multum versatos fuisse, luculentissimi testes sunt Cornelius Fronto et A. Gellius, qui plurima Salustii loca excerpserunt, examinarunt, iudicarunt, defenderunt. Cum enim novum istud dicendi genus multos et ob-

Digitized by Google

trectatores et laudatores haberet, hæc res ipsa ingenia hominum acuit, ut de singulis dictionibus subtilius dissererent; et laudatur a Gellio venditator Salustianæ orationis, qui non primam tantam cutem ac sententiarum speciem sed sanguinem quoque ipsum ac medullam verborum eius se eruere atque introspicere penitus prædicaret.“ N. A. XVIII. 4. 2. Idem aliis locis doctissimos grammaticos Valerium Probum et Apollinarem Sulpicium de verbis Salustianis disputantes inducit 1. 15. 18. XVIII. 4.

Etsi igitur Asinius Pollio non epistola modo ad Plancum sed etiam peculiari libro, ut videtur, Salustii scripta reprehenderat, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita, Arruntius tamen, belli Punici scriptor, illius orationem ita admiratus est, ut sententiarum ornamenta et conformationes, quæ rara apud Salustium sunt, studiose quæreret et sæpissime repeteret; unde non immerito a Seneca Salustianus appellatus est. Epp. CXIV. Neque minus Velleius Paterculus Salustium sibi imitatione effingendum sumpsit, cui plurimum illum debere recte statuit Ruhnkenius præfat. sub fin. Salustianus etiam Tacitus iure dicitur; sed quale fuit summi viri ingenium, non in verbis hæsit sed in totius orationis conformatione vim stili Salustiani expressit. Sed magis etiam crevit admiratio orationis Salustianæ ætate Hadriani, qui teste Spartiano c. 16. vetustissimi dicendi generis amantissimus fuit, ita ut ipsi Salustio Cælium Antipatrum anteferret; quo auctore Salustii Historiæ et bellum Catilinarium atque Iugurthinum a Zenobio sophista, qui eo tempore scholam Romæ aperuerat, ex Latino in Græcum sermonem conversa esse putantur. cfr. Suidas T. II. s. v. *Ζηνόβιος Ζ. ἔγραψεν μετάφρασιν ἑλληνικῶς τῶν ἱστοριῶν Σαλουστίου, τοῦ Ῥωμαϊκοῦ καὶ τῶν καλουμένων αὐτοῦ βελῶν.* A quo inde tempore tanta auctoritas libris Salustianis accessit, ut apud Grammaticos et Commentatores, Gellium, Servium, Donatum, Nonium Marcellum, Charisium, Priscianum frequentissima sit Salustii commemoratio. Quo ex genere illa locutionum collectio est, ab Arrusiano Messo vel, ut Angelo Maio placet, a Cornelio Frontone facta, ubi locutiones tamquam exempla ad imitandum ex probatissimis auctoribus, Cicerone, Salustio, Virgilio, Terentio proposita sunt. Sed postea quoque hunc auctorem a multis litteratis hominibus et ab ipsis Christianis tractatum et lectitatum fuisse non solum Augustinus ostendit, sed alii

quoque scriptores, qui eius imitatores recte appellantur. In quorum numerum referendus est ille Septimius, qui, quem librum de bello Troiano Dictys Cretensis Græce scripsisse putatur, in Latinum vertisse traditur; præterea Sulpicius Severus et Pseudo-Hegesippus. Qui quidem inferioris ordinis homines certam quandam brevitatis speciem captant, verba Salustiana usurpant, et satis habent tropos quosdam atque figuras Salustio usitatas in libros suos transtulisse. Quod quidem imitandi studium ne a scriptoribus quidem medii ævi omissum est. Hinc maximus Codicum manu scriptorum numerus, quorum amplius centum et quinquaginta ipse inspexi optimosque accuratius examinavi. De quorum diversitate atque familiis, quæ dicuntur, alio loco fusius agam.

Digitized by Google

G. SALUSTII CRISPI CATILINA.

Digitized by Google

I. Omnis homines, qui sese student præstare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant, veluti pecora, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est; animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum diis, alterum cum beluis commune est. Quo mihi rectius videtur ingenii quam virium opibus gloriam quærere et, quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum et formæ gloria fluxa atque fragilis, virtus clara æternaque habetur. Sed diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis an virtute animi res militaris magis procederet. Nam et prius quam incipias consulto, et ubi consulueris mature facto opus est. Ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget.

II. Igitur initio reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit), divorsi pars ingenium, alii corpus exercebant: etiam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant. Postea vero quam in Asia Cyrus, in Græcia Lacedæmonii et Athenienses cœpere urbes, nationes subigere, lubidinem dominandi causam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare, tum demum periculo atque negotiis compertum est in bello plurimum ingenium posse. Quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita ut in bello valeret, æquabilius atque constantius sese res humanæ haberent, neque aliud alio ferri, neque

mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium facile his artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et æquitate lubido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus inmutatur. Ita imperium semper ad optumum quemque a minus bono transfertur. Quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales dediti ventri atque somno, indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transegere: quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam mortemque iuxta æstumo, quoniam de utraque siletur. Verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus præclari facinoris aut artis bonæ famam quaerit. Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.

III. Pulchrum est bene facere rei publicæ, etiam bene dicere haud absurdum est; vel pace, vel bello clarum fieri licet, et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequitur scriptorem et actorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere; primum quod facta dictis exæquanda sunt, dehinc quia plerique, quæ delicta reprehenderis, malivolentia et invidia dicta putant; ubi de magna virtute et gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit; supra ea, veluti ficta, pro falsis ducit. Sed ego adulescentulus initio, sicuti plerique, studio ad rem publicam latus sum, ibique mihi multa advorsa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute audacia, largitio, avaritia vigebant. Quæ tametsi animus aspernabatur, insolens malarum artium, tamen inter tanta vitia inbecilla ætas ambitione corrupta tenebatur: ac me, cum ab reliquorum malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eadem qua ceteros fama atque invidia vexabat.

Digitized by Google

IV. Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et mihi reliquam ætatem a re publica procul habendam decrevi, non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere, neque vero agrum colendo aut venando servilibus officiis intentum ætatem agere; sed a quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani carptim, ut quæque memoria digna videbantur, perscribere; eo magis, quod mihi a spe, metu, partibus rei publicæ animus liber erat. Igitur de Catilinæ coniuratione quam verissume potero paucis absolvam; nam id facinus in primis ego memorabile existumo sceleris atque periculi novitate. De cuius hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

V. Lucius Catilina nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adulescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. Corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, supra quam cuiquam credibile est. Animus audax, subdolus, varius, cuiuslubet rei simulator ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiæ, sapientiæ parum. Vastus animus inmoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem Lucii Sullæ lubido maxuma invaserat rei publicæ capiundæ, neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum: quæ utraque his artibus auxerat, quas supra memoravi. Incitabant præterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant. Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere ac paucis instituta maiorum domi militiæque, quomodo rem publicam

habuerint quantamque reliquerint, ut paulatim inmutata ex pulcherruma pessuma ac flagitiosissuma facta sit, disserere.

VI. Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani, qui Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur, cumque his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquam in una mœnia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu est quam facile coaluerint. Sed postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta, satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitumi bello temptare, pauci ex amicis auxilio esse; nam ceteri metu perculsi a periculis aberant. At Romani domi militiæque intenti festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, patriam parentesque armis tegere. Post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant magisque dandis quam accipiundis beneficiis amicitias parabant. Imperium legitumum, nomen imperii regium habebant; delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, rei publicæ consultabant; hi vel ætate vel curæ similitudine patres appellabantur. Post, ubi regium imperium, quod initio conservandæ libertatis atque augendæ rei publicæ fuerat, in superbiam dominationemque (se) convortit, inmutato more, annua imperia binosque imperatores sibi fecere; eo modo minume posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

VII. Sed ea tempestate cœpere se quisque magis extollere magisque ingenium in promptu habere. Nam regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est. Sed civitas incredibile memoratu est adepta libertate quantum brevi creverit; tanta cupido gloriæ incesserat.

Digitized by Google

Iam primum iuventus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat, magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus; virtus omnia domuerat. Sed gloriæ maxumum certamen inter ipsos erat: sic se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat; eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant; laudis avidi, pecuniæ liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possem, quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbes natura munitas pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.

VIII. Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrat obscuratque. Atheniensium res gestæ, sicuti ego æstumo, satis amplæ magnificæque fuere, verum aliquanto minores tamen quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum ea verbis potuere extollere præclara ingenia. At populo Romano numquam ea copia fuit, quia prudentissumus quisque maxume negotiosus erat; ingenium nemo sine corpore exercebat; optumus quisque facere quam dicere, sua ab aliis benefacta laudari quam ipse aliorum narrare malebat.

IX. Igitur domi militiæque boni mores colebantur; concordia maxuma, minuma avaritia erat; ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant; cives cum civibus de virtute certabant; in suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia

in bello, ubi pax evenerat, æquitate seque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta hæc habeo, quod in bello sæpius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius revocati prælio excesserant, quam qui signa relinquere aut pulsi loco cedere ausi erant; in pace vero, quod beneficiis quam metu imperium agitabant, et accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant.

x. Sed ubi labore atque iustitia res publica crevit, reges magni bello domiti, nationes feræ et populi ingentes vi subacti, Karthago, æmula imperii Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terræque patebant: sævire fortuna ac miscere omnia cœpit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, his otium divitiæque, optandæ aliis, oneri miseriæque fuere. Igitur primo pecuniæ, deinde imperii cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem ceterasque artes bonas subvertit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortales falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere; amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstumare magisque voltum quam ingenium bonum habere. Hæc primo paulatim crescere, interdum vindicari: post, ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas inmutata, imperium ex iustissumo atque optumo crudele intolerandumque factum.

xi. Sed primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat; quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium bonus et ignavus æque sibi exoptant: sed ille vera via nititur; huic quia bonæ artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupivit; ea, quasi venenis malis inbuta, corpus animumque virilem effeminat, semper infinita, insatiabilis est, neque copia neque inopia

Digitized by Google

minuitur. Sed postquam L. Sulla, armis recepta re publica, bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere, neque modum neque modestiam victores habere, fœda crudeliaque in civis facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem maiorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat; loca amœna, voluptaria facile in otio feroces militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea privatim ac publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe secundæ res sapientium animos fatigant; ne illi corruptis moribus victoriæ temperarent.

XII. Postquam divitiæ honori esse cœpere et eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentia duci cœpit. Igitur ex divitiis iuventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere; rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere. Operæ pretium est, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exædificatas, visere templa deorum, quæ nostri maiores, religiosissumi mortales, fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant, neque victis quicquam præter iniuriæ licentiam eripiebant. At hi contra, ignavissumi homines, per summum scelus omnia ea sociis adimere, quæ fortissumi viri victores reliquerant: proinde quasi iniuriam facere, id demum esset imperio uti.

XIII. Nam quid ea memorem, quæ nisi his, qui videre, nemini credibilia sunt, a privatis compluribus subversos montes, maria constructa esse. Quibus mihi videntur ludibrio fuisse

Digitized by Google

divitiæ; quippe quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. Sed lubido stupri, ganeæ ceterique cultus non minor incesserat; viri muliebria pati, mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi causa terra marique omnia exquirere, dormire prius quam somni cupido esset, non famem aut sitim neque frigus neque lassitudinem operiri, sed ea omnia luxu antecapere. Hæc iuventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. Animus inbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat; eo profusius omnibus modis quæstui atque sumptui deditus erat.

XIV. In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id quod factu facillumum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se tamquam stipatorum catervas habebat. Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo manu, ventre, pene bona patria laceraverat, quique alienum æs grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret, præterea omnes undique parricidæ, sacrilegi, convicti iudiciis aut pro factis iudicium timentes, ad hoc quos manus atque lingua periurio aut sanguine civili alebat, postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinæ proxumi familiaresque erant. Quodsi quis etiam a culpa vacuus in amicitiam eius inciderat, cotidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris efficiebatur. Sed maxume adulescentium familiaritates appetebat; eorum animi molles et ætate fluxi dolis haud difficulter capiebantur. Nam ut cuiusque studium ex ætate flagrabat, aliis scorta præbere, aliis canes atque equos mercari, postremo neque sumptui neque modestiæ suæ parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi faceret. Scio fuisse nonnullos, qui ita existumarent, iuventutem, quæ domum Catilinæ frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse; sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, hæc fama valebat.

Digitized by Google

XV. Iam primum adulescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestæ, alia huiuscemodi contra ius fasque. Postremo captus amore Aureliæ Orestillæ, cuius præter formam nihil umquam bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta ætate, pro certo creditur necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quæ quidem res mihi in primis videtur causa fuisse facinoris maturandi. Namque animus impurus, diis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat; ita conscientia mentem excitam vastabat. Igitur colos ei exsanguis, fœdi oculi, citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie voltuque vecordia inerat.

XVI. Sed iuventutem, quam, ut supra diximus, inlexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis testes signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas, pericula vilia habere; post, ubi eorum famam atque pudorem attriverat, maiora alia imperabat; si causa peccandi in præsens minus suppetebat, nihilo minus insontes sicuti sontes circumvenire, iugulare; scilicet, ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod æs alienum per omnes terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriæ veteris memores, civile bellum exoptabant, opprimundæ rei publicæ consilium cepit. In Italia nullus exercitus, Gn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat, ipsi consulatum petenti magna spes, senatus nihil sane intentus, tutæ tranquillæque res omnes, sed ea prorsus oportuna Catilinæ.

XVII. Igitur circiter Kalendas Iunias, L. Cæsare et G. Figulo consulibus, primo singulos appellare, hortari alios, alios temptare, opes suas, inparatam rem publicam, magna præmia coniurationis docere. Ubi satis explorata sunt quæ

Digitized by Google

voluit, in unum omnis convocat, quibus maxuma necessitudo et plurimum audaciæ inerat. Eo convenere senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, G. Cethegus, P. et Servius Sullæ, Servii filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Læca, L. Bestia, Q. Curius; præterea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, G. Cornelius; ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles. Erant præterea conplures paulo occultius consilii huiusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur quam inopia aut aliqua necessitudo. Ceterum iuventus pleraque, sed maxume nobilium, Catilinæ inceptis favebat; quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum quam pacem malebant. Fuere item ea tempestate, qui crederent M. Licinium Crassum non ignarum eius consilii fuisse; quia Gn. Pompeius, invisus ipsi, magnum exercitum ductabat, cuiusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere, simul confisum, si coniuratio valuisset, facile apud illos principem se fore.

XVIII. Sed antea item coniuravere pauci contra rem publicam, in quibus Catilina fuit; de qua quam verissume potero dicam. L. Tullo et M. Lepido consulibus P. Autronius et P. Sulla, desĭgnati consules, legibus ambitus interrogati pœnas dederant. Post paulo Catilina, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat consulatum petere, quod intra legitumos dies profiteri nequiverit. Erat eodem tempore Gn. Piso, adulescens nobilis, summæ audaciæ, egens, factiosus, quem ad perturbandam rem publicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina et Autronius circiter Nonas Decembris consilio communicato, parabant in Capitolio Kalendis Ianuariis L. Cottam et L. Torquatum consules interficere, ipsi, fascibus correptis, Pisonem cum exercitu ad optinendas duas Hispanias mittere. Ea re cognita, rursus in Nonas

Digitized by Google

Februarias consilium cædis transtulerant. Iam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur. Quod ni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post conditam urbem Romam pessumum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant, ea res consilium diremit.

XIX. Postea Piso in citeriorem Hispaniam quæstor pro prætore missus est, adnitente Crasso, quod eum infestum inimicum Gn. Pompeio cognoverat. Neque tamen senatus provinciam invitus dederat; quippe fœdum hominem a re publica procul esse volebat; simul quia boni conplures præsidium in eo putabant, et iam tum potentia Pompei formidolosa erat. Sed is Piso in provincia ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. Sunt qui ita dicunt, imperia eius iniusta, superba, crudelia barbaros nequivisse pati; alii autem equites illos, Gn. Pompei veteres fidosque clientes, voluntate eius Pisonem aggressos; numquam Hispanos præterea tale facinus fecisse, sed imperia sæva multa antea perpessos. Nos eam rem in medio relinquemus. De superiore coniuratione satis dictum.

XX. Catilina, ubi eos, quos paulo ante memoravi, convenisse videt, tametsi cum singulis multa sæpe egerat, tamen in rem fore credens universos appellare et cohortari, in abditam partem ædium secessit atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem huiuscemodi habuit. «Ni virtus fidesque vestra spectata mihi forent, nequicquam oportuna res cecidisset; spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent. Neque ego per ignaviam aut vana ingenia incerta pro certis captarem. Sed quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortis fidosque mihi, eo animus ausus est maxumum atque pulcherrumum facinus incipere, simul quia vobis eadem quæ mihi bona malaque esse intellexi; nam idem velle

atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. Sed ego quæ mente agitavi, omnes iam antea divorsi audistis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, cum considero, quæ condicio vitæ futura sit, nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem. Nam postquam res publica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit; semper illis reges, tetrarchæ vectigales esse; populi, nationes stipendia pendere, ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, volgus fuimus, sine gratia, sine auctoritate, his obnoxii, quibus, si res publica valeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiæ apud illos sunt, aut ubi illi volunt; nobis reliquere pericula, repulsas, iudicia, egestatem. Quæ quousque tandem patiemini fortissumi viri? Nonne emori per virtutem præstat, quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienæ superbiæ ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enim vero pro deum atque hominum fidem victoria in manu nobis est; viget ætas, animus valet: contra illis annis atque divitiis omnia consenuerunt. Tantummodo incepto opus est; cetera res expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in extruendo mari et montibus coæquandis, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse? Cum tabulas, signa, toreumata emunt, nova diruunt, alia ædificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant; tamen summa lubidine divitias suas vincere nequeunt. At nobis est domi inopia, foris æs alienum, mala res, spes multo asperior; denique quid reliqui habemus præter miseram animam? Quin igitur expergiscimini? En illa, illa, quam sæpe optastis, libertas, præterea divitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt! fortuna omnia ea victoribus præmia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia

Digitized by Google

magnifica magis quam oratio mea vos hortentur. Vel imperatore vel milite me utimini, neque animus neque corpus a vobis aberit. Hæc ipsa, ut spero, vobiscum una consul agam: nisi forte me animus fallit, et vos servire magis quam imperare parati estis.»

XXI. Postquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona ulla; tametsi illis quieta movere magna merces videbatur, tamen postulavere plerique, uti proponeret, quæ condicio belli foret, quæ præmia armis peterent, quid ubique opis aut spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletium, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia, quæ bellum atque lubido victorum fert. Præterea esse in Hispania citeriore Pisonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, consilii sui participes; petere consulatum G. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem et omnibus necessitudinibus circumventum: cum eo se consulem initium agendi facturum. Ad hoc maledictis increpabat omnis bonos; suorum unumquemque nominans laudare; admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suæ, conpluris periculi aut ignominiæ, multos victoriæ Sullanæ, quibus ea prædæ fuerat. Postquam omnium animos alacris videt, cohortatus, ut petitionem suam curæ haberent, conventum dimisit.

XXII. Fuere ea tempestate qui dicerent, Catilinam, oratione habita, cum ad iusiurandum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse; inde cum post execrationem omnes degustavissent, sicuti in sollemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum, atque eo, dictitare, fecisse, quo inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conscii. Nonnulli ficta et hæc et multa præterea existumabant ab his, qui Ciceronis invidiam, quæ postea orta est, leniri credebant

atrocitate sceleris eorum, qui pœnas dederant. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta est.

XXIII. Sed in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus; quem censores senatu probri gratia moverant. Huic homini non minor vanitas inerat quam audacia; neque reticere, quæ audierat, neque suamet ipse scelera occultare, prorsus neque dicere neque facere quicquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo; cui cum minus gratus esset, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians maria montesque polliceri cœpit et minari interdum ferro, ni sibi obnoxia foret: postremo agitare ferocius quam solitus erat. At Fulvia, insolentiæ Curii causa cognita, tale periculum rei publicæ haud occultum habuit, sed, sublato auctore, de Catilinæ coniuratione quæ quoque modo audierat, conpluribus narravit. Ea res in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invidia æstuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum quamvis egregius homo novus adeptus foret. Sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia post fuere.

XXIV. Igitur comitiis habitis consules declarantur M. Tullius et G. Antonius, quod factum primo populares coniurationis concusserat. Neque tamen Catilinæ furor minuebatur, sed in dies plura agitare, arma per Italiam locis oportunis parare, pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam Fæsulas ad Manlium quendam portare, qui postea princeps fuit belli faciundi. Ea tempestate plurimos cuiusque generis homines adscivisse sibi dicitur, mulieres etiam aliquot, quæ primo ingentes sumptus stupro corporis toleraverant, post ubi ætas tantummodo quæstui neque luxuriæ modum fecerat, æs alienum grande conflaverant. Per eas se Catilina credebat

Digitized by Google

posse servitia urbana sollicitare, urbem incendere, viros earum vel adiungere sibi vel interficere.

XXV. Sed in his erat Sempronia, quæ multa sæpe virilis audaciæ facinora commiserat. Hæc mulier genere atque forma, præterea viro atque liberis satis fortunata fuit; litteris Græcis et Latinis docta, psallere et saltare elegantius quam necesse est probæ, multa alia, quæ instrumenta luxuriæ sunt. Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit; pecuniæ an famæ minus parceret, haud facile discerneres; lubidine sic accensa, ut sæpius peteret viros quam peteretur. Sed ea sæpe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, cædis conscia fuerat, luxuria atque inopia præceps abierat. Verum ingenium eius haud absurdum; posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci; prorsus multæ facetiæ multusque lepos inerat.

XXVI. His rebus comparatis, Catilina nihilo minus in proxumum annum consulatum petebat, sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiæ deerant. Namque a principio consulatus sui multa pollicendo per Fulviam effecerat, ut Q. Curius, de quo paulo ante memoravi, consilia Catilinæ sibi proderet. Ad hoc collegam suum Antonium pactione provinciæ perpulerat, ne contra rem publicam sentiret, circum se præsidia amicorum atque clientium occulte habebat. Postquam dies comitiorum venit, et Catilinæ neque petitio neque insidiæ, quas consuli (in campo) fecerat, prospere cessere, constituit bellum facere et extrema omnia experiri, quoniam quæ occulte temptaverat aspera fœdaque evenerant.

XXVII. Igitur C. Manlium Fæsulas atque in eam partem Etruriæ, Septimium quendam Camertem in agrum Picenum,

G. Iulium in Apuliam dimisit; præterea alium alio, quem ubique oportunum sibi fore credebat. Interea Romæ multa simul moliri, consulibus insidias tendere, parare incendia, oportuna loca armatis hominibus obsidere, ipse cum telo esse, item alios iubere, hortari, uti semper intenti paratique essent: dies noctesque festinare, vigilare, neque insomniis neque labore fatigari. Postremo ubi multa agitanti nihil procedit, rursus intempesta nocte coniurationis principes convocat per M. Porcium Læcam, ibique multa de ignavia eorum questus, docet se Manlium præmisisse ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat, item alios in alia loca oportuna, qui initium belli facerent, seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset; eum suis consiliis multum obficere.

XXVIII. Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris, G. Cornelius, eques Romanus, operam suam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius senator, constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem ac de inproviso domi suæ inparatum confodere. Curius ubi intellegit, quantum periculum consuli inpendeat, propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui parabatur, enuntiat. Ita illi ianua prohibiti tantum facinus frustra susceperant. Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, egestate simul ac dolore iniuriæ novarum rerum cupidam, quod Sullæ dominatione agros bonaque omnia amiserat, præterea latrones cuiusque generis, quorum in ea regione magna copia erat, nonnullos ex Sullanis coloniis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

XXIX. Ea cum Ciceroni nuntiarentur, ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque exercitus Manlii quantus aut quo consilio foret satis compertum habebat, rem ad senatum refert, iam

Digitized by Google

antea volgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit, darent operam consules, ne quid res publica detrimenti caperet. Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives, domi militiæque imperium atque iudicium summum habere; aliter sine populi iussu nulli earum rerum consuli ius est.

XXX. Post paucos dies L. Sænius senator in senatu litteras recitavit, quas Fæsulis allatas sibi dicebat, in quibus scriptum erat, G. Manlium arma cepisse cum magna multitudine ante diem VI. Kalendas Novembris. Simul, id quod in tali re solet, alii portenta atque prodigia nuntiabant, alii conventus fieri, arma portari, Capuæ atque in Apulia servile bellum moveri. Igitur senatus decreto Q. Marcius Rex Fæsulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca missi; utrique ad urbem imperatores erant, inpediti ne triumpharent calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. Sed prætores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum; hisque permissum, uti pro tempore atque periculo exercitum compararent. Ad hoc, si quis indicavisset de coniuratione, quæ contra rem publicam facta erat, præmium servo libertatem et sestertia centum, libero impunitatem eius rei et sestertia ducenta; itemque decrevere, uti gladiatoriæ familiæ Capuam et in cetera municipia distribuerentur pro cuiusque opibus, Romæ per totam urbem vigiliæ haberentur iisque minores magistratus præessent.

XXXI. Quibus rebus permota civitas atque inmutata urbis facies erat; ex summa lætitia atque lascivia, quæ diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit; festinare, trepidare; neque loco neque homini cuiquam satis credere,

Digitized by Google

neque bellum gerere neque pacem habere, suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus rei publicæ magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese, manus supplices ad cælum tendere, miserari parvos liberos, rogitare, omnia pavere, superbia atque deliciis omissis sibi patriæque diffidere. At Catilinæ crudelis animus eadem illa movebat, tametsi præsidia parabantur et ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paulo. Postremo dissimulandi causa aut sui expurgandi, sicut iurgio lacessitus foret, in senatum venit. Tum M. Tullius consul, sive præsentiam eius timens sive ira commotus, orationem habuit luculentam atque utilem rei publicæ, quam postea scriptam edidit. Sed ubi ille assedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso vultu, voce supplici postulare, patres conscripti ne quid de se temere crederent; ea familia ortum, ita se ab adulescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet; ne æstumarent, sibi patricio homini, cuius ipsius atque maiorum plurima beneficia in plebem Romanam essent, perdita re publica opus esse, cum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romæ. Ad hoc maledicta alia cum adderet, obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus: «Quoniam quidem circumventus, inquit, ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina extinguam.»

XXXII. Deinde se ex curia domum proripuit; ibi multa ipse secum volvens, quod neque insidiæ consuli procedebant, et ab incendio intellegebat urbem vigiliis munitam, optumum factu credens exercitum augere ac prius, quam legiones scriberentur, multa antecapere, quæ bello usui forent, nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo ceterisque, quorum cognoverat promptam audaciam, mandat, quibus rebus possent, opes factionis confirment, insidias consuli maturent, cædem, incendia aliaque

Digitized by Google

belli facinora parent: sese propediem cum magno exercitu ad urbem accessurum. Dum hæc Romæ geruntur, G. Manlius ex suo numero legatos ad Marcium Regem mittit, cum mandatis huiuscemodi:

XXXIII. «Deos hominesque testamur, imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab iniuria tuta forent, qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate feneratorum plerique patriæ, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus; neque cuiquam nostrum licuit more maiorum lege uti, neque amisso patrimonio liberum corpus habere: tanta sævitia feneratorum atque prætoris fuit. Sæpe maiores vestri, miserti plebis Romanæ, decretis suis inopiæ eius opitulati sunt; ac novissume memoria nostra propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum ære solutum est. Sæpe ipsa pleps, aut dominandi studio permota aut superbia magistratuum, armata a patribus secessit. At nos non imperium neque divitias petimus, quarum rerum causa bella atque certamina omnia inter mortales sunt, sed libertatem, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit. Te atque senatum obtestamur, consulatis miseris civibus, legis præsidium, quod iniquitas prætoris eripuit, restituatis, neve nobis eam necessitudinem inponatis, ut quæramus, quonam modo maxume ulti sanguinem nostrum pereamus.»

XXXIV. Ad hæc Q. Marcius respondit: «Si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur; ea mansuetudine atque misericordia senatum populumque Romanum semper fuisse, ut nemo umquam ab eo frustra auxilium petiverit.» At Catilina ex itinere plerisque consularibus, præterea optumo cuique litteras mittit: «Se falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunæ cedere, Massiliam in exilium

Digitized by Google

proficisci: non quo sibi tanti sceleris conscius esset, sed uti res publica quieta foret; neve ex sua contentione seditio oriretur.» Ab his longe divorsas litteras Q. Catulus in senatu recitavit, quas sibi nomine Catilinæ redditas dicebat; earum exemplum infra scriptum est:

XXXV. «L. Catilina Q. Catulo. Egregia tua fides re cognita, grata mihi, magnis in meis periculis fiduciam commendationi meæ tribuit. Quamobrem defensionem in novo consilio non statui parare, satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi, quam mediusfidius veram licet cognoscas. Iniuriis contumeliisque concitatus, quod fructu laboris industriæque meæ privatus, statum dignitatis non optinebam, publicam miserorum causam pro mea consuetudine suscepi, non quin æs alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem, cum et alienis nominibus liberalitas Orestillæ suis filiæque copiis persolveret; sed quod non dignos homines honore honestatos videbam, meque falsa suspicione alienatum esse sentiebam. Hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquæ dignitatis conservandæ sum secutus. Plura cum scribere vellem, nuntiatum est vim mihi parari. Nunc Orestillam commendo tuæque fidei trado; eam ab iniuria defendas per liberos tuos rogatus. Haveto.»

XXXVI. Sed ipse paucos dies commoratus apud G. Flaminium in agro Reatino, dum vicinitatem antea sollicitatam, armis exornat, cum fascibus atque aliis imperii insignibus in castra ad Manlium contendit. Hæc ubi Romæ comperta sunt, senatus Catilinam et Manlium hostes iudicat; ceteræ multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere præter rerum capitalium condemnatis. Præterea decernit, uti consules delectum habeant, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, Cicero urbi præsidio sit. Ea tempestate mihi imperium populi Romani multo

Digitized by Google

maxume miserabile visum est, cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent, domi otium atque divitiæ, quæ prima mortales putant, affluerent, fuere tamen cives, qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent. Namque duobus senatus decretis ex tanta multitudine neque præmio inductus coniurationem patefecerat, neque ex castris Catilinæ quisquam omnium discesserat; tanta vis morbi, (atque) uti tabes, plerosque civium animos invaserat.

XXXVII. Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii coniurationis fuerant, sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinæ incepta probabat. Id adeo more suo videbatur facere. Nam semper in civitate quibus opes nullæ sunt bonis invident, malos extollunt, vetera odere, nova exoptant, odio suarum rerum mutari omnia student, turba atque seditionibus sine cura aluntur: quoniam egestas facile habetur sine damno. Sed urbana pleps, ea vero præceps erat de multis causis. Primum omnium qui ubique probro atque petulantia maxume præstabant, item alii per dedecora patrimoniis amissis, postremo omnes quos flagitium aut facinus domo expulerat, hi Romam sicut in sentinam confluxerant. Deinde multi memores Sullanæ victoriæ, quod ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita divites, ut regio victu atque cultu ætatem agerent, sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat. Præterea iuventus, quæ in agris manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori prætulerat; eos atque alios omnis malum publicum alebat. Quo minus mirandum est, homines egentes, malis moribus, maxuma spe, rei publicæ iuxta ac sibi consuluisse. Præterea quorum victoria Sullæ parentes proscripti, bona erepta, ius libertatis inminutum erat, haud sane alio animo belli eventum expectabant. Ad hoc, quicumque aliarum atque senatus partium

erant, conturbari rem publicam quam minus valere ipsi malebant. Id adeo malum multos post annos in civitatem revorterat.

XXXVIII. Nam postquam Gn. Pompeio et M. Crasso consulibus tribunicia potestas restituta est, homines adulescentes summam potestatem nacti, quibus ætas animusque ferox erat, cœpere senatum criminando plebem exagitare, dein largiundo atque pollicitando magis incendere; ita ipsi clari potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas, senatus specie pro sua magnitudine. Namque uti paucis verum absolvam, post illa tempora quicumque rem publicam agitavere, honestis nominibus, alii sicuti populi iura defenderent, pars quo senatus auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant; neque illis modestia, neque modus contentionis erat; utrique victoriam crudeliter exercebant.

XXXIX. Sed postquam Gn. Pompeius ad bellum maritumum atque Mithridaticum missus est, plebis opes inminutæ, paucorum potentia crevit. Hi magistratus, provincias, aliaque omnia tenere: ipsi innoxii, florentes, sine metu ætatem agere, ceterosque iudiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata est, vetus certamen animos eorum arrexit. Quodsi primo prælio Catilina superior aut æqua manu discessisset, profecto magna clades atque calamitas rem publicam oppressisset; neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus qui plus posset imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra coniurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt; in his erat Fulvius, senatoris filius, quem retractum ex itinere parens necari iussit. Isdem temporibus Romæ Lentulus, sicuti Catilina præceperat, quoscumque moribus aut

Digitized by Google

fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se aut per alios sollicitabat, neque solum cives, sed cuiusque modi genus hominum, quod modo bello usui foret.

XL. Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat eosque, si possit, impellat ad societatem belli, existumans publice privatimque ære alieno oppressos, præterea quod natura gens Gallica bellicosa esset, facile eos ad tale consilium adduci posse. Umbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, plerisque principibus civitatium notus erat atque eos noverat; itaque sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percunctatus pauca de statu civitatis et quasi dolens eius casum requirere cœpit, quem exitum tantis malis sperarent? Postquam illos videt queri de avaritia magistratuum, accusare senatum, quod in eo auxilii nihil esset; miseriis suis remedium mortem expectare: «At ego, inquit, vobis, si modo viri esse vultis, rationem ostendam, qua tanta ista mala effugiatis.» Hæc ubi dixit, Allobroges in maxumam spem adducti Umbrenum orare, ut sui misereretur; nihil tam asperum neque tam difficile esse, quod non cupidissume facturi essent, dum ea res civitatem ære alieno liberaret. Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat neque aliena consilii propter Semproniam; nam tum Brutus ab Roma aberat. Præterea Gabinium accersit, quo maior auctoritas sermoni inesset. Eo præsente coniurationem aperit, nominat socios, præterea multos cuiusque generis innoxios, quo legatis animus amplior esset; deinde eos pollicitos operam suam domum dimittit.

XLI. Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consilii caperent: in altera parte erat æs alienum, studium belli, magna merces in spe victoriæ, at in altera maiores opes, tuta consilia, pro incerta spe certa præmia. Hæc illis volventibus, tandem vicit fortuna rei publicæ. Itaque Q. Fabio

Sangæ, cuius patrocinio civitas plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero, per Sangam consilio cognito, legatis præcepit, ut studium coniurationis vehementer simulent, ceteros adeant, bene polliceantur, dentque operam, uti eos quam maxume manifestos habeant.

XLII. Isdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus erat. Namque illi, quos ante Catilina dimiserat, inconsulte ac veluti per dementiam cuncta simul agebant; nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia plus timoris quam periculi effecerant. Ex eo numero complures Q. Metellus Celer prætor ex senatus consulto causa cognita in vincula coniecerat; item in citeriore Gallia G. Murena, qui ei provinciæ legatus præerat.

XLIII. At Romæ Lentulus cum ceteris, qui principes coniurationis erant, paratis, ut videbatur, magnis copiis, constituerat, uti, cum Catilina in agrum Fæsulanum cum exercitu venisset, L. Bestia tribunus plebis contione habita quereretur de actionibus Ciceronis, bellique gravissumi invidiam optumo consuli inponeret; eo signo, proxuma nocte cetera multitudo coniurationis suum quisque negotium exequeretur. Sed ea divisa hoc modo dicebantur: Statilius, Gabinius uti cum magna manu duodecim simul oportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad consulem ceterosque, quibus insidiæ parabantur, fieret; Cethegus Ciceronis ianuam obsideret eumque vi aggrederetur, alius autem alium; sed filii familiarum, quorum ex nobilitate maxuma pars erat, parentes interficerent; simul cæde et incendio perculsis omnibus ad Catilinam erumperent. Inter hæc parata atque decreta Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum: illos dubitando et dies prolatando magnas oportunitates corrumpere; facto non consulto in tali periculo opus esse, seque, si

Digitized by Google

pauci adiuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. Natura ferox, vehemens manu promptus erat, maxumum bonum in celeritate putabat.

XLIV. Sed Allobroges ex præcepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt; ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant iusiurandum, quod signatum ad civis perferant; aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse. Ceteri nihil suspicantes dant; Cassius semet eo brevi venturum pollicetur ac paulo ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum his Titum Volturcium quendam Crotoniensem mittit, ut Allobroges prius, quam domum pergerent, cum Catilina data atque accepta fide societatem confirmarent. Ipse Volturcio litteras ad Catilinam dat, quarum exemplum infra scriptum est: «Qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites, in quanta calamitate sis, et memineris te virum esse; consideres, quid tuæ rationes postulent; auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis.» Ad hoc mandata verbis dat: «Cum ab senatu hostis iudicatus sit, quo consilio servitia repudiet? in urbe parata esse, quæ iusserit; ne cunctetur ipse propius accedere.»

XLV. His rebus ita actis, constituta nocte qua proficiscerentur, Cicero per legatos cuncta edoctus L. Valerio Flacco et G. Pomptinio prætoribus imperat, ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant; rem omnem aperit, cuius gratia mittebantur; cetera, uti facto opus sit, ita agant, permittit. Illi, homines militares, sine tumultu præsidiis collocatis, sicuti præceptum erat, occulte pontem obsidunt. Postquam ad id loci legati cum Volturcio venerunt, et simul utrimque clamor exortus est, Galli cito cognito consilio sine mora prætoribus se tradunt. Volturcius primo cohortatus ceteros gladio se a multitudine defendit; deinde ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinium obtestatus, quod ei

notus erat, postremo timidus ac vitæ diffidens velut hostibus sese prætoribus dedit.

XLVI. Quibus rebus confectis, omnia propere per nuntios consuli declarantur. At illum ingens cura atque lætitia simul occupavere; nam lætabatur intelligens coniuratione patefacta civitatem periculis ereptam esse; porro autem anxius erat dubitans, in maxumo scelere tantis civibus deprehensis quid facto opus esset; pœnam illorum sibi oneri, impunitatem perdundæ rei publicæ fore credebat. Igitur confirmato animo vocari ad sese iubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, itemque Cæparium Terracinensem, qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat. Ceteri sine mora veniunt, Cæparius paulo ante domo egressus cognito indicio ex urbe profugerat. Consul Lentulum, quod prætor erat, ipse manu tenens in senatum perducit, reliquos cum custodibus in ædem Concordiæ venire iubet. Eo senatum advocat magnaque frequentia eius ordinis Volturcium cum legatis introducit; Flaccum prætorem scrinium cum litteris, quas a legatis acceperat, eodem afferre iubet.

XLVII. Volturcius interrogatus de itinere, de litteris, postremo quid aut qua de causa consilii habuisset, primo fingere alia, dissimulare de coniuratione; post, ubi fide publica dicere iussus est, omnia, uti gesta erant, aperit docetque se paucis ante diebus a Gabinio et Cæpario socium adscitum, nihil amplius scire quam legatos; tantummodo audire solitum ex Gabinio, P. Autronium, Servium Sullam, L. Vargunteium, multos præterea in ea coniuratione esse. Eadem Galli fatentur ac Lentulum dissimulantem coarguunt præter litteras sermonibus, quos ille habere solitus erat: ex libris Sibyllinis regnum Romæ tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea, se tertium esse, cui fatum foret urbis potiri; præterea ab incenso Capitolio illum esse vicesimum annum, quem

Digitized by Google

sæpe ex prodigiis aruspices respondissent bello civili cruentum fore. Igitur perlectis litteris, cum prius omnes signa sua cognovissent, senatus decernit, uti abdicato magistratu Lentulus itemque ceteri in liberis custodiis habeantur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum ædilis erat, Cethegus Quinto Cornificio, Statilius G. Cæsari, Gabinius M. Crasso, Cæparius (nam is paulo ante ex fuga retractus erat) Gn. Terentio senatori traduntur.

XLVIII. Interea pleps coniuratione patefacta, quæ primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente Catilinæ consilia execrari, Ciceronem ad cælum tollere; veluti ex servitute erepta gaudium atque lætitiam agitabat. Namque alia belli facinora prædæ magis quam detrimento fore; incendium vero crudele, inmoderatum ac sibi maxume calamitosum putabat, quippe cui omnes copiæ in usu cotidiano et cultu corporis erant. Post eum diem quidam L. Tarquinius ad senatum adductus erat, quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere retractum aiebant. Is cum se diceret indicaturum de coniuratione, si fides publica data esset, iussus a consule quæ sciret edicere, eadem fere, quæ Volturcius, de paratis incendiis, de cæde bonorum, de itinere hostium senatum docet; præterea se missum a M. Crasso, qui Catilinæ nuntiaret, ne eum Lentulus et Cethegus aliique ex coniuratione deprehensi terrerent, eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret, et illi facilius e periculo eriperentur. Sed ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, summa potentia; alii rem incredibilem rati, pars tametsi verum existumabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis magis leniunda quam exagitanda videbatur, plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii conclamant, indicem falsum esse, deque ea re postulant uti referatur. Itaque consulente Cicerone frequens

senatus decernit, Tarquinii indicium falsum videri, eumque in vinculis retinendum, neque amplius potestatem faciundam, nisi de eo indicaret, cuius consilio tantam rem esset mentitus. Erant eo tempore qui existumarent, illud indicium a P. Autronio machinatum, quo facilius appellato Crasso per societatem periculi reliquos illius potentia tegeret. Alii Tarquinium a Cicerone inmissum aiebant, ne Crassus more suo suscepto malorum patrocinio rem publicam conturbaret. Ipsum Crassum ego postea prædicantem audivi, tantam illam contumeliam sibi a Cicerone impositam.

XLIX. Sed isdem temporibus Q. Catulus et G. Piso neque precibus neque gratia neque pretio Ciceronem impellere potuerunt, uti per Allobroges aut per alium indicem G. Cæsar falso nominaretur. Nam uterque cum illo graves inimicitias exercebat: Piso obpugnatus in iudicio pecuniarum repetundarum propter cuiusdam Transpadani supplicium iniustum; Catulus ex petitione pontificatus odio incensus, quod in extrema ætate, maxumis honoribus usus ab adulescentulo Cæsare victus discesserat. Res autem oportuna videbatur, quod is privatim egregia liberalitate, publice maxumis muneribus grandem pecuniam debebat. Sed ubi consulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipsi singulatim circumeundo atque ementiundo ea quæ se ex Volturcio aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant, usque adeo, ut nonnulli equites Romani, qui præsidii causa cum telis erant circum ædem Concordiæ, seu periculi magnitudine seu animi mobilitate impulsi, quo studium suum in rem publicam clarius esset, egredienti ex senatu Cæsari gladio minitarentur.

L. Dum hæc in Senatu aguntur et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio, comprobato eorum indicio, præmia decernuntur, liberti et pauci ex clientibus Lentuli divorsis itineribus opifices atque servitia in vicis ad eum eripiendum

Digitized by Google

sollicitabant, partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio rem publicam vexare soliti erant. Cethegus autem per nuntios familiam atque libertos suos, lectos et exercitatos in audaciam, orabat, ut grege facto cum telis ad sese irrumperent. Consul ubi ea parari cognovit, dispositis præsidiis, ut res atque tempus monebat, convocato senatu refert, quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. Sed eos paulo ante frequens senatus iudicaverat contra rem publicam fecisse. Tum D. Iunius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de his, qui in custodiis tenebantur, et præterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumendum decreverat; isque postea permotus oratione G. Cæsaris pedibus in sententiam Tiberii Neronis iturum se dixerat, quod de ea re præsidiis additis referendum censuerat. Sed Cæsar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a consule, huiuscemodi verba locutus est:

LI. «Omnis homines, patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt, neque quisquam omnium lubidini simul et usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet; si lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi, P. C. qui reges atque populi, ira aut misericordia impulsi, male consuluerint; sed ea malo dicere, quæ maiores nostri contra lubidinem animi sui recte atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas, magna atque magnifica, quæ populi Romani opibus creverat, infida et advorsa nobis fuit: sed postquam bello confecto de Rhodiis consultum est, maiores nostri, ne quis divitiarum magis quam iniuriæ causa bellum inceptum diceret, impunitos eos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, cum

sæpe Carthaginienses et in pace et per indutias multa nefaria facinora fecissent, numquam ipsi per occasionem talia fecere; magis, quid se dignum foret, quam quid in illos iure fieri posset, quærebant. Hoc item vobis providendum est, patres conscripti, ne plus apud vos valeat P. Lentuli et ceterorum scelus quam vestra dignitas; neu magis iræ vestræ quam famæ consulatis. Nam si digna pœna pro factis eorum reperitur, novum consilium approbo; sin magnitudo sceleris omnium ingenia exuperat, his utendum censeo, quæ legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, composite atque magnifice casum rei publicæ miserati sunt; quæ belli sævitia esset, quæ victis acciderent, enumeravere; rapi virgines, pueros; divelli liberos a parentum complexu; matres familiarum pati, quæ victoribus conlibuissent; fana atque domos spoliari; cædem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed per deos inmortales quo illa oratio pertinuit? an uti vos infestos coniurationi faceret? scilicet quem res tanta et tam atrox non permovit, eum oratio accendet. Non ita est, neque cuiquam mortalium iniuriæ suæ parvæ videntur; multi eas gravius æquo habuere. Sed alia aliis licentia est, patres conscripti. Qui demissi in obscuro vitam habent, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt, fama atque fortuna eorum pares sunt; qui magno imperio prædíti in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxuma fortuna minuma licentia est; neque studere neque odisse, sed minume irasci decet. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur. Equidem ego sic æstumo, patres conscripti, omnes cruciatus minores quam facinora illorum esse; sed plerique mortales postrema meminere, et in hominibus impiis sceleris eorum obliti de pœna disserunt, si ea paulo sævior fuit. D. Silanum, virum

Digitized by Google

fortem atque strenuum, certe scio, quæ dixerit, studio rei publicæ dixisse, neque illum in tanta re gratiam aut inimicitias exercere; eos mores eamque modestiam viri cognovi. Verum sententia eius mihi non crudelis, (quid enim in tales homines crudele fieri potest?) sed aliena a re publica nostra videtur. Nam profecto aut metus aut iniuria te, Silane, subegit, consulem designatum, genus pœnæ novum decernere. De timore supervacaneum est disserere, cum præsertim diligentia clarissumi viri consulis tanta præsidia sint in armis. De pœna possum equidem dicere, id quod res habet: in luctu atque miseriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse, eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque curæ neque gaudio locum esse. Sed, per deos inmortales! quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadvorteretur? An quia lex Porcia vetat? at aliæ leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti iubent. An quia gravius est verberari quam necari? quid autem acerbum aut nimis grave est in homines tanti facinoris convictos? Sin quia levius est, qui convenit in minore negotio legem timere, cum eam in maiore neglexeris? At enim quis reprehendet, quod in parricidas rei publicæ decretum erit? tempus, dies, fortuna, cuius lubido gentibus moderatur. Illis merito accidet, quicquid evenerit; ceterum vos, patres conscripti, quid in alios statuatis, considerate. Omnia mala exempla ex rebus bonis orta sunt; sed ubi imperium ad ignaros cives aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur. Lacedæmonii devictis Atheniensibus triginta viros imposuere, qui rem publicam eorum tractarent. Hi primo cœpere pessumum quemque et omnibus invisum indemnatum necare; ea populus lætari et merito dicere fieri. Post ubi paulatim licentia crevit, iuxta bonos et malos lubidinose interficere,

Digitized by Google

ceteros metu terrere. Ita civitas, servitute oppressa, stultæ lætitiæ graves pœnas dedit. Nostra memoria victor Sulla, cum Damasippum et alios huiusmodi, qui malo rei publicæ creverant, iugulari iussit, quis non factum eius laudabat? homines scelestos et factiosos, qui seditionibus rem publicam exagitaverant, merito necatos aiebant. Sed ea res magnæ initium cladis fuit. Nam uti quisque domum aut villas, postremo vas aut vestimentum alicuius concupiverat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset. Ita illi, quibus Damasippi mors lætitiæ fuerat, paulo post ipsi trahebantur; neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnes suos divitiis explevit. Atque ego hæc non in M. Tullio neque his temporibus vereor; sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi; ubi hoc exemplo per senatus decretum consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet, aut quis moderabitur? Maiores nostri, patres conscripti, neque consilii neque audaciæ umquam eguere, neque illis superbia obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt, postremo quod ubique apud socios aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exequebantur, imitari quam invidere bonis malebant. Sed eodem illo tempore, Græciæ morem imitati, verberibus animadvortebant in cives, de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam res publica adolevit et multitudine civium factiones valuere, circumvenire innocentes, alia huiuscemodi fieri cœpere; tum lex Porcia aliæque leges paratæ sunt, quibus legibus exilium damnatis permissum est. Ego hanc causam, patres conscripti, quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus atque sapientia maior in illis fuit, qui ex parvis opibus

Digitized by Google

tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur eos dimitti et augeri exercitum Catilinæ? minume; sed ita censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quæ maxume opibus valent; neu quis de his postea ad senatum referat neve cum populo agat: qui aliter fecerit, senatum existumare eum contra rem publicam et salutem omnium facturum.»

LII. Postquam Cæsar dicendi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie adsentiebantur: at M. Porcius Cato, rogatus sententiam, huiuscemodi orationem habuit: «Longe mihi alia mens est, patres conscripti, cum res atque pericula nostra considero et cum sententias nonnullorum ipse mecum reputo. Illi mihi disseruisse videntur de pœna eorum, qui patriæ, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere: res autem monet cavere ab illis magis quam, quid in illos statuamus, consultare. Nam cetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt; hoc, nisi provideris ne accidat, ubi evenit, frustra iudicia implores, capta urbe nihil fit reliqui victis. Sed, per deos immortales! ego vos appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris quam rem publicam fecistis, si ista, cuiuscumque modi sunt, quæ amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium præbere vultis, expergiscimini aliquando et capessite rem publicam. Non agitur de vectigalibus neque de sociorum iniuriis, libertas et anima nostra in dubio est. Sæpe numero, patres conscripti, multa verba in hoc ordine feci, sæpe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum, multosque mortalis ea causa advorsos habeo; qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam. Sed ea tametsi vos parvi pendebatis, tamen res publica firma erat, opulentia neglegentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonisne an malis moribus vivamus, neque

Digitized by Google

quantum aut quam magnificum imperium populi Romani sit, sed hæc, cuiuscumque modi videntur, nostra an nobiscum una hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat. Iam pridem equidem nos vera vocabula rerum amisimus, quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur; eo res publica in extremo sita est. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus ærarii, ne illi sanguinem nostrum largiantur et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant. Bene et composite G. Cæsar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit, credo falsa existumans ea, quæ de inferis memorantur: divorso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, fœda atque formidolosa habere. Itaque censuit pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos; videlicet timens, ne, si Romæ sint, aut a popularibus coniurationis aut a multitudine conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe et non per totam Italiam sint, aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores. Quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit; si in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert me mihi atque vobis timere. Quare cum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinæ et de omnibus coniuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit; si paululum modo vos languere viderint, iam omnes feroces aderunt. Nolite existumare, maiores nostros armis rem publicam ex parva magnam fecisse. Si ita res esset, multo pulcherrumam eam nos haberemus; quippe sociorum atque civium, præterea armorum atque equorum maior copia nobis quam illis est. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum

Digitized by Google

imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque lubidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum est; omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum est, ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ aut gratiæ servitis; eo fit, ut impetus fiat in vacuam rem publicam. Sed ego hæc omitto. Coniuravere nobilissumi cives patriam incendere; Gallorum gentem infestissumam nomini Romano ad bellum accersunt; dux hostium cum exercitu supra caput est: vos cunctamini etiam nunc et dubitatis, quid intra mœnia hostibus deprehensis faciatis? Miseremini censeo; deliquere homines adulescentuli per ambitionem; atque etiam armatos dimittatis. Ne ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam convortatur. Scilicet res ipsa aspera est, sed vos non timetis eam. Immo vero maxume, sed inertia et mollitia animi alius alium expectantes cunctamini; videlicet diis immortalibus confisi, qui hanc rem publicam sæpe in maxumis periculis servavere. Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur; vigilando, agendo, bene consulendo prospera omnia cedunt; ubi socordiæ te atque ignaviæ tradideris, nequicquam deos implores, irati infestique sunt. Apud maiores nostros Aulus Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari iussit, atque ille egregius adulescens inmoderatæ fortitudinis morte pœnas dedit. Vos de crudelissumis parricidis quid statuatis cunctamini? Videlicet cetera vita eorum huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiæ, si famæ suæ, si diis atque hominibus umquam ullis pepercit; ignoscite Cethegi adulescentiæ, nisi iterum patriæ bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Cæpario loquar? quibus si quicquam umquam pensi

Digitized by Google

fuisset, non ea consilia de re publica habuissent. Postremo, patres conscripti, si mehercle peccato locus esset, facile paterer, vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis; sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu faucibus urget; alii intra mœnia atque in sinu urbis sunt hostes: neque parari neque consuli quicquam potest occulte; quo magis properandum est. Quare ita ego censeo: cum nefario consilio sceleratorum civium res publica in maxuma pericula venerit, hique indicio Titi Volturcii et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, cædem, incendia, aliaque se fœda atque crudelia facinora in cives patriamque paravisse, de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium more maiorum supplicium sumendum.»

LIII. Postquam Cato adsedit, consulares omnes itemque senatus magna pars sententiam eius laudant, virtutem animi ad cælum ferunt, alii alios increpantes timidos vocant; Cato clarus atque magnus habetur; senatus decretum fit, sicut ille censuerat. Sed multa mihi legenti, multa audienti, quæ populus Romanus domi militiæque, mari atque terra præclara facinora fecit, forte lubuit adtendere, quæ res maxume tanta negotia sustinuisset. Sciebam sæpe numero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse; cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus; ad hoc sæpe fortunæ violentiam toleravisse: facundia Græcos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse. Ac mihi multa agitanti constabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. Sed postquam luxu atque desidia civitas corrupta est, rursus res publica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat; ac, sicuti effeta parentum, multis tempestatibus haud sane quisquam Romæ virtute magnus fuit. Sed memoria mea ingenti virtute, divorsis moribus fuere viri duo,

Digitized by Google

M. Cato et G. Cæsar; quos quoniam res obtulerat, silentio præterire non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem.

LIV. Igitur his genus, ætas, eloquentia prope æqualia fuere; magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii. Cæsar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitæ Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus, huic severitas dignitatem addiderat. Cæsar dando, sublevando, ignoscendo, Cato nihil largiundo gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium erat, in altero malis pernicies; illius facilitas, huius constantia laudabatur. Postremo Cæsar in animum induxerat laborare, vigilare, negotiis amicorum intentus sua neglegere, nihil denegare, quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiæ, decoris, sed maxume severitatis erat. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse quam videri bonus malebat; ita, quo minus petebat gloriam, eo magis illam assequebatur.

LV. Postquam, ut dixi, senatus in Catonis sententiam discessit, consul optumum factu ratus noctem, quæ instabat, antecapere, ne quid eo spatio novaretur, triumviros quæ supplicium postulabat parare iubet; ipse præsidiis dispositis Lentulum in carcerem deducit; idem fit ceteris per prætores. Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur, ubi paululum ascenderis, ad lævam, circiter duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes atque insuper camera lapideis fornicibus iuncta, sed inculta, tenebris, odore fœda atque terribilis eius facies est. In eum locum postquam demissus est Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere. Ita ille patricius, ex gente

Digitized by Google

clarissuma Corneliorum, qui consulare imperium Romæ habuerat, dignum moribus factisque suis exitium vitæ invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Cæpario eodem modo supplicium sumptum est.

LVI. Dum ea Romæ geruntur, Catilina ex omni copia, quam et ipse adduxerat et Manlius habuerat, duas legiones instituit, cohortes pro numero militum complet; deinde, ut quisque voluntarius aut ex sociis in castra venerat, æqualiter distribuerat, ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat, cum initio non amplius duobus milibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii præacutas sudes portabant. Sed postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montes iter facere, modo ad urbem, modo Galliam versus castra movere, hostibus occasionem pugnandi non dare; sperabat propediem magnas copias sese habiturum, si Romæ socii incepta patravissent. Interea servitia repudiabat, cuius initio ad eum magnæ copiæ concurrebant, opibus coniurationis fretus, simul alienum suis rationibus existumans, videri causam civium cum servis fugitivis conmunicavisse.

LVII. Sed postquam in castra nuntius pervenit, Romæ coniurationem patefactam, de Lentulo et Cethego ceterisque, quos supra memoravi, supplicium sumptum; plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium illexerat, dilabuntur; reliquos Catilina per montes asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit eo consilio, uti per tramites occulte perfugeret in Galliam Transalpinam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno præsidebat, ex difficultate rerum eadem illa existumans, quæ supra diximus Catilinam agitare. Igitur, ubi iter eius ex perfugis cognovit, castra propere movit ac sub ipsis radicibus montium

Digitized by Google

consedit, qua illi descensus erat in Galliam properanti. Neque tamen Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis æquioribus expeditos in fuga sequeretur. Sed Catilina, postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res advorsas neque fugæ neque præsidii ullam spem, optumum factu ratus in tali re fortunam belli temptare, statuit cum Antonio quam primum confligere. Itaque contione advocata huiuscemodi orationem habuit:

LVIII. «Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere, neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta cuiusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet; quem neque gloria neque pericula excitant, nequicquam hortere, timor animi auribus officit. Sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi; simul uti causam mei consilii aperirem. Scitis equidem, milites, socordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi nobisque cladem attulerit, quoque modo, dum ex urbe præsidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc vero quo loco res nostræ sint, iuxta mecum omnes intellegitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obstant; diutius in his locis esse, si maxume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet. Quocumque ire placet, ferro iter aperiundum est. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis et, cum prælium inibitis, memineritis, vos divitias, decus, gloriam, præterea libertatem atque patriam in dextris vestris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt, commeatus abunde, municipia atque coloniæ patebunt; si metu cesserimus, eadem illa advorsa fient: neque locus neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Præterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet. Nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus; illis supervacaneum est pro potentia paucorum

pugnare. Quo audacius adgrediamini, memores pristinæ virtutis. Licuit vobis cum summa turpitudine in exilio ætatem agere: potuistis nonnulli Romæ amissis bonis alienas opes expectare. Quia illa fœda atque intoleranda viris videbantur, hæc sequi decrevistis. Si hæc relinquere voltis, audacia opus est; nemo nisi victor pace bellum mutavit. Nam in fuga sperare salutem, cum arma, quibus corpus tegitur, ab hostibus avorteris, ea vero dementia est. Semper in prælio maxumum est periculum, qui maxume timent; audacia pro muro habetur. Cum vos considero, milites, et cum facta vestra æstumo, magna me spes victoriæ tenet. Animus, ætas, virtus vestra me hortantur, præterea necessitudo, quæ etiam timidos fortes facit. Nam multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiæ loci. Quodsi virtuti vestræ fortuna inviderit, cavete, inulti animam amittatis; neu capti potius sicuti pecora trucidemini, quam virorum more pugnantes cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.»

LIX. Hæc ubi dixit, paululum commoratus, signa canere iubet atque instructos ordines in locum æquum deducit. Dein remotis omnium equis, quo militibus exæquato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copiis instruit. Nam uti planities erat inter sinistros montes et ab dextra rupe aspera, octo cohortes in fronte constituit, reliquarum signa in subsidio artius collocat. Ab his centuriones omnes, lectos et evocatos, præterea ex gregariis militibus optumum quemque armatum in primam aciem subducit. G. Manlium in dextra, Fæsulanum quendam in sinistra parte curare iubet; ipse cum libertis et colonis propter aquilam adsistit, quam bello Cimbrico G. Marius in exercitu habuisse dicebatur. At ex altera parte G. Antonius, pedibus æger, quod prælio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. Ille cohortes veteranas, quas tumultus causa conscrip-

Digitized by Google

serat, in fronte, post eas ceterum exercitum in subsidiis locat. Ipse equo circumiens, unumquemque nominans appellat, hortatur, rogat, ut meminerint se contra latrones inermes pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis certare. Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus aut præfectus aut legatus aut prætor cum magna gloria in exercitu fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat; ea commemorando militum animos accendebat.

LX. Sed ubi, omnibus rebus exploratis, Petreius tuba signum dat, cohortes paulatim incedere iubet; idem facit hostium exercitus. Postquam eo ventum est, unde a ferentariis prælium committi posset, maxumo clamore cum infestis signis concurrunt; pila omittunt, gladiis res geritur. Veterani, pristinæ virtutis memores, comminus acriter instare, illi haud timidi resistunt; maxuma vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis accersere, omnia providere, multum pugnare ipse, sæpe hostem ferire; strenui militis et boni imperatoris officia simul exequebatur. Petreius ubi videt Catilinam, contra ac ratus erat, magna vi tendere, cohortem prætoriam in medios hostes inducit, eosque perturbatos atque alios alibi resistentes interficit; deinde utrimque ex lateribus ceteros adgreditur. Manlius et Fæsulanus in primis pugnantes cadunt. Postquam Catilina fusas copias seque cum paucis relictum videt, memor generis atque pristinæ suæ dignitatis in confertissumos hostis incurrit ibique pugnans confoditur.

LXI. Sed confecto prælio, tum vero cerneres, quanta audacia, quanta vis animi fuisset in exercitu Catilinæ. Nam fere quem quisque vivus pugnando locum ceperat, eum anima amissa corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors prætoria disiecerat, paulo divorsius, sed omnes tamen advorsis vulneribus conciderant. Catilina vero longe a suis inter hostium

cadavera repertus est, paululum etiam spirans ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens. Postremo ex omni copia neque in prælio neque in fuga quisquam civis ingenuus captus est. Ita cuncti suæ hostiumque vitæ iuxta pepercerant. Neque tamen exercitus populi Romani lætam aut incruentam victoriam adeptus erat; nam strenuissumus quisque aut occiderat in prælio, aut graviter vulneratus discesserat. Multi autem, qui e castris visundi aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem aut cognatum reperiebant; fuere item, qui inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum lætitia, mœror, luctus atque gaudia agitabantur.

Digitized by Google

G. SALUSTII CRISPI

BELLUM IUGURTHINUM.

I. Falso queritur de natura sua genus humanum, quod inbecilla atque ævi brevis forte potius quam virtute regatur. Nam contra reputando neque maius aliud neque præstabilius invenias, magisque naturæ industriam hominum quam vim aut tempus deesse. Sed dux atque imperator vitæ mortalium animus est, qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est, neque fortuna eget, quippe probitatem, industriam aliasque artes bonas neque dare neque eripere cuiquam potest. Sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessum datus est, perniciosa lubidine paulisper usus, ubi per socordiam vires, tempus, ingenium diffluxere, naturæ infirmitas accusatur; suam quisque culpam auctores ad negotia transferunt. Quodsi hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multaque etiam periculosa petunt; neque regerentur magis quam regerent casus, et eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria æterni fierent.

II. Nam uti genus hominum compositum ex corpore et anima est, ita res cunctæ studiaque omnia nostra corporis alia, alia animi naturam sequuntur. Igitur præclara facies, magnæ divitiæ, ad hoc vis corporis et alia omnia huiuscemodi brevi dilabuntur, at ingenii egregia facinora sicuti anima inmortalia sunt. Postremo corporis et fortunæ bonorum ut

initium, sic finis est; omniaque orta occidunt et aucta senescunt; animus incorruptus, æternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui dediti corporis gaudiis per luxum et ignaviam ætatem agunt: ceterum ingenium, quo neque melius neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque socordia torpescere sinunt; cum præsertim tam multæ variæque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur.

III. Verum ex his magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum, minume mihi hac tempestate cupiunda videntur: quoniam neque virtuti honos datur, neque illi, quibus per fraudem ius fuit, tuti aut eo magis honesti sunt. Nam vi quidem regere patriam aut parentes, quamquam et possis et delicta corrigas, tamen inportunum est; cum præsertim omnes rerum mutationes cædem, fugam, aliaque hostilia portendant; frustra autem niti neque aliud se fatigando nisi odium quærere, extremæ dementiæ est; nisi forte quem inhonesta et perniciosa lubido tenet, potentiæ paucorum decus atque libertatem suam gratificari.

IV. Ceterum ex aliis negotiis, quæ ingenio exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum, cuius de virtute quia multi dixere, prætereundum puto; simul ne per insolentiam quis existumet memet studium meum laudando extollere. Atque ego credo fore, qui, quia decrevi procul a re publica ætatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiæ imponant, certe quibus maxuma industria videtur salutare plebem et conviviis gratiam quærere. Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratum adeptus sim, et quales viri idem adsequi nequiverint, et postea quæ genera hominum in senatum pervenerint, profecto existumabunt, me magis merito quam ignavia iudicium animi mei mutavisse, maiusque commodum ex otio meo quam ex aliorum negotiis rei

Digitized by Google

publicæ venturum. Nam sæpe ego audivi, Quintum Maxumum, Publium Scipionem, præterea civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere, cum maiorum imagines intuerentur, vehementissume sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit. At contra, quis est omnium his moribus, quin divitiis et sumptibus, non probitate neque industria cum maioribus suis contendat? etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia potius quam bonis artibus ad imperia et honores nituntur; perinde quasi prætura et consulatus atque alia omnia huiuscemodi per se ipsa clara (et) magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, virtus est. Verum ego liberius altiusque processi, dum me civitatis morum piget tædetque; nunc ad inceptum redeo.

v. Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iugurtha, rege Numidarum, gessit; primum quia magnum et atrox variaque victoria fuit, dein quia tunc primum superbiæ nobilitatis obviam itum est, quæ contentio divina et humana cuncta permiscuit eoque vecordiæ processit, ut studiis civilibus bellum atque vastitas Italiæ finem faceret. Sed priusquam huiuscemodi rei initium expediam, pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia inlustria magis magisque in aperto sint. Bello Punico secundo, quo dux Carthaginiensium Hannibal post magnitudinem nominis Romani Italiæ opes maxume adtriverat, Masinissa, rex Numidarum, in amicitiam receptus a P. Scipione, cui postea Africano cognomen ex virtute fuit, multa et præclara rei militaris facinora fecerat: ob quæ, victis Carthaginiensibus et capto Suface, cuius in Africa magnum atque late imperium valuit, populus Romanus, quascumque

Digitized by Google

urbes et agros manu ceperat, regi dono dedit. Igitur amicitia Masinissæ bona atque honesta nobis permansit; sed imperii vitæque eius finis idem fuit. Dein Micipsa filius regnum solus obtinuit, Mastanabale et Gulussa fratribus morbo absumptis. Is Adherbalem et Hiempsalem ex sese genuit, Iugurthamque, filium Mastanabalis fratris, quem Masinissa, quod ortus ex concubina erat, privatum dereliquerat, eodem cultu quo liberos suos domi habuit.

VI. Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxume ingenio validus, non se luxui neque inertiæ corrumpendum dedit, sed, uti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum æqualibus certare et, cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen carus esse; ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire; plurimum facere et minumum ipse de se loqui. Quibus rebus Micipsa tametsi initio lætus fuerat, existumans virtutem Iugurthæ regno suo gloriæ fore, tamen postquam hominem adulescentem, exacta sua ætate et parvis liberis, magis magisque crescere intellegit, vehementer eo negotio permotus, multa cum animo suo volvebat. Terrebat eum natura mortalium avida imperii et præceps ad explendam animi cupidinem, præterea oportunitas suæ liberorumque ætatis, quæ etiam mediocres viros spe prædæ transvorsos agit, ad hoc studia Numidarum in Iugurtham accensa; ex quibus, si talem virum dolis interfecisset, ne qua seditio aut bellum oriretur, anxius erat.

VII. His difficultatibus circumventus ubi videt neque per vim neque insidiis opprimi posse hominem tam acceptum popularibus, quod erat Iugurtha manu promptus et appetens gloriæ militaris, statuit eum obiectare periculis et eo modo fortunam temptare. Igitur bello Numantino Micipsa, cum populo Romano equitum atque peditum auxilia mitteret, sperans vel ostentando

Digitized by Google

virtutem vel hostium sævitia facile eum occasurum, præfecit Numidis, quos in Hispaniam mittebat. Sed ea res longe aliter, ac ratus erat, evenit. Nam Iugurtha, ut erat inpigro atque acri ingenio, ubi naturam P. Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, et morem hostium cognovit, multo labore multaque cura, præterea modestissume parendo et sæpe obviam eundo periculis in tantam claritudinem brevi pervenerat, ut nostris vehementer carus, Numantinis maxumo terrori esset. Ac sane, quod difficillumum in primis est, et prælio strenuus erat et bonus consilio; quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerumque solet. Igitur imperator omnes fere res asperas per Iugurtham agere, in amicis habere, magis magisque eum in dies amplecti; quippe cuius neque consilium neque inceptum ullum frustra erat. Huc accedebat munificentia animi et ingenii sollertia, quibus rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia coniunxerat.

VIII. Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures novi atque nobiles, quibus divitiæ bono honestoque potiores erant, factiosi, domi potentes, apud socios clari magis quam honesti; qui Iugurthæ non mediocrem animum pollicitando accendebant, si Micipsa rex occidisset, fore, uti solus imperio Numidiæ potiretur; in ipso maxumam virtutem, Romæ omnia venalia esse. Sed postquam, Numantia deleta, P. Scipio dimittere auxilia et ipse revorti domum decrevit, donatum atque laudatum magnifice pro contione Iugurtham in prætorium adduxit ibique secreto monuit, ut potius publice quam privatim amicitiam populi R. coleret, neu quibus largiri insuesceret; periculose a paucis emi, quod multorum esset; si permanere vellet in suis artibus, ultro illi et gloriam et regnum venturum, sin properantius pergeret, suamet ipsum pecunia præcipitem casurum.

IX. Sic locutus cum litteris eum, quas Micipsæ redderet, dimisit; earum sententia hæc erat: «Iugurthæ tui bello Numantino longe maxuma virtus fuit; quam rem tibi certo scio gaudio esse. Nobis ob merita sua carus est; ut idem senatui et populo Romano sit, summa ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor, en habes virum dignum te atque avo suo Masinissa.» Igitur rex ubi ea, quæ fama acceperat, ex litteris imperatoris ita esse cognovit, cum virtute tum gratia viri permotus flexit animum suum et Iurgurtham beneficiis vincere aggressus est; statimque eum adoptavit et testamento pariter cum filiis heredem instituit. Sed ipse paucos post annos morbo atque ætate confectus, cum sibi finem vitæ adesse intellegeret, coram amicis et cognatis itemque Adherbale et Hiempsale filiis dicitur huiuscemodi verba cum Iugurtha habuisse:

X. «Parvum ego, Iugurtha, te, amisso patre, sine spe, sine opibus, in meum regnum accepi, existumans non minus me tibi quam liberis, si genuissem, ob beneficia carum fore; neque ea res falsum me habuit. Nam ut alia magna et egregia tua omittam, novissume rediens Numantia meque regnumque meum gloria honoravisti tuaque virtute nobis Romanos ex amicis amicissumos fecisti. In Hispania nomen familiæ renovatum est: postremo, quod difficillumum inter mortales est, gloria invidiam vicisti. Nunc quoniam mihi natura finem vitæ facit, per hanc dexteram, per regni fidem moneo obtestorque te, uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas, neu malis alienos adiungere quam sanguine coniunctos retinere. Non exercitus neque thesauri præsidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio et fide pariuntur. Quis autem amicior quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? Equidem ego vobis regnum trado firmum,

Digitized by Google

si boni eritis; sin mali, inbecillum. Nam concordia parvæ res crescunt, discordia maxumæ dilabuntur. Ceterum ante hos te, Iugurtha, qui ætate et sapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet. Nam in omni certamine, qui opulentior est, etiam si accipit iniuriam, tamen quia plus potest, facere videtur. Vos autem, Adherbal et Hiempsal, colite, observate talem hunc virum, imitamini virtutem, et enitimini, ne ego meliores liberos sumpsisse videar quam genuisse.»

XI. Ad ea Iugurtha, tametsi regem ficta locutum intellegebat et ipse longe aliter animo agitabat, tamen pro tempore benigne respondit. Micipsa paucis post diebus moritur. Postquam illi more regio iusta magnifice fecerant, reguli in unum convenerunt, ut inter se de cunctis negotiis disceptarent. Sed Hiempsal, qui minumus ex illis erat, natura ferox et iam ante ignobilitatem Iugurthæ (quia materno genere impar erat) despiciens , dextra Adherbalem assedit, ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Iugurtha foret. Dein tamen, ut ætati concederet, fatigatus a fratre, vix in partem alteram transductus est. Ibi cum multa de administrando imperio dissererent, Iugurtha inter alias res iacit: oportere quinquennii consulta et decreta omnia rescindi; nam per ea tempora confectum annis Micipsam parum animo valuisse. Tum idem Hiempsal placere sibi respondit; nam ipsum illum his tribus proxumis annis adoptatione in regnum pervenisse. Quod verbum in pectus Iugurthæ altius, quam quisquam ratus erat, descendit. Itaque ex eo tempore ira et metu anxius moliri, parare, atque ea modo cum animo habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur. Quæ ubi tardius procedunt neque lenitur animus ferox, statuit quovis modo inceptum perficere.

XII. Primo conventu, quem ab regulis factum supra memoravi, propter dissensionem placuerat dividi thesauros finesque

imperii singulis constitui. Itaque tempus ad utramque rem decernitur, sed maturius ad pecuniam distribuendam. Reguli interea in loca propinqua thesauris alius alio concessere. Sed Hiempsal in oppido Tirmida forte eius domo utebatur, qui proxumus lictor Iugurthæ carus acceptusque ei semper fuerat, quem ille casu ministrum oblatum promissis onerat inpellitque, uti tamquam suam visens domum eat, portarum claves adulterinas paret, (nam veræ ad Hiempsalem referebantur) ceterum, ubi res postularet, se ipsum cum magna manu venturum. Numida mandata brevi conficit atque, uti doctus erat, noctu Iugurthæ milites introducit. Qui postquam in ædes irrupere, divorsi regem quærere, dormientes alios, alios occursantes interficere, scrutari loca abdita, clausa effringere, strepitu et tumultu omnia miscere: cum Hiempsal interim reperitur occultans se tugurio mulieris ancillæ, quo initio pavidus et ignarus loci perfugerat. Numidæ caput eius, ut iussi erant, ad Iugurtham referunt.

XIII. Ceterum fama tanti facinoris per omnem Africam brevi divulgatur, Adherbalem omnesque, qui sub imperio Micipsæ fuerant, metus invadit; in duas partes discedunt Numidæ; plures Adherbalem secuntur, sed illum alterum bello meliores. Igitur Iugurtha quam maxumas potest copias armat, urbes partim vi, alias voluntate imperio suo adiungit, omni Numidiæ imperare parat. Adherbal, tametsi Romam legatos miserat, qui senatum docerent de cæde fratris et fortunis suis, tamen fretus multitudine militum parabat armis contendere. Sed ubi res ad certamen venit, victus ex prælio profugit in provinciam ac deinde Romam contendit. Tum Iugurtha patratis consiliis, postquam omnis Numidiæ potiebatur, in otio facinus suum cum animo reputans, timere populum Romanum neque advorsus iram eius usquam nisi in avaritia nobilitatis et pecunia sua spem habere. Itaque paucis diebus cum auro

Digitized by Google

et argento multo Romam legatos mittit, quis præcipit, primum uti veteres amicos muneribus expleant, deinde novos adquirant: postremo quæcumque possint largiundo parare ne cunctentur. Sed ubi Romam legati venere et ex præcepto regis hospitibus aliisque, quorum ea tempestate in senatu auctoritas pollebat, magna munera misere, tanta commutatio incessit, ut ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Iugurtha veniret; quorum pars spe, alii præmio inducti, singulos ex senatu ambiundo nitebantur, ne gravius in eum consuleretur. Igitur, ubi legati satis confidunt, die constituto, senatus utrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo locutum accepimus:

XIV. «Patres conscripti. Micipsa pater meus moriens mihi præcepit, uti regni Numidiæ tantummodo procurationem existumarem meam, ceterum ius et imperium eius penes vos esse; simul eniterer domi militiæque quam maxumo usui esse populo Romano; vos mihi cognatorum, vos in adfinium locum ducerem: si ea fecissem, in vestra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habiturum. Quæ cum præcepta parentis mei agitarem, Iugurtha, homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissumus, contempto imperio vestro, Masinissæ me nepotem et iam ab stirpe socium atque amicum populi Romani regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, patres conscripti, quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem potius ob mea quam ob maiorum meorum beneficia posse me a vobis auxilium petere, ac maxume deberi mihi beneficia populi Romani, quibus non egerem, secundum ea, si desideranda erant, uti debitis uterer. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas est, neque mihi in manu fuit, Iugurtha qualis foret, ad vos confugi, patres conscripti, quibus, quod mihi miserrumum est, cogor prius oneri quam usui esse. Ceteri reges aut bello victi in amicitiam a vobis recepti sunt, aut in suis dubiis rebus societatem vestram appetiverunt; familia nostra

cum populo Romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides eius quam fortuna petenda erat. Quorum progeniem vos, patres conscripti, nolite pati, me, nepotem Masinissæ, frustra a vobis auxilium petere. Si ad inpetrandum nihil causæ haberem præter miserandam fortunam, quod paulo ante rex, genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus ærumnis, inops, alienas opes expeto, tamen erat maiestatis populi Romani prohibere iniuriam neque pati cuiusquam regnum per scelus crescere. Verum ego his finibus eiectus sum, quos maioribus meis populus Romanus dedit, unde pater et avus meus una vobiscum expulere Sufacem et Carthaginienses. Vestra beneficia mihi erepta sunt, patres conscripti, vos in mea iniuria despecti estis. Eheu me miserum! Huccine, Micipsa pater, beneficia tua evasere, ut, quem tu parem cum liberis tuis regnique participem fecisti, is potissumum stirpis tuæ extinctor sit? Numquamne ergo familia nostra quieta erit? semperne in sanguine, ferro, fuga versabitur? Dum Carthaginienses incolumes fuere, iure omnia sæva patiebamur, hostes ab latere, vos amici procul, spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis ex Africa eiecta est, læti pacem agitabamus: quippe quis hostis nullus erat, nisi forte quem vos iussissetis. Ecce autem ex inproviso Iugurtha, intoleranda audacia, scelere atque superbia se efferens, fratre meo atque eodem propinquo suo interfecto, primum eius regnum sceleris sui prædam fecit: post, ubi me iisdem dolis nequit capere, nihil minus quam vim aut bellum expectantem in imperio vestro, sicut videtis, extorrem patria, domo, inopem et coopertum miseriis effecit, ut ubivis tutius quam in regno meo essem. Ego sic existumabam, patres conscripti, ut prædicantem audiveram patrem meum, qui vestram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere, ceterum ex omnibus maxume tutos esse. Quod in familia

Digitized by Google

nostra fuit, præstitit, uti in omnibus bellis adesset vobis; nos uti per otium tuti simus, in vestra manu est, patres conscripti. Pater nos duos fratres reliquit, tertium, Iugurtham, beneficiis suis ratus est coniunctum nobis fore; alter eorum necatus est, alterius ego ipse manus impias vix effugi. Quid agam aut quo potissumum infelix accedam? generis præsidia omnia extincta sunt; pater, uti necesse erat, naturæ concessit; fratri, quem minume decuit, propinquus per scelus vitam eripuit; affines, amicos, propinquos ceteros meos alium alia clades oppressit: capti ab Iugurtha, pars in crucem acti, pars bestiis obiecti sunt. Pauci, quibus relicta est anima, clausi in tenebris, cum mœrore et luctu morte graviorem vitam exigunt. Si omnia, quæ aut amisi aut ex necessariis advorsa facta sunt, incolumia manerent, tamen, si quid ex inproviso mali accidisset, vos implorarem, patres conscripti, quibus pro magnitudine imperii ius et iniurias omnes curæ esse decet. Nunc vero exul patria, domo, solus atque omnium honestarum rerum egens, quo accedam, aut quos appellem? nationesne an reges, qui omnes familiæ nostræ ob vestram amicitiam infesti sunt? an quoquam mihi adire licet, ubi non maiorum meorum hostilia monumenta plurima sint? aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Postremo Masinissa nos ita instituit, patres conscripti, ne quem coleremus, nisi populum Romanum, ne societates, ne fœdera nova acciperemus; abunde magna præsidia nobis in vestra amicitia fore, si huic imperio fortuna mutaretur, una occidendum nobis esse. Virtute ac diis volentibus magni estis et opulenti, omnia secunda et obœdientia sunt; quo facilius sociorum iniurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Iugurthæ, parum cognita, transvorsos agat; quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente incognita causa statuatis: fingere me verba et fugam

simulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam illum, cuius impio facinore in has miserias proiectus sum, eadem hæc simulantem videam, et aliquando aut apud vos aut apud deos inmortales rerum humanarum cura oriatur! næ ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque præclarus est, omnibus malis excruciatus, impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis mearumque miseriarum graves pœnas reddat. Iam iam frater, animo meo carissume, quamquam tibi inmaturo et unde minume decuit vita erepta est: tamen lætandum magis quam dolendum puto casum tuum; non enim regnum tuum, sed fugam, exilium, egestatem et omnis has, quæ me premunt, ærumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix, in tanta mala præcipitatus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum præbeo, incertus quid agam, tuasne iniurias persequar, ipse auxilii egens, an regno consulam, cuius vitæ necisque potestas ex opibus alienis pendet. Utinam emori fortunis meis honestus exitus esset! neu vivere contemptus viderer, si defessus malis iniuriæ concessissem. Nunc neque vivere lubet neque mori licet sine dedecore. Patres conscripti, per vos, per liberos atque parentes vestros, per maiestatem populi Romani subvenite mihi misero, ite obviam iniuriæ, nolite pati, regnum Numidiæ, quod vestrum est, per scelus et sanguinem familiæ nostræ tabescere.»

XV. Postquam rex finem loquendi fecit, legati Iugurthæ largitione magis quam causa freti, paucis respondent: «Hiempsalem ob sævitiam suam ab Numidis interfectum. Adherbalem ultro bellum inferentem, postquam superatus sit, queri, quod iniuriam facere nequivisset. Iugurtham ab senatu petere, ne se alium putarent, ac Numantiæ cognitus esset, neu verba inimici ante facta sua ponerent.» Deinde utrique curia egrediuntur. Senatus statim consulitur; fautores legatorum, præterea senatus magna pars gratia depravata, Adherbalis dicta

Digitized by Google

contemnere, Iugurthæ virtutem extollere laudibus; gratia, voce, denique omnibus modis pro alieno scelere et flagitio sua quasi pro gloria nitebantur. At contra pauci, quibus bonum et æquum divitiis carius erat, subveniundum Adherbali et Hiempsalis mortem severe vindicandam censebant. Sed ex omnibus maxume Aemilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiæ, honoris, divitiarum, ceterum vitia sua callide occultans. Is postquam videt regis largitionem famosam inpudentemque veritus, quod in tali re solet, ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a consueta lubidine continuit.

XVI. Vicit tamen in senatu pars illa, quæ vero pretium aut gratiam anteferebat. Decretum fit, uti decem legati regnum, quod Micipsa obtinuerat, inter Iugurtham et Adherbalem dividerent; cuius legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus et tum in senatu potens, quia consul, G. Graccho et M. Fulvio Flacco interfectis, acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Iugurtha tametsi Romæ in amicis habuerat, tamen accuratissime recepit; dando et pollicitando multa perfecit, uti famæ, fide, postremo omnibus suis rebus commodum regis anteferret. Reliquos legatos eadem via aggressus, plerosque capit, paucis carior fides quam pecunia fuit. In divisione, quæ pars Numidiæ Mauretaniam attingit, agro virisque opulentior, Iugurthæ traditur; illam alteram, specie quam usu potiorem, quæ portuosior et ædificiis magis exornata erat, Adherbal possedit.

XVII. Res postulare videtur Africæ situm paucis exponere et eas gentes, quibuscum nobis bellum aut amicitia fuit, attingere. Sed quæ loca et nationes ob calorem aut asperitatem item solitudines minus frequentata sunt, de his haud facile compertum narraverim, cetera quam paucissumis absolvam. In divisione orbis terræ plerique in parte tertia Africam posuere,

pauci tantummodo Asiam et Europam esse, sed Africam in Europa. Ea fines habet ab occidente fretum nostri maris et oceani, ab ortu solis declivem latitudinem, quem locum Catabathmon incolæ appellant. Mare sævum, inportuosum, ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infecundus; cœlo terraque penuria aquarum. Genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum; plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro aut bestiis interiere; nam morbus haud sæpe quemquam superat. Ad hoc malefici generis plurima animalia. Sed qui mortales initio Africam habuerint quique postea accesserint, aut quomodo inter se permixti sint, quamquam ab ea fama, quæ plerosque obtinet, divorsum est: tamen uti ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur, interpretatum nobis est, utique rem sese habere cultores eius terræ putant, quam paucissumis dicam. Ceterum fides eius rei penes auctores erit.

XVIII. Africam initio habuere Gætuli et Libyes, asperi incultique, quis cibus erat caro ferina atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus neque lege aut imperio cuiusquam regebantur; vagi, palantes, quas nox coegerat, sedes habebant. Sed postquam in Hispania Hercules, sicuti Afri putant, interiit; exercitus eius, compositus ex variis gentibus, amisso duce ac passim multis sibi quisque imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Persæ et Armeni, navibus in Africam transvecti, proxumos nostro mari locos occupavere. Sed Persæ intra oceanum magis; hique alveos navium invorsos pro tuguriis habuere, quia neque materia in agris neque ab Hispanis emendi aut mutandi copia erat, mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant. Hi paulatim per conubia Gætulos secum miscuere, et quia sæpe temptantes agros alia deinde alia loca petiverant, semet ipsi Numidas appellavere. Ceterum adhuc ædificia Numidarum agrestium, quæ mapalia illi appellant, oblonga, incurvis lateribus tecta,

Digitized by Google

quasi navium carinæ sunt. Medis autem et Armenis accessere Libyes (nam hi propius mare Africum agitabant; Gætuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus) hique mature oppida habuere; nam freto divisi ab Hispania mutare res inter se instituerant. Nomen eorum paulatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros pro Medis appellantes. Sed res Persarum brevi adolevit, ac postea nomine Numidæ propter multitudinem a parentibus digressi possedere ea loca, quæ proxume Carthaginem Numidia appellatur. Deinde utrique alteris freti finitumos armis aut metu sub imperium suum coegere, nomen gloriamque sibi addidere, magis hi, qui ad nostrum mare processerant, quia Libyes quam Gætuli minus bellicosi; denique Africæ pars inferior pleraque ab Numidis possessa est; victi omnes in gentem nomenque inperantium concessere.

XIX. Postea Phœnices, alii multitudinis domi minuendæ gratia, pars imperii cupidine, sollicitata plebe et aliis novarum rerum avidis, Hipponem, Hadrumetum, Leptim aliasque urbes in ora maritima condidere: eæque brevi multum auctæ, pars originibus suis præsidio, aliæ decori fuere; nam de Carthagine silere melius puto quam parum dicere, quoniam alio properare tempus monet. Igitur ad Catabathmon, qui locus Aegyptum ab Africa dividit, secundo mari prima Cyrene est, colonia Thereon, ac deinceps duæ Syrtes interque eas Leptis, deinde Philenon aræ, quem locum Aegyptum versus finem imperii habuere Carthaginienses, post aliæ Punicæ urbes. Cetera loca usque ad Mauretaniam Numidæ tenent, proxume Hispaniam Mauri sunt, super Numidiam Gætulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare, post eos Aethiopas esse, dehinc loca exusta solis ardoribus. Igitur bello Iugurthino pleraque ex Punicis oppida et fines Carthaginiensium, quos novissume habuerant, populus Romanus per magistratus administrabat, Gætulorum magna pars et Numidæ usque ad

flumen Muluccham sub Iugurtha erant, Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, præter nomen cetera ignarus populi Romani, itemque nobis neque bello neque pace antea cognitus. De Africa et eius incolis ad necessitudinem rei satis dictum.

XX. Postquam diviso regno legati Africa discessere, et Iugurtha contra timorem animi præmia sceleris adeptum sese videt; certum esse ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romæ venalia esse, simul et illorum pollicitationibus accensus, quos paulo ante muneribus expleverat, in regnum Adherbalis animum intendit. Ipse acer, bellicosus; at is, quem petebat, quietus, inbellis, placido ingenio, opportunus iniuriæ, metuens magis quam metuendus. Igitur ex inproviso fines eius cum magna manu invadit, multos mortales cum pecore atque alia præda capit, ædificia incendit, pleraque loca hostiliter cum equitatu accedit, dein cum omni multitudine in regnum suum convertit, existumans Adherbabalem dolore permotum iniurias suas manu vindicaturum eamque rem belli causam fore. At ille, quod neque se parem armis existumabat et amicitia populi Romani magis quam Numidis fretus erat, legatos ad Iugurtham de iniuriis questum misit, qui tametsi contumeliosa dicta retulerant, prius tamen omnia pati decrevit quam bellum sumere: quia temptatum antea secus cesserat. Neque eo magis cupido Iugurthæ minuebatur, quippe qui totum eius regnum animo iam invaserat. Itaque non uti antea cum prædatoria manu, sed magno exercitu comparato bellum gerere cœpit et aperte totius Numidiæ imperium petere. Ceterum qua pergebat urbes, agros vastare, prædas agere, suis animum, hostibus terrorem augere.

XXI. Adherbal ubi intellegit eo processum, uti regnum aut relinquendum esset aut armis retinendum, necessario copias parat et Iugurthæ obvius procedit. Interim haud longe a

Digitized by Google

mari prope Cirtam oppidum utriusque exercitus consedit et quia diei extremum erat, prælium non inceptum. Sed ubi plerumque noctis processit, obscuro etiam tum lumine, milites Iugurthini signo dato castra hostium invadunt; semisomnos partim, alios arma sumentes fugant funduntque. Adherbal cum paucis equitibus Cirtam profugit, et ni multitudo togatorum fuisset, quæ Numidas insequentes mœnibus prohibuit, uno die inter duos reges cœptum atque patratum bellum foret. Igitur Iugurtha oppidum circumsedit, vineis turribusque et machinis omnium generum expugnare adgreditur, maxume festinans tempus legatorum antecapere, quos ante prælium factum ab Adherbale Romam missos audiverat. Sed postquam senatus de bello eorum accepit, tres adulescentes in Africam legantur, qui ambos reges adeant, senatus populique Romani verbis nuntient: «Velle et censere, eos ab armis discedere, de controversiis suis iure potius quam bello disceptare, ita seque illisque dignum esse.»

XXII. Legati in Africam maturantes veniunt eo magis, quod Romæ, dum proficisci parant, de prælio facto et obpugnatione Cirtæ audiebatur; sed is rumor clemens erat. Quorum Iugurtha accepta oratione respondit: «Sibi neque maius quicquam neque carius auctoritate senatus esse; ab adulescentia ita se enisum, ut ab optumo quoque probaretur: virtute non malitia P. Scipioni, summo viro, placuisse: ob easdem artes a Micipsa, non penuria liberorum, in regnum adoptatum esse: ceterum quod plura bene atque strenue fecisset, eo animum suum iniuriam minus tolerare: Adherbalem dolis vitæ suæ insidiatum; quod ubi comperisset, sceleri eius obviam isse: populum Romanum neque recte neque pro bono facturum, si ab iure gentium sese prohibuerit; postremo de omnibus rebus legatos Romam brevi missurum.» Ita utrique digrediuntur. Adherbalis appellandi copia non fuit.

Digitized by Google

XXIII. Iugurtha ubi eos Africa decessisse ratus est neque propter loci naturam Cirtam armis expugnare potest, vallo atque fossa mœnia circumdat, turris extruit easque præsidiis firmat; præterea dies noctesque aut per vim aut dolis temptare, defensoribus mœnium præmia modo, modo formidinem ostentare, suos hortando ad virtutem arrigere, prorsus intentus cuncta parare. Adherbal, ubi intellegit, omnis suas fortunas in extremo sitas, hostem infestum, auxilii spem nullam, penuria rerum necessariarum bellum trahi non posse; ex his, qui una Cirtam profugerant, duos maxume inpigros delegit, eos multa pollicendo ac miserando casum suum confirmat, uti per hostium munitiones noctu ad proxumum mare, dein Romam pergerent. Numidæ paucis diebus iussa efficiunt; litteræ Adherbalis in senatu recitatæ, quarum sententia hæc fuit:

XXIV. «Non mea culpa sæpe ad vos oratum mitto, patres conscripti, sed vis Iugurthæ subigit, quem tanta lubido extinguendi me invasit, ut neque vos neque deos inmortales in animo habeat, sanguinem meum quam omnia malit. Itaque quintum iam mensem socius et amicus populi Romani armis obsessus teneor, neque mihi Micipsæ patris mei beneficia neque vestra decreta auxiliantur, ferro an fame acrius urgear incertus sum. Plura de Iugurtha scribere dehortatur me fortuna mea: etiam antea expertus sum, parum fidei miseris esse. Nisi tamen intelligo, illum supra quam ego sum petere, neque simul amicitiam vestram et regnum meum sperare; utrum gravius existumet, nemini occultum est. Nam initio occidit Hiempsalem fratrem meum: deinde patrio regno me expulit, quæ sane fuerint nostræ iniuriæ, nihil ad vos. Verum nunc vestrum regnum armis tenet, me, quem vos imperatorem Numidis posuistis, clausum obsidet; legatorum verba quanti fecerit, pericula mea declarant. Quid est reliquum nisi vis vestra, qua moveri possit? Nam ego quidem vellem et hæc quæ

Digitized by Google

scribo, et illa quæ antea in senatu questus sum, vana forent potius quam miseria mea fidem verbis faceret. Sed quoniam eo natus sum, ut Iugurthæ scelerum ostentui essem, non iam mortem neque ærumnas, tantummodo inimici imperium et cruciatus corporis deprecor. Regno Numidiæ, quod vestrum est, uti lubet consulite: me manibus impiis eripite per maiestatem imperii, per amicitiæ fidem, si ulla apud vos memoria remanet avi mei Masinissæ.

xxv. His litteris recitatis fuere qui exercitum in Africam mittendum censerent et quam primum Adherbali subveniundum; de Iugurtha interim uti consuleretur, quoniam legatis non paruisset. Sed ab isdem illis regis fautoribus summa ope enisum est, ne tale decretum fieret. Ita bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum. Legantur tamen in Africam maiores natu, nobiles, amplis honoribus usi, in quis fuit M. Scaurus, de quo supra memoravimus, consularis et tum in senatu princeps. Hi, quod res in invidia erat, simul et ab Numidis obsecrati, triduo navim ascendere; dein brevi Uticam adpulsi litteras ad Iugurtham mittunt, quam ocissume ad provinciam accedat, seque ad eum ab senatu missos. Ille ubi accepit, homines claros, quorum auctoritatem Romæ pollere audiverat, contra inceptum suum venisse; primo commotus, metu atque lubidine divorsus agitabatur. Timebat iram senatus, ni paruisset legatis; porro animus cupidine cæcus ad inceptum scelus rapiebatur. Vicit tamen in avido ingenio pravum consilium. Igitur exercitu circumdato summa vi Cirtam irrumpere nititur, maxume sperans diducta manu hostium aut vi aut dolis sese casum victoriæ inventurum. Quod ubi secus procedit neque quod intenderat efficere potest, ut prius, quam legatos conveniret, Adherbalis potiretur; ne amplius morando Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus in provinciam venit. Ac tametsi

senatus verbis graves minæ nuntiabantur, quod ab obpugnatione non desisteret, multa tamen oratione consumpta legati frustra discessere.

XXVI. Ea postquam Cirtæ audita sunt, Italici, quorum virtute mœnia defensabantur, confisi deditione facta propter magnitudinem populi Romani inviolatos sese fore, Adherbali suadent, uti seque et oppidum Iugurthæ tradat, tantum ab eo vitam paciscatur, de ceteris senatui curæ fore. At ille tametsi omnia potiora fide Iugurthæ rebatur, tamen quia penes eosdem, si advorsaretur, cogendi potestas erat, ita uti censuerant Italici, deditionem facit. Igitur Iugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat, deinde omnes puberes Numidas et negotiatores promiscue, uti quisque armatis obvius fuerat, interficit.

XXVII. Quod postquam Romæ cognitum est et res in senatu agitari cœpta, idem illi ministri regis interpellando ac sæpe gratia, interdum iurgiis trahendo tempus atrocitatem facti leniebant. Ac ni G. Memmius, tribunus plebis designatus, vir acer et infestus potentiæ nobilitatis, populum Romanum edocuisset id agi, ut per paucos factiosos Iugurthæ scelus condonaretur, profecto omnis invidia prolatandis consultationibus dilapsa foret. Tanta vis gratiæ atque pecuniæ regis erat. Sed ubi senatus delicti conscientia populum timet, lege Sempronia provinciæ futuris consulibus Numidia atque Italia decretæ; consules declarati P. Scipio Nasica, L. Bestia Calpurnius; Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit; deinde exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur, stipendium atque alia, quæ bello usui forent, decernuntur.

XXVIII. At Iugurtha contra spem nuntio accepto, quippe cui Romæ omnia venum ire in animo hæserat, filium et cum eo duos familiares ad senatum legatos mittit hisque uti illis, quos Hiempsale interfecto miserat, præcipit, omnes mortales

Digitized by Google

pecunia adgrediantur. Qui postquam Romam adventabant, senatus a Bestia consultus est: placeretne legatos Iugurthæ recipi mœnibus? hique decrevere, nisi regnum ipsumque deditum venissent, uti in diebus proxumis decem Italia decederent. Consul Numidis ex senatus decreto nuntiari iubet; ita infectis rebus illi domum discedunt. Interim Calpurnius parato exercitu legat sibi homines nobiles, factiosos, quorum auctoritate quæ deliquisset munita fore sperabat, in quis fuit Scaurus, cuius de natura et habitu supra memoravimus. Nam in consule nostro multæ bonæque artes animi et corporis erant, quas omnis avaritia præpediebat; patiens laborum, acri ingenio, satis providens, belli haud ignarus, firmissumus contra pericula et insidias. Sed legiones per Italiam Rhegium atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectæ. Igitur initio acriter Calpurnius paratis commeatibus Numidiam ingressus est multosque mortales et urbes aliquot pugnando cepit.

XXIX. Sed ubi Iugurtha per legatos pecunia temptare bellique, quod administrabat, asperitatem ostendere cœpit, animus æger avaritia facile convorsus est. Ceterum socius et administer omnium consiliorum assumitur Scaurus, qui tametsi a principio, plerisque ex factione eius corruptis, acerrume regem inpugnaverat, tamen magnitudine pecuniæ a bono honestoque in pravum abstractus est. Sed Iugurtha primum tantummodo belli moram redimebat, existumans sese aliquid interim Romæ pretio aut gratia effecturum; postea vero quam participem negotii Scaurum accepit, in maxumam spem adductus recuperandæ pacis statuit cum eis de omnibus pactionibus præsens agere. Ceterum interea fidei causa mittitur a consule Sextius quæstor in oppidum Iugurthæ Vaccam, cuius rei species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat, quoniam deditionis mora indutiæ agitabantur. Igitur rex, uti constituerat, in castra venit ac pauca præsenti

consilio locutus de invidia facti sui atque uti in deditionem acciperetur, reliqua cum Bestia et Scauro secreta transigit; dein postero die, quasi per saturam sententiis exquisitis, in deditionem accipitur. Sed uti pro consilio imperatum erat, elephanti triginta, pecus atque equi multi cum parvo argenti pondere quæstori traduntur. Calpurnius Romam ad magistratus rogandos proficiscitur. In Numidia et exercitu nostro pax agitabatur.

XXX. Postquam res in Africa gestas quoque modo actæ forent fama divolgavit, Romæ per omnis locos et conventus de facto consulis agitari; apud plebem gravis invidia, patres solliciti erant; probarentne tantum flagitium an decretum consulis subvorterent, parum constabat. Ac maxume eos potentia Scauri, quod is auctor et socius Bestiæ ferebatur, a vero bonoque impediebat. At G. Memmius, cuius de libertate ingenii et odio potentiæ nobilitatis supra diximus, inter dubitationem et moras senatus contionibus populum ad vindicandum hortari, monere, ne rem publicam, ne libertatem suam desererent; multa superba et crudelia facinora nobilitatis ostendere, prorsus intentus omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempestate Romæ Memmii facundia clara pollensque fuit, decere existumavi, unam ex tam multis orationem eius perscribere: ac potissumum eam dicam, quam in contione post reditum Bestiæ huiuscemodi verbis disseruit:

XXXI. «Multa dehortantur me a vobis, Quirites, ni studium rei publicæ omnia superet, opes factionis, vestra patientia, ius nullum; ac maxume quod innocentiæ plus periculi quam honoris est. Nam illa quidem piget dicere, his annis quindecim quam ludibrio fueritis superbiæ paucorum, quam fœde quamque inulti perierint vestri defensores, ut vobis animus ab ignavia atque socordia corruptus sit, qui ne nunc quidem obnoxiis inimicis surgitis atque etiam nunc timetis

Digitized by Google

eos, quibus decet terrori esse. Sed quamquam hæc talia sunt, tamen ire obviam factionis potentiæ animus subigit. Certe ego libertatem, quæ mihi a parente meo tradita est, experiar; verum id frustra an ob rem faciam, in vestra manu situm est, Quirites. Neque ego vos hortor, quod sæpe maiores nostri fecere, ut contra iniurias armati eatis. Nihil vi, nihil secessione opus est; necesse est suomet ipsi more præcipites eant. Occiso Tiberio Graccho, quem regnum parare aiebant, in plebem Romanam quæstiones habitæ sunt. Post G. Gracchi et M. Fulvii caedem item vestri ordinis multi mortales in carcere necati sunt: utriusque cladis non lex, verum lubido eorum finem fecit. Sed sane fuerit regni paratio plebi sua restituere, quicquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, iure factum sit. Superioribus annis taciti indignabamini ærarium expilari, reges et populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere, penes eosdem et summam gloriam et maxumas divitias esse; tamen hæc talia facinora impune suscepisse parum habuere. Itaque postremo leges, maiestas vestra, divina et humana omnia hostibus tradita sunt. Neque eos, qui ea fecere, pudet aut pœnitet, sed incedunt per ora vestra magnifici, sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes, perinde quasi ea honori non prædæ habeant. Servi ære parati iniusta imperia dominorum non perferunt; vos, Quirites, in imperio nati, æquo animo servitutem toleratis. At qui sunt hi, qui rem publicam occupavere? homines sceleratissumi, cruentis manibus, inmani avaritia, nocentissumi et idem superbissumi, quibus fides, decus, pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quæstui sunt. Pars eorum occidisse tribunos plebis, alii quæstiones iniustas, plerique cædem in vos fecisse pro munimento habent. Ita quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est; metum a scelere suo ad ignaviam vestram transtulere: quos omnes eadem cupere, eadem odisse,

eadem metuere in unum coegit; sed hæc inter bonos amicitia, inter malos factio est. Quod si tam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt, profecto neque res publica sicuti nunc vastaretur et beneficia vestra penes optumos non audacissumos forent. Maiores vestri parandi iuris et maiestatis constituendæ gratia bis per secessionem armati Aventinum occupavere; vos pro libertate, quam ab illis accepistis, nonne summa ope nitemini? atque eo vehementius, quo maius dedecus est parta amittere quam omnino non paravisse. Dicet aliquis: quid igitur? censes vindicandum in eos, qui hosti prodidere rem publicam? non manu neque vi, quod magis vos fecisse quam illis accidisse indignum est, verum quæstionibus et indicio ipsius Iugurthæ, qui si dediticius est, profecto iussis nostris obediens erit; sin ea contemnit, scilicet existumabitis, qualis illa pax aut deditio sit, ex qua ad Iugurtham scelerum inpunitas, ad paucos potentes maxumæ divitiæ, ad rem publicam damna atque dedecora pervenerint. Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet, et illa quam hæc tempora magis placent, cum regna, provinciæ, leges, iura, iudicia, bella atque paces, postremo divina et humana omnia penes paucos erant; vos autem, hoc est populus Romanus, invicti ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis animam retinere; nam servitutem quidem quis vestrum recusare audebat? Atque ego, tametsi viro flagitiosissumum existumo inpune iniuriam accepisse, tamen vos hominibus sceleratissumis ignoscere, quoniam cives sunt, æquo animo paterer, ni misericordia in perniciem casura esset. Nam et illis, quantum inportunitatis habent, parum est inpune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripitur; et vobis æterna sollicitudo remanebit, cum intellegetis aut serviundum esse, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem aut concordiæ quæ spes est?

Digitized by

Dominari illi volunt, vos liberi esse: facere illi iniurias, vos prohibere: postremo sociis nostris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur. Potestne in tam divorsis mentibus pax aut amicitia esse? Quare moneo hortorque vos, ne tantum scelus inpunitum omittatis. Non peculatus ærarii factus est, neque per vim sociis ereptæ pecuniæ; quæ quamquam gravia sunt, tamen consuetudine iam pro nihilo habentur. Hosti acerrumo prodita senatus auctoritas, proditum imperium vestrum est: domi militiæque res publica venalis fuit. Quæ nisi quæsita erunt, nisi vindicatum in noxios, quid erit reliquum, nisi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? Nam inpune quælibet facere, id est regem esse. Neque ego vos, Quirites, hortor, ut malitis cives vestros perperam quam recte fecisse; sed ne ignoscendo malis bonos perditum eatis. Ad hoc in re publica multo præstat beneficii quam maleficii immemorem esse; bonus tantummodo segnior fit ubi neglegas, at malus improbior. Ad hoc si iniuriæ non sint, haud sæpe auxilii egeas».

XXXII. Hæc atque alia huiuscemodi sæpe dicendo Memmius populo persuadet, uti L. Cassius, qui tum prætor erat, ad Iugurtham mitteretur eumque interposita fide publica Romam duceret, quo facilius indicio regis Scauri et reliquorum, quos pecuniæ captæ accersebant, delicta patefierent. Dum hæc Romæ geruntur, qui in Numidia relicti a Bestia exercitui præerant, secuti morem imperatoris sui plurima et flagitiosissuma facinora fecere. Fuere qui auro corrupti elephantos Iugurthæ traderent; alii perfugas vendere; pars ex pacatis prædas agebant; tanta vis avaritiæ in animos eorum veluti tabes invaserat. At Cassius, perlata rogatione a G. Memmio ac perculsa omni nobilitate, ad Iugurtham proficiscitur eique timido et ex conscientia diffidenti rebus suis persuadet, quoniam se populo Romano dedisset, ne vim quam misericordiam eius experiri mallet. Privatim præterea fidem

suam interponit, quam ille non minoris quam publicam ducebat; talis ea tempestate fama de Cassio erat.

XXXIII. Igitur Iugurtha contra decus regium cultu quam maxume miserabili cum Cassio Romam venit; ac tametsi in ipso magna vis animi erat, confirmatus ab omnibus, quorum potentia aut scelere cuncta ea gesserat, quæ supra diximus, G. Bæbium tribunum plebis magna mercede parat, cuius inpudentia contra ius et iniurias omnis munitus foret. At G. Memmius advocata contione, quamquam regi infesta plebes erat et pars in vincula duci iubebat, pars, nisi socios sceleris sui aperiret, more maiorum de hoste supplicium sumi; dignitati quam iræ magis consulens, sedare motus et animos eorum mollire; postremo confirmare, fidem publicam per sese inviolatam fore. Post ubi silentium cœpit, producto Iugurtha verba facit; Romæ Numidiæque facinora eius memorat; scelera in fratres patremque ostendit: quibus iuvantibus quibusque ministris ea egerit quamquam intelligat populus Romanus, tamen velle manifesta magis ex illo habere; si verum aperiat, in fide et clementia populi Romani magnam spem illi sitam; sin reticeat, non sociis saluti fore, sed se suasque spes corrupturum.

XXXIV. Deinde, ubi Memmius dicendi finem fecit, et Iugurtha respondere iussus est, G. Bæbius tribunus plebis, quem pecunia corruptum supra diximus, regem tacere iubet: ac tametsi multitudo, quæ in contione aderat, vehementer accensa, terrebat eum clamore, voltu, sæpe impetu atque aliis omnibus, quæ ira fieri amat, vicit tamen inpudentia. Ita populus ludibrio habitus ex contione discedit; Iugurthæ Bestiæque et ceteris, quos illa quæstio exagitabat, animi augescunt.

XXXV. Erat ea tempestate Romæ Numida quidam, nomine Massiva, Gulussæ filius, Masinissæ nepos, qui, quia in dissensione regum Iugurthæ advorsus fuerat, dedita Cirta et

Digitized by Google

Adherbale interfecto profugus ex Africa abierat. Huic Spurius Albinus, qui proxumo anno post Bestiam cum Q. Minucio Rufo consulatum gerebat, persuadet, quoniam ex stirpe Masinissæ sit Iugurthamque ob scelera invidia cum metu urgeat, regnum Numidiæ ab senatu petat. Avidus consul belli gerundi movere quam senescere omnia malebat; ipsi provincia Numidia, Minucio Macedonia evenerat. Quæ postquam Massiva agitare cœpit neque Iugurthæ in amicis satis præsidii est, quod eorum alium conscientia, alium mala fama et timor inpediebat; Bomilcari proxumo ac maxume fido sibi imperat, pretio, sicuti multa confecerat, insidiatores Massivæ paret ac maxume occulte, sin id parum procedat, quovis modo Numidam interficiat. Bomilcar mature regis mandata exequitur et per homines talis negotii artifices itinera egressusque eius, postremo loca atque tempora cuncta explorat, deinde, ubi res postulabat, insidias tendit. Igitur unus ex eo numero, qui ad cædem parati erant, paulo inconsultius Massivam aggreditur, illum obtruncat, sed ipse deprehensus, multis hortantibus et in primis Albino consule, indicium profitetur. Fit reus magis ex æquo bonoque quam ex iure gentium Bomilcar, comes eius, qui Romam fide publica venerat. At Iugurtha manifestus tanti sceleris non prius omisit contra verum niti quam animadvortit, supra gratiam atque pecuniam suam invidiam facti esse. Igitur quamquam in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat, regno magis quam vadibus consulens, clam in Numidiam Bomilcarem dimittit, veritus ne reliquos populares metus invaderet parendi sibi, si de illo sumptum supplicium foret. Et ipse paucis diebus eodem profectus est, iussus a senatu Italia decedere. Sed postquam Roma egressus est, fertur sæpe eo tacitus respiciens postremo dixisse: «urbem venalem et mature perituram, si emptorem invenerit.»

XXXVI. Interim Albinus renovato bello commeatum, stipendium aliaque, quæ militibus usui forent, maturat in Africam portare; ac statim ipse profectus, uti ante comitia, quod tempus haud longe aberat, armis aut deditione aut quovis modo bellum conficeret. At contra Iugurtha trahere omnia et alias deinde alias moræ causas facere, polliceri deditionem ac deinde metum simulare: cedere instanti et paulo post, ne sui diffiderent, instare: ita belli modo, modo pacis mora consulem ludificare. Ac fuere qui tunc Albinum haud ignarum consilii regis existumarent, neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum socordia magis quam dolo crederent. Sed postquam dilapso tempore comitiorum dies adventabat, Albinus, Aulo fratre in castris pro prætore relicto, Romam decessit.

XXXVII. Ea tempestate Romæ seditionibus tribuniciis atrociter res publica agitabatur. P. Lucullus et L. Annius tribuni plebis, resistentibus collegis, continuare magistratum nitebantur: quæ dissensio totius anni comitia impediebat. Ea mora in spem adductus Aulus, quem pro prætore in castris relictum supra diximus, aut conficiundi belli aut terrore exercitus ab rege pecuniæ capiundæ, milites mense Ianuario ex hibernis in expeditionem evocat magnisque itineribus hieme aspera pervenit ad oppidum Suthul, ubi regis thesauri erant. Quod quamquam et sævitia temporis et oportunitate loci neque capi neque obsideri poterat: (nam circum murum situm in prærupti montis extremo planities limosa hiemalibus aquis paludem fecerat) tamen aut simulandi gratia, quo regi formidinem adderet, aut cupidine cæcus ob thesauros oppidi potiundi, vineas agere, aggerem iacere aliaque, quæ incepto usui forent, properare.

XXXVIII. At Iugurtha, cognita vanitate atque imperitia legati, subdole eius augere amentiam, missitare supplicantes

legatos, ipse quasi vitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ductare. Denique Aulum spe pactionis perpulit, uti relicto Suthule in abditas regiones sese veluti cedentem insequeretur; ita delicta occultiora fuere. Interea per homines callidos die noctuque exercitum temptabat, centuriones ducesque turmarum partim uti transfugerent corrumpere, alii signo dato locum uti desererent. Quæ postquam ex sententia instruit, intempesta nocte de inproviso multitudine Numidarum Auli castra circumvenit. Milites Romani, perculsi tumultu insolito, arma capere alii, alii se abdere, pars territos confirmare, trepidare omnibus locis: vis magna hostium, cælum nocte atque nubibus obscuratum, periculum anceps, postremo fugere an manere tutius foret in incerto erat. Sed ex eo numero, quos paulo ante corruptos diximus, cohors una Ligurum cum duabus turmis Thracum et paucis gregariis militibus transiere ad regem: et centurio primi pili tertiæ legionis per munitionem, quam uti defenderet acceperat, locum hostibus introeundi dedit: eaque Numidæ cuncti irrupere. Nostri fœda fuga plerique abiectis armis proxumum collem occupaverunt. Nox atque præda castrorum hostes, quo minus victoria uterentur, remorata sunt. Deinde Iugurtha postero die cum Aulo in colloquio verba fecit: tametsi ipsum cum exercitu fame et ferro clausum tenet, tamen se memorem humanarum rerum, si secum fœdus faceret, incolumes omnis sub iugum missurum: præterea uti diebus decem Numidia discederet. Quæ quamquam gravia et flagitii plena erant, tamen quia mortis metu mutabantur, sicuti regi lubuerat, pax convenit.

XXXIX. Sed ubi ea Romæ comperta sunt, metus atque mæror civitatem invasere: pars dolere pro gloria imperii, pars insolita rerum bellicarum timere libertati. Aulo omnes infesti ac maxume qui bello sæpe præclari fuerant, quod armatus dedecore potius quam manu salutem quæsiverat. Ob ea consul

Albinus ex delicto fratris invidiam ac deinde periculum timens senatum de fœdere consulebat, et tamen interim exercitui supplementum scribere, ab sociis et nomine Latino auxilia accersere, denique omnibus modis festinare. Senatus ita uti par fuerat decernit, suo atque populi iniussu nullum potuisse fœdus fieri. Consul inpeditus a tribunis plebis, ne, quas paraverat copias, secum portaret, paucis diebus in Africam proficiscitur; nam omnis exercitus, uti convenerat, Numidia deductus in provincia hiemabat. Postquam eo venit, quamquam persequi Iugurtham et mederi fraternæ invidiæ animo ardebat, cognitis militibus, quos præter fugam soluto imperio licentia atque lascivia corruperat, ex copia rerum statuit sibi nihil agitandum.

XL. Interim Romæ G. Mamilius Limetanus tribunus plebis rogationem ad populum promulgat, uti quæreretur in eos, quorum consilio Iugurtha senatus decreta neglegisset, quique ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent, qui elephantos quique perfugas tradidissent, item qui de pace aut bello cum hostibus pactiones fecissent. Huic rogationi partim conscii sibi, alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam aperte resistere non poterant, quin illa et alia talia placere sibi faterentur, occulte per amicos ac maxume per homines nominis Latini et socios Italicos impedimenta parabant. Sed plebes incredibile memoratu est quam intenta fuerit quantaque vi rogationem iusserit, decreverit, voluerit; magis odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam cura rei publicæ; tanta lubido in partibus erat. Igitur ceteris metu perculsis, M. Scaurus, quem legatum Bestiæ fuisse supra docuimus, inter lætitiam plebis et suorum fugam, trepida etiam tum civitate, cum ex Mamili rogatione tres quæsitores rogarentur, effecerat, uti ipse in eo numero crearetur. Sed quæstio exercita aspere violenterque ex rumore et lubidine plebis;

Digitized by Google

ut sæpe nobilitatem, sic ea tempestate plebem ex secundis rebus insolentia ceperat.

XLI. Ceterum mos partium popularium et senatus factionum ac deinde omnium malarum artium paucis ante annis Romæ ortus est otio atque abundantia earum rerum, quæ prima mortales ducunt. Nam ante Carthaginem deletam populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rem publicam tractabant, neque gloriæ neque dominationis certamen inter cives erat; metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed ubi illa formido mentibus decessit, scilicet ea, quæ res secundæ amant, lascivia atque superbia incessere. Ita quod in advorsis rebus optaverant, otium, postquam adepti sunt, asperius acerbiusque fuit. Namque cœpere nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vertere: sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partes abstracta sunt, res publica, quæ media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat; plebis vis soluta atque dispersa in multitudine minus poterat, paucorum arbitrio belli domique agitabatur; penes eosdem ærarium, provinciæ, magistratus, gloriæ triumphique erant, populus militia atque inopia urgebatur; prædas bellicas imperatores cum paucis diripiebant. Interea parentes aut parvi liberi militum, uti quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. Ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere et vastare omnia, nihil pensi neque sancti habere, quoad semet ipsam præcipitavit. Nam ubi primum ex nobilitate reperti sunt, qui veram gloriam iniustæ potentiæ anteponerent, moveri civitas et dissensio civilis quasi permixtio terræ oriri cœpit.

XLII. Nam postquam Tiberius et G. Gracchus, quorum maiores Punico atque aliis bellis multum rei publicæ addiderant, vindicare plebem in libertatem et paucorum scelera

patefacere cœpere, nobilitas noxia atque eo perculsa modo per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, quos spes societatis a plebe dimoverat, Gracchorum actionibus obviam ierat et primo Tiberium, dein paucos post annos eadem ingredientem Gaium, tribunum alterum, alterum triumvirum coloniis deducendis, cum M. Fulvio Flacco ferro necaverat. Et sane Gracchis cupidine victoriæ haud satis moderatus animus fuit. Sed bono vinci satius est quam malo more iniuriam vincere. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine sua usa, multos mortalis ferro aut fuga extinxit plusque in reliquum sibi timoris quam potentiæ addidit. Quæ res plerumque magnas civitates pessum dedit, dum alteri alteros vincere quovis modo et victos acerbius ulcisci volunt. Sed de studiis partium et omnis civitatis moribus si singulatim aut pro magnitudine parem disserere, tempus quam res maturius me deseret. Quamobrem ad inceptum redeo.

XLIII. Post Auli fœdus exercitusque nostri fœdam fugam Metellus et Silanus, consules designati, provincias inter se partiverant; Metelloque Numidia evenerat, acri viro et quamquam advorso populi partium, fama tamen æquabili et inviolata. Is ubi primum magistratum ingressus est, alia omnia sibi cum collega ratus, ad bellum, quod gesturus erat, animum intendit. Igitur diffidens veteri exercitui, milites eligere, scribere, præsidia undique accersere: arma, tela, equos et cetera instrumenta militiæ parare, ad hoc commeatum affatim, denique omnia, quæ in bello vario et multarum rerum egenti usui esse solent. Ceterum ad ea patranda senatus auctoritate socii nomenque Latinum et reges ultro auxilia mittendo, postremo omnis civitas summo studio adnitebatur. Itaque ex sententia omnibus rebus paratis compositisque in Numidiam proficiscitur, magna spe civium, cum propter artes bonas, tum maxume quod advorsum divitias invictum animum gere-

Digitized by Google

bat, et avaritia magistratuum ante id tempus in Numidia nostræ opes contusæ hostiumque auctæ erant.

XLIV. Sed ubi in Africam venit, exercitus ei traditur a Spurio Albino proconsule iners, inbellis, neque periculi neque laboris patiens, lingua quam manu promptior, prædator ex sociis et ipse præda hostium, sine imperio et modestia habitus. Ita imperatori novo plus ex malis moribus sollicitudinis quam ex copia militum auxilii aut spei bonæ accedebat. Statuit tamen Metellus, quamquam et æstivorum tempus comitiorum mora inminuerat, et expectatione eventus civium animos intentos putabat, non prius bellum attingere quam maiorum disciplina milites laborare coegisset. Nam Albinus, Auli fratris exercitusque clade perculsus, postquam decreverat non egredi provincia, quantum temporis æstivorum in imperio fuit, plerumque milites stativis castris habebat, nisi cum odor aut pabuli egestas locum mutare subegerat. Sed neque muniebantur ea neque more militari vigiliæ deducebantur; uti cuique lubebat, ab signis aberat. Lixæ permixti cum militibus die noctuque vagabantur, et palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum prædas certantes agere eaque mutare cum mercatoribus vino advecticio et aliis talibus; præterea frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari; postremo quæcumque dici aut fingi queunt ignaviæ luxuriæque probra, in illo exercitu cuncta fuere, et alia amplius.

XLV. Sed in ea difficultate Metellum non minus quam in rebus hostilibus magnum et sapientem virum fuisse comperior; tanta temperantia inter ambitionem sævitiamque moderatum. Namque edicto primum adiumenta ignaviæ sustulisse, ne quisquam in castris panem aut quem alium coctum cibum venderet, ne lixæ exercitum sequerentur, ne miles gregarius in castris neve in agmine servum aut iumentum haberet, ceteris

arte modum statuisse. Præterea transvorsis itineribus cotidie castra movere, iuxta ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire, vigilias crebras ponere et eas ipse cum legatis circumire; item in agmine in primis modo, modo in postremis, sæpe in medio adesse, ne quispiam ordine egrederetur, ut cum signis frequentes incederent, miles cibum et arma portaret. Ita prohibendo a delictis magis quam vindicando exercitum brevi confirmavit.

XLVI. Interea Iugurtha ubi quæ Metellus agebat ex nuntiis accepit, simul de innocentia eius certior Romæ factus, diffidere suis rebus ac tum demum veram deditionem facere conatus est. Igitur legatos ad consulem cum suppliciis mittit, qui tantummodo ipsi liberisque vitam peterent, alia omnia dederent populo Romano. Sed Metello iam antea experimentis cognitum erat, genus Numidarum infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum esse. Itaque legatos alium ab alio divorsos aggreditur ac paulatim temptando, postquam opportunos sibi cognovit, multa pollicendo persuadet, uti Iugurtham maxume vivum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent: ceterum palam, quæ ex voluntate forent, regi nuntiari iubet. Deinde ipse paucis diebus intento atque infesto exercitu in Numidiam procedit, ubi contra belli faciem tuguria plena hominum, pecora cultoresque in agris erant: ex oppidis et mapalibus præfecti regis obvii procedebant, parati frumentum dare, commeatum portare, postremo omnia quæ imperarentur facere. Neque Metellus iccirco minus sed pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere, late explorare omnia, illa deditionis signa ostentui credere et insidiis locum temptare. Itaque ipse cum expeditis cohortibus, item funditorum et sagittariorum delecta manu apud primos erat, in postremo G. Marius legatus cum equitibus curabat; in utrumque latus auxiliarios equites tribunis legionum et præ-

Digitized by Google

fectis cohortium dispertiverat, ut cum his permixti velites, quocumque accederent, equitatus hostium propulsarent. Nam in Iugurtha tantus dolus tantaque peritia locorum et militiæ erat, ut absens an præsens, pacem an bellum gerens, perniciosior esset, in incerto haberetur.

XLVII. Erat haud longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarum, nomine Vacca, forum rerum venalium totius regni maxume celebratum, ubi et incolere et mercari consueverant Italici generis multi mortales. Huc consul simul temptandi gratia et, si paterentur, oportunitate loci præsidium inposuit; præterea imperavit frumentum et alia, quæ bello usui forent, conportare, ratus id, quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commeatu iuvaturum exercitum et iam paratis rebus munimento fore. Inter hæc negotia Iugurtha inpensius modo legatos supplices mittere, pacem orare, præter suam liberorumque vitam omnia Metello dedere. Quos item uti priores consul inlectos ad proditionem domum dimittebat; regi pacem, quam postulabat, neque abnuere neque polliceri et inter eas moras promissa legatorum expectare.

XLVIII. Iugurtha ubi Metelli dicta cum factis composuit ac se suis artibus temptari animadvortit; quippe cui verbis pax nuntiabatur, ceterum re bellum asperrumum erat: urbs maxuma alienata, ager hostibus cognitus, animi popularium temptati; coactus rerum necessitudine statuit armis certare. Igitur explorato hostium itinere in spem victoriæ adductus ex oportunitate loci quam maxumas potest copias omnium generum parat, ac per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. Erat in ea parte Numidiæ, quam Adherbal in divisione possederat, flumen oriens a meridie, nomine Muthul; a quo aberat mons ferme millia passuum viginti, tractu pari, vastus ab natura et humano cultu. Sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in inmensum pertingens, vestitus oleastro ac murtetis

aliisque generibus arborum, quæ humi arido atque arenoso gignuntur. Media autem planicies deserta penuria aquæ præter flumini propinqua loca: ea consita arbustis pecore atque cultoribus frequentabantur.

XLIX. Igitur in eo colle, quem transvorso itinere porrectum docuimus, Iugurtha extenuata suorum acie consedit: elephantis et parti copiarum pedestrium Bomilcarem præfecit eumque edocet, quæ ageret: ipse propior montem cum omni equitatu et peditibus delectis suos collocat: dein singulas turmas et manipulos circumiens monet atque obtestatur, uti memores pristinæ virtutis et victoriæ sese regnumque suum ab Romanorum avaritia defendant; cum his certamen fore, quos antea victos sub iugum miserint, ducem illis non animum mutatum; quæ ab imperatore decuerint, omnia suis provisa, locum superiorem, ut prudentes cum imperitis, ne pauciores cum pluribus aut rudes cum bello melioribus manum conererent; proinde parati intentique essent signo dato Romanos invadere: illum diem aut omnis labores et victorias confirmaturum, aut maxumarum ærumnarum initium fore. Ad hoc viritim, uti quemque ob militare facinus pecunia aut honore extulerat, commonefacere beneficii sui et eum ipsum aliis ostentare: postremo pro cuiusque ingenio, pollicendo, minitando, obtestando, alium alio modo excitare: cum interim Metellus ignarus hostium, monte digrediens cum exercitu conspicitur, primo dubius, quidnam insolita facies ostenderet, nam inter virgulta equi Numidæque consederant, neque plane occultati humilitate arborum, et tamen incerti, quidnam esset; cum natura loci, tum dolo ipsi atque signa militaria obscurati; dein brevi cognitis insidiis paulisper agmen constituit; ibi commutatis ordinibus, in dextro latere, quod proxumum hostes erat, triplicibus subsidiis aciem instruxit, inter manipulos funditores et sagittarios dispertit: equitatum omnem in

cornibus locat ac pauca pro tempore milites hortatus aciem, sicuti instruxerat, transvorsis principiis in planum deducit.

L. Sed ubi Numidas quietos neque colle degredi animadvortit, veritus ex anni tempore et inopia aquæ, ne siti conficeretur exercitus, Rutilium legatum cum expeditis cohortibus et parte equitum præmisit ad flumen, uti locum castris ante caperet, existumans hostis crebro impetu et transvorsis præliis iter suum remoraturos, et quoniam armis diffiderent, lassitudinem et sitim militum temptaturos. Deinde ipse pro re atque loco, sicuti monte descenderat, paulatim procedere: Marium post principia habere, ipse cum sinistræ alæ equitibus esse, qui in agmine principes facti erant. At Iugurtha, ubi extremum agmen Metelli primos suos prætergressum videt, præsidio quasi duum milium peditum montem occupat, qua Metellus descenderat, ne forte cedentibus adversariis receptui ac post munimento foret; dein repente signo dato hostes invadit. Numidæ alii postremos cædere, pars a sinistra ac dextra temptare; infensi adesse atque instare, omnibus locis Romanorum ordines conturbare; quorum etiam qui firmioribus animis obvii hostibus fuerant, ludificati incerto prælio ipsi modo eminus sauciabantur, neque contra feriendi aut conserendi manum copia erat; ante iam docti ab Iugurtha equites, ubi Romanorum turma insequi coeperat, non confertim neque in unum sese recipiebant, sed alius alio quam maxume divorsi. Ita numero priores, si ab persequendo hostes deterrere nequiverant, disiectos ab tergo aut lateribus circumveniebant; sin oportunior fugæ collis quam campi fuerat, ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere; nostros asperitas et insolentia loci retinebat.

LI. Ceterum facies totius negotii varia, incerta, fœda atque miserabilis; dispersi a suis pars cedere, alii insequi; neque signa neque ordines observare; ubi quemque periculum ceperat,

Digitized by Google

ibi resistere ac propulsare: arma, tela, equi, viri, hostes atque cives permixti; nihil consilio neque imperio agi; fors omnia regere. Itaque multum diei processerat, cum etiam tum eventus in incerto erat. Denique omnibus labore et æstu languidis, Metellus ubi videt Numidas minus instare, paulatim milites in unum conducit, ordines restituit et cohortes legionarias quatuor advorsum pedites hostium collocat; eorum magna pars superioribus locis fessa consederat. Simul orare et hortari milites, ne deficerent neu paterentur hostis fugientes vincere; neque illis castra esse neque munimentum ullum, quo cedentes tenderent; in armis omnia sita. Sed nec Iugurtha quidem interea quietus erat: circumire, hortari, renovare prælium et ipse cum delectis temptare omnia, subvenire suis, hostibus dubiis instare, quos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere.

LII. Eo modo inter se duo imperatores, summi viri, certabant: ipsi pares, ceterum opibus disparibus. Nam Metello virtus militum erat, locus advorsus; Iugurthæ alia omnia præter milites oportuna. Denique Romani, ubi intelligunt neque sibi perfugium esse neque ab hoste copiam pugnandi fieri, et iam die vesper erat, advorso colle, sicuti præceptum erat, evadunt. Amisso loco Numidæ fusi fugatique, pauci interiere; plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt. Interea Bomilcar, quem elephantis et parti copiarum pedestrium præfectum ab Iugurtha supra diximus, ubi eum Rutilius prætergressus est, paulatim suos in æquum locum deducit: ac, dum legatus ad flumen, quo præmissus erat, festinans pergit, quietus, uti res postulabat, aciem exornat: neque remittit, quid ubique hostis ageret, explorare. Postquam Rutilium consedisse iam et animo vacuum accepit, simulque ex Iugurthæ prælio clamorem augeri; veritus, ne legatus cognita re laborantibus suis auxilio foret, aciem, quam diffidens virtuti militum arcte

Digitized by Google

statuerat, quo hostium itineri officeret, latius porrigit, eoque modo ad Rutilii castra procedit.

LIII. Romani ex inproviso pulveris vim magnam animadvortunt, nam prospectum ager arbustis consitus prohibebat. Et primo rati humum aridam vento agitari, post ubi æquabilem manere et sicuti acies movebatur magis magisque adpropinquare vident, cognita re properantes arma capiunt ac pro castris, sicuti imperabatur, consistunt. Deinde, ubi propius ventum est, utrimque magno clamore concurritur. Numidæ tantummodo remorati, dum in elephantis auxilium putant; postquam eos impeditos ramis arborum atque ita disiectos circumveniri vident, fugam faciunt; ac plerique abiectis armis collis aut noctis, quæ iam aderat, auxilio integri abeunt. Elephanti quatuor capti sunt, reliqui omnes numero quadraginta interfecti. At Romani quamquam itinere atque opere castrorum et prælio fessi lassique erant; tamen, quod Metellus amplius opinione morabatur, instructi intentique obviam procedunt. Nam dolus Numidarum nihil languidi neque remissi patiebatur. Ac primo, obscura nocte, postquam haud procul inter se erant, strepitu, velut hostes adventare, alteri apud alteros formidinem simul et tumultum facere; et pæne inprudentia admissum facinus miserabile, ni utrimque præmissi equites rem exploravissent. Igitur pro metu repente gaudium exortum, milites alius alium læti adpellant, acta edocent atque audiunt; sua quisque fortia facta ad cœlum fert. Quippe res humanæ ita sese habent: in victoria vel ignavis gloriari licet, advorsæ res etiam bonos detrectant.

LIV. Metellus in isdem castris quatriduo moratus saucios cum cura reficit, meritos in præliis more militiæ donat, universos in contione laudat atque agit gratias; hortatur ad cetera, quæ levia sunt, parem animum gerant; pro victoria iam pugnatum satis, reliquos labores pro præda fore. Tamen

interim transfugas et alios oportunos, Iugurtha ubi gentium aut quid agitaret, cum paucisne esset, an exercitum haberet, ut sese victus gereret exploratum misit. At ille sese in loca saltuosa et natura munita receperat ibique cogebat exercitum numero hominum ampliorem, sed hebetem infirmumque, agri ac pecoris magis quam belli cultorem. Id ea gratia eveniebat, quod præter regios equites nemo omnium Numidarum ex fuga regem sequitur; quo cuiusque animus fert, eo discedunt; neque id flagitium militiæ ducitur; ita se mores habent. Igitur Metellus ubi videt etiam tum regis animum ferocem esse; bellum renovari, quod, nisi ex illius lubidine geri non posset; præterea inicum certamen sibi cum hostibus, minore detrimento illos vinci quam suos vincere; statuit non præliis neque in acie, sed alio more bellum gerendum. Itaque in loca Numidiæ opulentissima pergit, agros vastat, multa castella et oppida temere munita aut sine præsidio capit incenditque, puberes interficit, iubet alia omnia militum prædam esse. Ea formidine multi mortales Romanis dediti obsides; frumentum et alia, quæ usui forent, affatim præbita: ubicumque res postulabat, præsidium inpositum. Quæ negotia multo magis quam prælium male pugnatum ab suis regem terrebant; quippe cui spes omnis in fuga sita erat, sequi cogebatur; et qui sua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere. Tamen ex copia quod optumum videbatur consilium capit; exercitum plerumque in isdem locis operiri iubet; ipse cum delectis equitibus Metellum sequitur, nocturnis et aviis itineribus ignoratus Romanos palantes repente aggreditur; eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur, nemo omnium intactus profugit; et Numidæ, priusquam ex castris subveniretur, sicuti iussi erant, in proxumos colles discedunt.

LV. Interim Romæ gaudium ingens ortum cognitis Metelli rebus, ut seque et exercitum more maiorum gereret, in

Digitized by Google

advorso loco victor tamen virtute fuisset, hostium agro potiretur, Iugurtham magnificum ex Auli socordia spem salutis in solitudine aut fuga coegisset habere. Itaque senatus ob ea feliciter acta dis inmortalibus supplicia decernere; civitas trepida antea et sollicita de belli eventu læta agere, de Metello fama præclara esse. Igitur eo intentior ad victoriam niti, omnibus modis festinare, cavere tamen, necubi hosti oportunus fieret, meminisse post gloriam invidiam sequi. Ita quo clarior erat, eo magis anxius erat, neque post insidias Iugurthæ effuso exercitu prædari; ubi frumento aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu præsidium agitabant; exercitus partem ipse, reliquos Marius ducebat. Sed igni magis quam præda ager vastabatur. Duobus locis haud longe inter se castra faciebant; ubi vi opus erat, cuncti aderant; ceterum, quo fuga atque formido latius cresceret, divorsi agebant. Eo tempore Iugurtha per colles sequi: tempus aut locum pugnæ quærere, qua venturum hostem audierat, pabulum et aquarum fontes, quorum penuria erat, corrumpere: modo se Metello, interdum Mario ostendere; postremos in agmine temptare ac statim in collis regredi; rursus aliis, post aliis minitari: neque prælium facere, neque otium pati; tantummodo hostem ab incepto retinere.

LVI. Romanus imperator ubi se dolis fatigari videt, neque ab hoste copiam pugnandi fieri; urbem magnam et in ea parte, qua sita erat, arcem regni, nomine Zamam, statuit oppugnare: ratus id, quod negotium poscebat, Iugurtham laborantibus suis auxilio venturum ibique prælium fore. At ille quæ parabantur a perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum antevenit, oppidanos hortatur, mœnia defendant, additis auxilio perfugis, quod genus ex copiis regis, quia fallere nequibat, firmissumum erat. Præterea pollicetur in tempore semet cum exercitu adfore. Ita compositis rebus in loca quam

maxume occulta discedit ac post paulo cognoscit, Marium ex itinere frumentatum cum paucis cohortibus Siccam missum, quod oppidum primum omnium post malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum delectis equitibus noctu pergit et iam egredientibus Romanis in porta pugnam facit. Simul magna voce Siccenses hortatur, uti cohortes ab tergo circumveniant; fortunam illis præclari facinoris casum dare; si id fecerint, postea sese in regno, illos in libertate sine metu ætatem acturos. Ac ni Marius signa inferre atque evadere oppido properavisset, profecto cuncti aut magna pars Siccensium fidem mutavissent; tanta mobilitate sese Numidæ gerunt. Sed milites Iugurthini paulisper ab rege sustentati, postquam maiore vi hostes urgent, paucis amissis profugi discedunt.

LVII. Marius ad Zamam pervenit; id oppidum in campo situm magis opere quam natura munitum erat, nullius idoneæ rei egens, armis virisque opulentum. Igitur Metellus pro tempore atque loco paratis rebus cuncta mœnia exercitu circumvenit, legatis imperat, ubi quisque curaret: deinde signo dato undique simul clamor ingens oritur; neque ea res Numidas terret; infensi intentique sine tumultu manent, prælium incipitur. Romani pro ingenio quisque, pars eminus glande aut lapidibus pugnare, alii succedere ac murum modo suffodere, modo scalis aggredi; cupere prælium in manibus facere. Contra ea oppidani in proxumos saxa volvere, sudes, pila, præterea picem sulphure et tæda mixtam ardentia mittere. Sed ne illos quidem, qui procul manserant, timor animi satis muniverat; nam plerosque iacula tormentis aut manu emissa vulnerabant parique periculo sed fama inpari boni atque ignavi erant.

LVIII. Dum apud Zamam sic certatur, Iugurtha ex inproviso castra hostium cum magna manu invadit, remissis qui in præsidio erant et omnia magis quam prælium exspec-

Digitized by Google

tantibus portam inrumpit. At nostri repentino metu perculsi sibi quisque pro moribus consulunt; alii fugere, alii arma capere; magna pars vulnerati aut occisi. Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta memores nominis Romani grege facto locum cepere paullo quam alii editiorem, neque inde maxuma vi depelli quiverunt; sed tela eminus missa remittere, pauci in pluribus minus frustrari: sin Numidæ propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere et eos maxuma vi cædere, fundere atque fugare. Interim Metellus cum acerrume rem gereret, clamorem hostilem ab tergo accepit: dein convorso equo animadvortit fugam ad se vorsum fieri: quæ res indicabat populares esse. Igitur equitatum omnem ad castra propere misit, ac statim G. Marium cum cohortibus sociorum, eumque lacrumans per amicitiam perque rem publicam obsecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore, neve hostes inultos abire sinat: ille brevi mandata efficit. At Iugurtha munimento castrorum inpeditus, cum alii super vallum præcipitarentur, alii in angustiis ipsi sibi properantes obficerent, multis amissis in loca munita sese recepit. Metellus infecto negotio, postquam nox aderat, in castra cum exercitu revortitur.

LIX. Igitur postero die prius quam ad oppugnandum egrederetur equitatum omnem in ea parte, qua regis adventus erat, pro castris agitare iubet; portas et proxuma loca tribunis dispertit; deinde ipse pergit ad oppidum atque uti superiore die murum adgreditur. Interim Iugurtha ex occulto repente nostros invadit; qui in proxumo locati fuerant paulisper territi perturbantur, reliqui cito subveniunt. Neque diutius Numidæ resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent, quibus illi freti, non uti equestri prælio solet, sequi dein cedere, sed advorsis equis concurrere, inplicare ac perturbare aciem, ita expeditis peditibus suis hostes pæne victos dare.

LX. Eodem tempore apud Zamam magna vi certabatur. Ubi quisque legatus aut tribunus curabat, eo acerrume niti; neque alius in alio magis quam in sese spem habere; pariterque oppidani agere, oppugnare aut parare omnibus locis; avidius alteri alteros sauciare quam semet tegere; clamor permixtus hortatione, lætitia, gemitu, item strepitus armorum ad cælum ferri: tela utrimque volare. Sed illi, qui mœnia defensabant, ubi hostes paulum modo pugnam remiserant, intenti prælium equestre prospectabant; eos, uti quæque Iugurthæ res erant, lætos modo, modo pavidos animadvorteres: ac, sicuti audiri a suis aut cerni possent, monere alii, alii hortari, aut manu significare, aut niti corporibus, et ea huc et illuc quasi vitabundi aut iacientes tela agitare. Quod ubi Mario cognitum est, nam is in ea parte curabat, consulto lenius agere ac diffidentiam rei simulare, pati Numidas sine tumultu regis prælium visere. Ita illis studio suorum adstrictis, repente magna vi murum adgreditur: et iam scalis egressi milites prope summa ceperant, cum oppidani concurrunt, lapides, ignem, alia præterea tela ingerunt. Nostri primo resistere; deinde, ubi unæ atque alteræ scalæ comminutæ, qui supersteterant, afflicti sunt; ceteri, quoquo modo potuere, pauci integri, magna pars vulneribus confecti abeunt. Denique utrimque prælium nox diremit.

LXI. Metellus, ubi videt frustra inceptum neque oppidum capi, neque Iugurtham, nisi ex insidiis aut suo loco pugnam facere, et iam æstatem exactam esse, ab Zama discedit et in his urbibus, quæ ad se defecerant, satisque munitæ loco aut mœnibus erant, præsidia inponit. Ceterum exercitum in provinciam, quæ proxuma est Numidiæ, hiemandi gratia collocat. Neque id tempus ex aliorum more quieti aut luxuriæ concedit, sed quoniam armis bellum parum procedebat, insidias regi per amicos tendere et eorum perfidia pro armis

Digitized by Google

uti parat. Igitur Bomilcarem, qui Romæ cum Iugurtha fuerat et inde vadibus datis clam de Massivæ nece iudicium fugerat, quod ei per maxumam amicitiam maxuma copia fallendi erat, multis pollicitationibus adgreditur; ac primo efficit, uti ad se colloquendi gratia occultus veniat: deinde fide data, si Iugurtham vivum aut necatum sibi tradidisset, fore, ut illi senatus inpunitatem et sua omnia concederet, facile Numidæ persuadet, cum ingenio infido, tum metuenti, ne, si pax cum Romanis fieret, ipse per conditiones ad supplicium traderetur.

LXII. Is, ubi primum oportunum fuit, Iugurtham anxium ac miserantem fortunas suas accedit, monet atque lacrumans obtestatur, uti aliquando sibi liberisque et genti Numidarum, optume meritæ, provideat: omnibus præliis sese victos, agrum vastatum, multos mortales captos, occisos, regni opes comminutas esse: satis sæpe iam et virtutem militum et fortunam temptatam; caveat ne, illo cunctante, Numidæ sibi consulant. His atque talibus aliis ad deditionem regis animum inpellit. Mittuntur ad imperatorem legati, qui Iugurtham imperata facturum dicerent, ac sine ulla pactione sese regnumque suum in illius fidem tradere. Metellus propere cunctos senatorii ordinis ex hibernis accersi iubet, eorum et aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. Ita more maiorum ex consilii decreto per legatos Iugurthæ imperat argenti pondo ducenta milia, elephantos omnes, equorum et armorum aliquantum. Quæ postquam sine mora facta sunt, iubet omnis perfugas vinctos adduci; eorum magna pars, uti iussum erat, adducti, pauci, cum primum deditio cœpit, ad regem Bocchum in Mauretaniam abierant. Igitur Iugurtha, ubi armis virisque et pecunia spoliatus est, cum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur, rursus cœpit flectere animum suum et ex mala conscientia digna timere. Denique multis diebus per dubitationem consumptis, cum modo tædio rerum advorsarum

omnia bello potiora duceret, interdum secum ipse reputaret, quam gravis casus in servitium ex regno foret, multis magnisque præsidiis nequicquam perditis de integro bellum sumit. Et Romæ senatus de provinciis consultus Numidiam Metello decreverat.

LXIII. Per idem tempus Uticæ forte G. Mario per hostias diis supplicanti magna atque mirabilia portendi aruspex dixerat: proinde quæ animo agitabat fretus dis ageret, fortunam quam sæpissume experiretur, cuncta prospere eventura. At illum iam antea consulatus ingens cupido exagitabat, ad quem capiundum præter vetustatem familiæ alia omnia abunde erant: industria, probitas, militiæ magna scientia, animus belli ingens, domi modicus, lubidinis et divitiarum victor, tantummodo gloriæ avidus. Sed is natus et per omnem pueritiam Arpini altus, ubi primum ætas militiæ patiens fuit, stipendiis faciundis non Græca facundia neque urbanis munditiis sese exercuit, ita inter artis bonas integrum ingenium brevi adolevit. Ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem eius ignorantibus, facile notus per omnis tribus declaratur. Deinde ab eo magistratu alium post alium sibi peperit, semperque in potestatibus eo modo agitabat, ut ampliore quam gerebat dignus haberetur. Tamen is ad id locorum talis vir, nam postea ambitione præceps datus est, appetere non audebat. Etiam tum alios magistratus plebs, consulatum nobilitas inter se per manus tradebat. Novus nemo tam clarus neque tam egregius factis erat, quin is indignus illo honore et quasi pollutus haberetur.

LXIV. Igitur ubi Marius aruspicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur, ab Metello petendi gratia missionem rogat: cui quamquam virtus, gloria atque alia optanda bonis superabant, tamen inerat contemptor animus et superbia, commune nobilitatis malum. Itaque primum com-

Digitized by Google

motus insolita re mirari eius consilium et quasi per amicitiam monere, ne tam prava inciperet, neu tam super fortunam animum gereret; non omnia omnibus cupiunda esse, debere illi res suas satis placere: postremo caveret id appetere a populo Romano, quod illi iure negaretur. Postquam hæc atque alia talia dixit, neque animus Marii flectitur, respondit, ubi primum potuisset per negotia publica, facturum sese quæ peteret. Ac postea sæpius eadem postulanti fertur dixisse, ne festinaret abire; satis mature illum cum filio suo consulatum petiturum. Is eo tempore contubernio patris ibidem militabat annos natus circiter viginti; quæ res Marium cum pro honore, quem adfectabat, tum contra Metellum vehementer accenderat. Ita cupidine atque ira, pessumis consultoribus, grassari; neque facto ullo neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret; milites, quibus in hibernis præerat, laxiore imperio quam antea habere: apud negotiatores, quorum magna multitudo Uticæ erat, criminose simul et magnifice de bello loqui: dimidia pars exercitus si sibi permitteretur, paucis diebus Iugurtham in catenis habiturum; ab imperatore consulto trahi, quod homo inanis et regiæ superbiæ imperio nimis gauderet. Quæ omnia illis eo firmiora videbantur, quod diuturnitate belli res familiares corruperant, et animo cupienti nihil satis festinatur.

LXV. Erat præterea in exercitu nostro Numida quidam, nomine Gauda, Mastanabalis filius, Masinissæ nepos, quem Micipsa testamento secundum heredem scripserat, morbis confectus et ob eam causam mente paululum inminuta. Cui Metellus petenti more regum ut sellam iuxta poneret, item postea custodiæ caussa turmam equitum Romanorum, utrumque negaverat: honorem, quod eorum modo foret, quos populus Romanus reges appellavisset; præsidium, quod contumeliosum in eos foret, si equites Romani satellites Numidæ traderentur. Hunc Marius anxium aggreditur atque hortatur, ut contume-

liarum imperatori cum suo auxilio pœnas petat; hominem ob morbos animo parum valido secunda oratione extollit: illum regem, ingentem virum, Masinissæ nepotem esse: si Iugurtha captus aut occisus foret, imperium Numidiæ sine mora habiturum: id adeo mature posse evenire, si ipse consul ad id bellum missus foret. Itaque et illum et equites Romanos [et milites] et negotiatores alios ipse, plerosque pacis spes impellit, uti Romam ad suos necessarios aspere in Metellum de bello scribant, Marium imperatorem poscant. Sic illi a multis mortalibus honestissuma suffragatione consulatus petebatur; simul ea tempestate plebs, nobilitate fusa per legem Mamiliam, novos extollebat.

LXVI. Ita Mario cuncta procedere. Interim Iugurtha postquam omissa deditione bellum incipit, cum magna cura parare omnia, festinare, cogere exercitum; civitates, quæ ab se defecerant, formidine aut ostentando præmia affectare: communire suos locos, arma, tela, aliaque, quæ spe pacis amiserat, reficere aut commercari, servitia Romanorum adlicere et eos ipsos, qui in præsidiis erant, pecunia temptare; prorsus nihil intactum neque quietum pati, cuncta agitare. Igitur Vaccenses, quo Metellus initio Iugurtha pacificante præsidium inposuerat, fatigati regis suppliciis neque antea voluntate alienati, principes civitatis inter se cóniurant: nam volgus, uti plerumque solet, et maxume Numidarum, ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum erat, cupidum novarum rerum, quieti et otio advorsum: dein, compositis inter se rebus, in diem tertium constituunt, quod is festus celebratusque per omnem Africam ludum et lasciviam magis quam formidinem ostentabat. Sed ubi tempus fuit, centuriones tribunosque militares et ipsum præfectum oppidi, Titum Turpilium Silanum, alius alium domos suas invitant, eos omnis, præter Turpilium, inter epulas obtruncant: postea milites palantes, inermos, quippe

Digitized by Google

in tali die ac sine imperio, adgrediuntur. Idem plebes facit, pars edocti ab nobilitate, alii studio talium rerum incitati, quis acta consiliumque ignorantibus tumultus ipse et res novæ satis placebant.

LXVII. Romani milites, inproviso metu incerti ignarique, quid potissumum facerent, trepidare; arcem oppidi, ubi signa et scuta erant, præsidium hostium, portæ ante clausæ fugam prohibebant: ad hoc mulieres puerique pro tectis ædificiorum saxa et alia, quæ locus præbebat, certatim mittere. Ita neque caveri anceps malum, neque a fortissumis infirmissumo generi resisti posse; iuxta boni malique, strenui et inbelles inulti obtruncari. In ea tanta asperitate, sævissumis Numidis et oppido undique clauso, Turpilius præfectus unus ex omnibus Italicis intactus profugit; id misericordiane hospitis, an pactione, an casu ita evenerit, parum comperimus; nisi, quia illi in tanto malo turpis vita integra fama potior fuit, improbus intestabilisque videtur.

LXVIII. Metellus postquam de rebus Vaccæ actis comperit, paulisper mæstus e conspectu abit: deinde, ubi ira et ægritudo permixta sunt, cum maxuma cura ultum ire iniurias festinat. Legionem, cum qua hiemabat, et quam plurimos potest Numidas equites pariter cum occasu solis expeditos educit; et postera die circiter horam tertiam pervenit in quandam planitiem, locis paulo superioribus circumventam. Ibi milites fessos itineris magnitudine et iam abnuentis omnia docet, oppidum Vaccam non amplius mille passuum abesse: decere illos reliquum laborem æquo animo pati, dum pro civibus suis, viris fortissumis atque miserrumis, pœnas caperent; præterea prædam benigne ostentat. Sic animis eorum arrectis, equites in primo late, pedites quam artissume ire et signa occultare iubet.

LXIX. Vaccenses ubi animum advortere ad se vorsum exercitum pergere, primo, uti erat res, Metellum esse rati,

portas clausere; deinde ubi neque agros vastari et eos, qui primi aderant, Numidas equites vident, rursum Iugurtham arbitrati, cum magno gaudio obvii procedunt. Equites peditesque repente signo dato alii volgum effusum oppido cædere, alii ad portas festinare, pars turris capere: ira atque prædæ spes amplius quam lassitudo posse. Ita Vaccenses biduum modo ex perfidia lætati: civitas magna et opulens cuncta pœnæ aut prædæ fuit. Turpilius, quem præfectum oppidi unum ex omnibus profugisse supra ostendimus, iussus a Metello causam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus verberatusque capite pœnas solvit; nam is civis ex Latio erat.

LXX. Per idem tempus Bomilcar, cuius inpulsu Iugurtha deditionem, quam metu deseruit, inceperat, suspectus regi et ipse eum suspiciens, novas res cupere, ad perniciem eius dolum quærere, die noctuque fatigare animum; denique omnia temptando socium sibi adiungit Nabdalsam, hominem nobilem, magnis opibus, clarum acceptumque popularibus suis, qui plerumque seorsum ab rege exercitum ductare et omnis res exequi solitus erat, quæ Iugurthæ fesso aut maioribus astricto superaverant; ex quo illi gloria opesque inventæ. Igitur utriusque consilio dies insidiis statuitur; cetera, uti res posceret, ex tempore parari placuit. Nabdalsa ad exercitum profectus, quem inter hiberna Romanorum iussus habebat, ne ager inultis hostibus vastaretur. Is postquam magnitudine facinoris perculsus ad tempus non venit, metusque rem impediebat, Bomilcar simul cupidus incepta patrandi et timore socii anxius, ne omisso vetere consilio novum quæreret, litteras ad eum per homines fideles mittit, in quis mollitiam socordiamque viri accusare, testari deos, per quos iuravisset, monere, ne præmia Metelli in pestem convorteret; Iugurthæ exitium adesse, ceterum suane an Metelli virtute periret, id modo agitari; proinde reputaret cum animo suo, prædia an cruciatum mallet.

Digitized by Google

LXXI. Sed cum hæ literæ allatæ, forte Nabdalsa, exercito corpore fessus, in lecto quiescebat; ubi cognitis Bomilcaris verbis primo cura, deinde, uti ægrum animum solet, somnus cepit. Erat ei Numida quidam negotiorum curator, fidus acceptusque et omnium consiliorum, nisi novissumi, particeps. Qui postquam allatas litteras audivit et ex consuetudine ratus opera aut ingenio suo opus esse, in tabernaculum introiit; dormiente illo epistolam, super caput in pulvino temere positam, sumit ac perlegit: dein propere cognitis insidiis ad regem pergit. Nabdalsa, paulo post experrectus, ubi neque epistolam repperit et rem omnem, uti acta erat, [ex perfugis] cognovit, primo indicem persequi conatus, postquam id frustra fuit, Iugurtham placandi gratia accedit; dicit, quæ ipse paravisset facere, perfidia clientis sui præventa: lacrumans obtestatur per amicitiam perque sua antea fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sese haberet.

LXXII. Ad ea rex aliter, atque animo gerebat, placide respondit. Bomilcare aliisque multis, quos socios insidiarum cognoverat, interfectis, iram oppresserat, ne qua ex eo negotio seditio oriretur. Neque post id locorum Iugurthæ dies aut nox ulla quieta fuit; neque loco neque mortali cuiquam aut tempori satis credere: civis hostesque iuxta metuere, circumspectare omnia et omni strepitu pavescere: alio atque alio loco sæpe contra decus regium noctu requiescere; interdum somno excitus arreptis armis tumultum facere; ita formidine quasi vecordia exagitari.

LXXIII. Igitur Metellus, ubi de casu Bomilcaris et indicio patefacto ex perfugis cognovit, rursus tamquam ad integrum bellum cuncta parat festinatque. Marium, fatigantem de profectione, simul et invitum et offensum sibi parum idoneum ratus, domum dimittit. Et Romæ plebes, litteris, quæ de Metello ac Mario missæ erant, cognitis, volenti animo de am-

Digitized by Google

bobus acceperant. Imperatori nobilitas, quæ antea decori fuit, invidiæ esse, at illi alteri generis humilitas favorem addiderat; ceterum in utroque magis studia partium quam bona aut mala sua moderata. Præterea seditiosi magistratus volgum exagitare, Metellum omnibus contionibus capitis arcessere, Marii virtutem in maius celebrare. Denique plebes sic accensa, uti opifices agrestesque omnes, quorum res fidesque in manibus sitæ erant, relictis operibus frequentarent Marium, et sua necessaria post illius honorem ducerent. Ita perculsa nobilitate post multas tempestates novo homini consulatus mandatur; et postea populus a tribuno plebis Manlio Mancino rogatus, quem vellet cum Iugurtha bellum gerere? frequens Marium iussit; sed senatus paulo ante Metello decreverat; ea res frustra fuit.

LXXIV. Eodem tempore Iugurtha amissis amicis, quorum plerosque ipse necaverat, ceteri formidine, pars ad Romanos, alii ad regem Bocchum profugerant, cum neque bellum geri sine administris posset, et novorum fidem in tanta perfidia veterum experiri periculosum duceret, varius incertusque agitabat. Neque illi res neque consilium aut quisquam hominum satis placebat; itinera præfectosque in dies mutare, modo advorsum hostes, interdum in solitudines pergere, sæpe in fuga ac post paulo in armis spem habere: dubitare virtuti an fidei popularium minus crederet; ita, quocumque intenderat, res advorsæ erant. Sed inter eas moras repente sese Metellus cum exercitu ostendit. Numidæ ab Iugurtha pro tempore parati instructique, dein prælium incipitur. Qua in parte rex pugnæ adfuit, ibi aliquamdiu certatum, ceteri eius omnes milites primo congressu pulsi fugatique. Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti: nam ferme Numidas in omnibus præliis magis pedes quam arma tutata sunt.

LXXV. Ea fuga Iugurtha inpensius modo rebus suis diffidens cum perfugis et parte equitatus in solitudines, dein Thalam

Digitized by Google

pervenit, in oppidum magnum atque opulentum, ubi plerique thesauri filiorumque eius multus pueritiæ cultus erat. Quæ postquam Metello comperta sunt, quamquam inter Thalam flumenque proxumum, in spatio milium quinquaginta, loca arida atque vasta esse cognoverat, tamen spe patrandi belli, si eius oppidi potitus foret, omnes asperitates supervadere ac naturam etiam vincere aggreditur. Igitur omnia iumenta sarcinis levari iubet, nisi frumento dierum decem: ceterum utres modo et alia aquæ idonea portari. Præterea conquirit ex agris quam plurimum potest domiti pecoris eoque inponit vasa cuiusque modi, sed pleraque lignea, collecta ex tuguriis Numidarum. Ad hoc finitumis imperat, qui se post regis fugam Metello dederant, quam plurimum quisque aquæ portaret, diem locumque, ubi præsto fuerit, prædicit. Ipse ex flumine, quam proxumam oppido aquam esse supra diximus, iumenta onerat; eo modo instructus ad Thalam proficiscitur. Deinde ubi ad id loci ventum, quo Numidis præceperat, et castra posita munitaque sunt; tanta repente cœlo missa vis aquæ dicitur, ut ea modo exercitui satis superque foret. Præterea commeatus spe amplior, quia Numidæ, sicuti plerique in nova deditione, officia intenderant. Ceterum milites religione pluvia magis usi, eaque res multum animis eorum addidit, nam rati sese diis inmortalibus curæ esse. Deinde postero die contra opinionem Iugurthæ ad Thalam perveniunt. Oppidani, qui se locorum asperitate munitos crediderant, magna atque insolita re perculsi nihilo segnius bellum parare: idem nostri facere.

LXXVI. Sed rex nihil iam infectum Metello credens, quippe qui omnia, arma, tela, locos, tempora, denique naturam ipsam, ceteris imperitantem, industria vicerat, cum liberis et magna parte pecuniæ ex oppido noctu profugit, neque postea in ullo loco amplius uno die aut una nocte moratus,

simulabat sese negotii gratia properare; ceterum proditionem timebat, quam vitare posse celeritate putabat, nam talia consilia per otium et ex oportunitate capi. At Metellus, ubi oppidanos prælio intentos, simul oppidum et operibus et loco munitum videt, vallo fossaque mœnia circumvenit. Deinde iubet locis ex copia maxume idoneis vineas agere, superque eas aggerem iacere et super aggerem inpositis turribus opus et administros tutari. Contra hæc oppidani festinare, parare, prorsus ab utrisque nihil reliquum fieri. Denique Romani, multo ante labore præliisque fatigati, post dies quadraginta quam eo ventum erat, oppido modo potiti: præda omnis ab perfugis corrupta. Hi postquam murum arietibus feriri resque suas adflictas vident, aurum atque argentum et alia, quæ prima ducuntur, domum regiam comportant: ibi vino et epulis onerati, illaque et domum et semet igni corrumpunt; et quas victi ab hostibus pœnas metuerant, eas ipsi volentes pependere.

LXXVII. Sed pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant orantes, uti præsidium præfectumque eo mitteret; Hamilcarem quendam, nobilem hominem, factiosum, novis rebus studere, advorsum quem neque imperia magistratuum neque leges valerent; ni id festinaret, in summo periculo suam salutem, illorum socios fore. Nam Leptitani iam inde a principio belli Iugurthini ad Bestiam consulem et postea Romam miserant, amicitiam societatemque rogatum. Deinde, ubi ea impetrata, semper boni fidelesque mansere et cuncta a Bestia, Albino Metelloque imperata nave fecerant. Itaque ab imperatore facile quæ petebant adepti. Emissæ eo cohortes Ligurum quatuor et C. Annius præfectus.

LXXVIII. Id oppidum ab Sidoniis conditum est, quos accepimus profugos ob discordias civilis navibus in eos locos venisse, ceterum situm inter duas Syrtes, quibus nomen ex re

Digitized by Google

inditum. Nam duo sunt sinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura; quorum proxuma terræ prælta sunt; cetera, uti fors tulit, alta alia, alia in tempestate vadosa. Nam ubi mare magnum esse et sævire ventis cœpit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt; ita facies locorum cum ventis simul mutatur. Syrtes ab tractu nominatæ. Eius civitatis lingua modo convorsa conubio Numidadarum, legum cultusque pleraque Sidonica; quæ eo facilius retinebant, quod procul ab imperio regis ætatem agebant. Inter illos et frequentem Numidiam multi vastique loci erant.

LXXIX. Sed quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus; non indignum videtur egregium atque mirabile facinus duorum Carthaginiensium memorare; eam rem nos locus admonuit. Qua tempestate Carthaginienses pleræque Africæ imperitabant, Cyrenenses quoque magni atque opulenti fuere. Ager in medio arenosus, una specie neque flumen neque mons erat, qui finis eorum discerneret; quæ res eos in magno diuturnoque bello inter se habuit. Postquam utrimque legiones item classes sæpe fusæ fugatæque, et alteri alteros aliquantum attriverant; veriti, ne mox victos victoresque defessos alius aggrederetur, per inducias sponsionem faciunt, uti certo die legati domo proficiscerentur; quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur. Igitur Carthagine duo fratres missi, quibus nomen Philænis erat, maturavere iter pergere: Cyrenenses tardius iere. Id socordiane an casu acciderit, parum cognovi. Ceterum solet in illis locis tempestas haud secus atque in mari retinere. Nam ubi per loca æqualia et nuda gignentium ventus coortus arenam humo excitavit, ea, magna vi agitata, ora oculosque implere solet, ita prospectu impedito morari iter. Postquam Cyrenenses aliquanto posteriores se vident et ob rem corruptam domi pœnas metuunt; criminari Cartha-

ginienses ante tempus domo digressos, conturbare rem: denique omnia malle quam victi abire. Sed cum Pœni aliam conditionem, tantummodo æquam, peterent, Græci optionem Carthaginiensium faciunt, ut vel illi, quos finis populo suo peterent, ibi vivi obruerentur; vel eadem conditione sese, quem in locum vellent, processuros. Philæni, conditione probata, seque vitamque suam rei publicæ condonavere; ita vivi obruti. Carthaginienses in eo loco Philænis fratribus aras consecravere aliique illis domi honores instituti. Nunc ad rem redeo.

LXXX. Iugurtha postquam amissa Thala nihil satis firmum contra Metellum putat, per magnas solitudines cum paucis profectus pervenit ad Gætulos, genus hominum ferum incultumque et eo tempore ignarum nominis Romani. Eorum multitudinem in unum cogit ac paulatim consuefacit ordines habere, signa sequi, imperium observare, item alia militaria facere. Præterea regis Bocchi proxumos magnis muneribus et maioribus promissis ad studium sui perducit; quis adiutoribus regem aggressus impellit, uti advorsus Romanos bellum incipiat. Id ea gratia facilius proniusque fuit, quod Bocchus initio huiusce belli legatos Romam miserat, fœdus et amicitiam petitum; quam rem oportunissumam incepto bello pauci impediverant, cæci avaritia, quis omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. Etiam antea Iugurthæ filia Boccho nupserat. Verum ea necessitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur, quia singuli, pro opibus quisque, quam plurimas uxores, denas alii, alii plures habent, sed reges eo amplius. Ita animus multitudine distrahitur; nullam pro socia obtinet: pariter omnes viles sunt.

LXXXI. Igitur in locum ambobus placitum exercitus conveniunt. Ibi fide data et accepta Iugurtha Bocchi animum oratione accendit: Romanos iniustos, profunda avaritia, communis omnium hostis esse; eamdem illos causam belli cum

Digitized by Google

Boccho habere, quam secum et cum aliis gentibus, lubidinem imperitandi, quis omnia regna advorsa sunt; tum sese, paulo ante Carthaginienses, item regem Persen; post, uti quisque opulentissumus videatur, ita Romanis hostem fore. His atque aliis talibus dictis ad Cirtam oppidum iter constituunt, quod ibi Metellus prædam captivosque et impedimenta locaverat. Ita Iugurtha ratus aut capta urbe operæ pretium fore, aut, si dux Romanus auxilio suis venisset, prælio sese certaturos. Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem inminuere, ne moras agitando aliud quam bellum mallet.

LXXXII. Imperator postquam de regum societate cognovit, non temere neque uti sæpe iam victo Iugurtha consueverat, omnibus locis pugnandi copiam facit, ceterum haud procul ab Cirta castris munitis reges operitur, melius esse ratus, cognitis Mauris, quoniam is novus hostis accesserat, ex commodo pugnam facere. Interim Roma per litteras certior fit, provinciam Numidiam Mario datam; nam consulem factum ante acceperat. Quibus rebus supra bonum aut honestum perculsus neque lacrumas tenere neque moderari linguam: vir egregius in aliis artibus nimis molliter ægritudinem pati. Quam rem alii in superbiam vortebant, alii bonum ingenium contumelia accensum esse; multi, quod iam parta victoria ex manibus eriperetur; nobis satis cognitum est, illum magis honore Marii quam iniuria sua excruciatum neque tam anxie laturum fuisse, si adempta provincia alii quam Mario traderetur.

LXXXIII. Igitur eo dolore impeditus et quia stultitiæ videbatur alienam rem periculo suo curare, legatos ad Bocchum mittit postulatum, ne sine causa hostis populi Romani fieret: habere tum magnam copiam societatis amicitiæque coniungendæ, quæ potior bello esset; et quamquam opibus suis confideret, tamen non debere incerta pro certis mutare; omne bellum sumi facile, ceterum ægerrume desinere; non in eius-

dem potestate initium eius et finem esse; incipere cuivis, etiam ignavo licere, deponi, cum victores velint; proinde sibi regnoque suo consuleret, neu florentis res suas cum Iugurthæ perditis misceret. Ad ea rex satis placide verba facit: sese pacem cupere, sed Iugurthæ fortunarum misereri; si eadem illi copia fieret, omnia conventura. Rursus imperator contra postulata Bocchi nuntios mittit; ille probare partim, alia abnuere. Eo modo sæpe ab utroque missis remissisque nuntiis tempus procedere et ex Metelli voluntate bellum intactum trahi.

LXXXIV. At Marius, ut supra diximus, cupientissima plebe consul factus, postquam ei provinciam Numidiam populus iussit, antea iam infestus nobilitati, tum vero multus atque ferox instare, singulos modo, modo universos lædere; dictitare, sese consulatum ex victis illis spolia cepisse, alia præterea magnifica pro se et illis dolentia. Interim, quæ bello opus erant, prima habere, postulare legionibus supplementum, auxilia a populis et regibus sociisque accersere: præterea ex Latio fortissumum quemque, plerosque militiæ, paucos fama cognitos accire, et ambiundo cogere homines emeritis stipendiis secum proficisci. Neque illi senatus, quamquam advorsus erat, de ullo negotio abnuere audebat; ceterum supplementum etiam lætus decreverat: quia neque plebe militia volenti putabatur et Marius aut belli usum aut studia volgi amissurus. Sed ea res frustra sperata; tanta lubido cum Mario eundi plerosque invaserat. Sese quisque præda locupletem fore, victorem domum rediturum, alia huiuscemodi animis trahebant, et eos non paulum oratione sua Marius arrexerat. Nam postquam omnibus, quæ postulaverat, decretis, milites scribere volt, hortandi causa, simul et nobilitatem, uti consueverat, exagitandi, contionem populi advocavit. Deinde hoc modo disseruit:

LXXXV. «Scio ego, Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium a vobis petere et, postquam adepti sunt, gerere:

Digitized by Google

primo industrios, supplices, modicos esse, dein per ignaviam et superbiam ætatem agere; sed mihi contra ea videtur. Nam quo pluris universa res publica quam consulatus aut prætura, eo maiore cura illam administrari quam hæc peti debere. Neque me fallit, quantum cum maxumo vestro beneficio negotii sustineam. Bellum parare, simul et ærario parcere, cogere ad militiam eos, quos nolis offendere, domi forisque omnia curare, et ea agere inter invidos, occursantis, factiosos, opinione, Quirites, asperius est. Ad hoc, alii si deliquere, vetus nobilitas, maiorum fortia facta, cognatorum et adfinium opes, multæ clientelæ, omnia hæc præsidio adsunt: mihi spes omnes in memet sitæ, quas necesse est virtute et innocentia tutari; nam alia infirma sunt. Et illud intellego, Quirites, omnium ora in me convorsa esse: æquos bonosque favere: quippe mea benefacta rei publicæ procedunt; nobilitatem locum invadendi quærere. Quo mihi acrius adnitendum est, uti neque vos capiamini et illi frustra sint. Ita ad hoc ætatis a pueritia fui, uti omnis labores et pericula consueta habeam. Quæ ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea uti accepta mercede deseram, non est consilium, Quirites. Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere; mihi, qui omnem ætatem in optumis artibus egi, benefacere iam ex consuetudine in naturam vortit. Bellum me gerere cum Iugurtha iussistis; quam rem nobilitas ægerrume tulit. Quæso, reputate cum animis vestris, num mutare id melius sit. Si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiæ aut multarum imaginum et nullius stipendii: scilicet ut in tanta re, ignarus omnium, trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii sui. Ita plerumque evenit, ut quem vos imperare iussistis, is [sibi] imperatorem alium quærat. Atque ego scio, Quirites, qui, postquam consules facti sunt,

et acta maiorum et Græcorum militaria præcepta legere cœperint; præposteri homines. Nam gerere quam fieri tempore posterius, re atque usu prius est. Comparate nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem novum. Quæ illi audire et legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi: quæ illi litteris, ea ego militando didici. Nunc vos existumate, facta an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem meam, ego illorum ignaviam; mihi fortuna, illis probra obiectantur; quamquam ego naturam unam et communem omnium existumo, sed fortissumum quemque generosissumum. Ac si iam ex patribus Albini aut Bestiæ quæri posset, mene an illos ex se gigni maluerint; quid responsuros creditis, nisi, sese liberos quam optumos voluisse? Quod si iure me despiciunt, faciant idem maioribus suis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas cœpit. Invident honori meo; ergo invideant labori, innocentiæ, periculis etiam meis, quoniam per hæc illum cepi. Verum homines corrupti superbia ita ætatem agunt, quasi vestros honores contemnant; ita hos petunt, quasi honeste vixerint. Næ illi falsi sunt, qui divorsissumas res pariter expectant, ignaviæ voluptatem et præmia virtutis. Atque etiam cum apud vos aut in senatu verba faciunt, pleraque oratione maiores suos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores sese putant: quod contra est. Nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. Et profecto ita se res habet, maiorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona neque mala eorum in occulto patitur. Huiusce rei ego inopiam patior, Quirites; verum id quod multo præclarius est, meamet facta mihi dicere licet. Nunc videte, quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi adrogant, id mihi ex mea non concedunt; scilicet quia imagines non habeo et quia mihi nova nobilitas est, quam certe peperisse melius est quam acceptam corrupisse. Equidem ego non ignoro, si iam mihi

Digitized by Google

respondere velint, abunde illis facundam et compositam orationem fore. Sed in maxumo vestro beneficio, cum omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere, ne quis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem ex animi mei sententia nulla oratio lædere potest; quippe vera necesse est bene prædicet; falsam vita moresque mei superant. Sed quoniam vestra consilia accusantur, qui mihi summum honorem et maxumum negotium inposuistis, etiam atque etiam reputate, num eorum pœnitendum sit. Non possum fidei causa imagines neque triumphos aut consulatus maiorum meorum ostentare; at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona; præterea cicatrices advorso corpore. Hæ sunt meæ imagines, hæc nobilitas, non hereditate relicta, ut illa illis, sed quæ ego meis plurimis laboribus et periculis quæsivi. Non sunt composita verba mea; parum id facio; ipsa se virtus satis ostendit: illis artificio opus est, ut turpia facta oratione tegant. Neque litteras Græcas didici; parum placebat eas discere, quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerant. At illa multo optuma rei publicæ doctus sum: hostem ferire, præsidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam, hiemem et æstatem iuxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam et laborem tolerare. His ergo præceptis milites hortabor, neque illos arte colam me opulenter, neque gloriam meam laborem illorum faciam. Hoc est utile, hoc civile imperium. Namque cum tute per mollitiem agas, exercitum supplicio cogere, id est dominum, non imperatorem esse. Hæc atque talia maiores vestri faciundo seque remque publicam celebravere. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum æmulos contemnit, et omnes honores non ex merito, sed quasi debitos a vobis repetit. Ceterum homines superbissumi procul errant. Maiores eorum omnia, quæ licebat, illis reliquere, divitias, imagines, memoriam sui præ-

claram, virtutem non reliquere, neque poterant: ea sola neque datur dono, neque accipitur. Sordidum me et incultum moribus aiunt; quia parum scite convivium exorno, neque histrionem ullum neque pluris pretii cocum quam villicum habeo; quæ mihi lubet confiteri, Quirites. Nam ex parente meo et ex aliis sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, laborem viris convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriæ quam divitiarum esse; arma, non suppellectilem decori esse. Quin ergo quod iuvat, quod carum æstumant, id semper faciant, ament, potent; ubi adulescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri et turpissumæ parti corporis: sudorem, pulverem et alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis iocundiora sunt. Verum non ita est. Nam ubi se flagitiis dedecoravere turpissumi viri, bonorum præmia ereptum eunt. Ita iniustissume luxuria et ignavia, pessumæ artes, illis, qui coluere eas, nihil officiunt; rei publicæ innoxiæ cladi sunt. Nunc quoniam illis, quantum mores mei non illorum flagitia poscebant, respondi, pauca de republica loquar. Primum omnium de Numidia bonum habete animum, Quirites. Nam quæ ad hoc tempus Iugurtham tutata sunt, omnia removistis, avaritiam, imperitiam atque superbiam. Deinde exercitus ibi est locorum sciens, sed mehercule magis strenuus quam felix. Nam magna pars eius avaritia aut temeritate ducum attrita est. Quamobrem vos, quibus militaris ætas est, adnitimini [mecum] et capessite rempublicam! neque quemquam ex calamitate aliorum aut imperatorum superbia metus ceperit. Egomet in agmine aut in prælio consultor idem et socius periculi vobiscum adero, meque vosque in omnibus rebus iuxta geram. Et profecto dis iuvantibus omnia matura sunt, victoria, præda, laus: quæ si dubia aut procul essent, tamen omnis bonos rei publicæ subvenire decebat. Etenim ignavia nemo inmortalis factus est, neque quisquam parens

Digitized by Google

liberis, uti æterni forent, optavit, magis uti boni honestique vitam exigerent. Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent; nam strenuis abunde dictum puto.»

LXXXVI. Huiuscemodi oratione habita Marius postquam plebis animos arrectos videt, propere commeatu, stipendio, armis aliisque utilibus navis onerat; cum his A. Manlium legatum proficisci iubet. Ipse interea milites scribere non more maiorum, neque ex classibus, sed uti cuiusque lubido erat, capite censos plerosque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem consulis memorabant, quod ab eo genere celebratus auctusque erat, et homini potentiam quærenti egentissumus quisque oportunissumus, cui neque sua curæ, quippe quæ nulla sunt, et omnia cum pretio honesta videntur. Igitur Marius cum aliquanto maiore numero quam decretum erat in Africam profectus paucis diebus Uticam advehitur. Exercitus ei traditur a P. Rutilio legato, nam Metellus conspectum Marii fugerat, ne videret ea, quæ audita animus tolerare nequiverat.

LXXXVII. Sed Consul expletis legionibus cohortibusque auxiliariis in agrum fertilem et præda onustum proficiscitur, omnia ibi capta militibus donat, dein castella et oppida natura et viris parum munita aggreditur: prælia multa, ceterum levia, alia aliis locis facere. Interim novi milites sine metu pugnæ adesse, videre fugientes capi aut occidi, fortissumum quemque tutissumum; armis libertatem, patriam parentesque et alia omnia tegi, gloriam atque divitias quæri. Sic brevi spatio novi veteresque coaluere, et virtus omnium æqualis facta. At reges, ubi de adventu Marii cognoverunt, divorsi in locos difficiles abeunt. Ita Iugurthæ placuerat speranti mox effusos hostis invadi posse, Romanos, sicuti plerosque, remoto metu laxius licentiusque futuros.

LXXXVIII. Metellus interea Romam profectus contra spem suam lætissumis animis excipitur, plebi patribusque, postquam

Digitized by Google

invidia decesserat, iuxta carus. Sed Marius impigre prudenterque suorum et hostium res pariter adtendere; cognoscere quid boni utrisque aut contra esset; explorare itinera regum, consilia et insidias eorum antevenire: nihil apud se remissum neque apud illos tutum pati. Itaque et Gætulos et Iugurtham ex sociis nostris prædas agentes sæpe aggressus in itinere fuderat, ipsumque regem haud procul ab oppido Cirta armis exuerat. Quæ postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit, statuit urbes, quæ viris aut loco pro hostibus et advorsum se oportunissumæ erant, singulas circumvenire: ita Iugurtham aut præsidiis nudatum, si ea pateretur, aut prælio certaturum. Nam Bocchus nuntios ad eum sæpe miserat, velle populi Romani amicitiam; ne quid ab se hostile timeret. Id simulaveritne, quo improvisus gravior accederet, an mobilitate ingenii pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est.

LXXXIX. Sed consul, uti statuerat, oppida castellaque munita adire, partim vi, alia metu aut præmia ostentando avortere ab hostibus. Ac primo mediocria gerebat, existumans Iugurtham ob suos tutandos in manus venturum. Sed ubi illum procul abesse et aliis negotiis intentum accepit, maiora et magis aspera adgredi tempus visum est. Erat inter ingentes solitudines oppidum magnum atque valens, nomine Capsa, cuius conditor Hercules Libys memorabatur. Eius cives apud Iugurtham immunes, levi imperio et ob ea fidelissumi habebantur, muniti advorsum hostis non mœnibus modo et armis atque viris, verum etiam multo magis locorum asperitate. Nam, præter oppido propinqua, alia omnia vasta, inculta, egentia aquæ, infesta serpentibus, quorum vis sicuti omnium ferarum, inopia cibi acrior; ad hoc natura serpentium, ipsa perniciosa, siti magis quam alia re accenditur. Eius potiundi Marium maxuma cupido invaserat: cum propter usum belli, tum quia

Digitized by Google

res aspera videbatur, et Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud dissimiliter situm munitumque; nisi quod apud Thalam non longe a mœnibus aliquot fontes erant, Capsenses una modo atque ea intra oppidum iugi aqua, cetera pluvia utebantur. Id ibique et in omni Africa, quæ procul a mari incultius agebat, eo facilius tolerabatur, quia Numidæ plerumque lacte et ferina carne vescebantur, et neque salem neque alia irritamenta gulæ quærebant; cibus illis advorsum famem atque sitim, non lubidini neque luxuriæ erat.

LXXXX. Igitur consul omnibus exploratis, credo, dis fretus, nam contra tantas difficultates consilio satis providere non poterat, quippe etiam frumenti inopia temptabatur, quia Numidæ pabulo pecoris magis quam arvo student, et quodcumque natum fuerat iussu regis in loca munita contulerant, ager autem aridus et frugum vacuus ea tempestate, nam æstatis extremum erat; tamen pro rei copia satis providenter exornat: pecus omne, quod superioribus diebus prædæ fuerat, equitibus auxiliariis agendum attribuit; A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris, ubi stipendium et commeatum locaverat, ire iubet dicitque se prædabundum post paucos dies eodem venturum. Sic incepto suo occultato pergit ad flumen Tanam.

LXXXXI. Ceterum in itinere cotidie pecus exercitui per centurias item turmas [æqualiter] distribuerat et ex coriis utres uti fierent, curabat; simul inopiam frumenti lenire et ignaris omnibus parare, quæ mox usui forent; denique sexto die, cum ad flumen ventum est, maxuma vis utrium effecta. Ibi castris levi munimento positis, milites cibum capere atque, uti simul cum occasu solis egrederentur, paratos esse iubet; omnibus sarcinis abiectis, aqua modo seque et iumenta onerare. Dein, postquam tempus visum, castris egreditur, noctemque totam itinere facto consedit; idem proxuma facit; dein

tertia multo ante lucis adventum pervenit in locum tumulosum, ab Capsa non amplius duum milium intervallo ibique, quam occultissume potest, cum omnibus copiis opperitur. Sed ubi dies cœpit et Numidæ, nihil hostile metuentes, multi oppido egressi, repente omnem equitatum et cum his velocissumos pedites cursu tendere ad Capsam et portas obsidere iubet; deinde ipse intentus propere sequi, neque milites prædari sinere. Quæ postquam oppidani cognovere, res trepidæ, metus ingens, malum inprovisum, ad hoc pars civium extra mœnia in hostium potestate coegere, uti deditionem facerent. Ceterum oppidum incensum, Numidæ puberes interfecti, alii omnes venum dati, præda militibus divisa. Id facinus contra ius belli non avaritia neque scelere consulis admissum; sed quia locus Iugurthæ oportunus, nobis aditu difficilis, genus hominum mobile, infidum ante, neque beneficio neque metu coercitum.

LXXXXII. Postquam tantam rem peregit Marius sine ullo suorum incommodo, magnus et clarus antea, maior atque clarior haberi cœpit. Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur, milites modesto imperio habiti simul et locupletes ad cælum ferre; Numidæ magis quam mortalem timere; postremo omnes socii atque hostes credere, illi aut mentem divinam esse aut deorum nutu cuncta portendi. Sed consul, bene ea res ubi evenit, ad alia oppida pergit, pauca repugnantibus Numidis capit, plura deserta propter Capsensium miserias igni corrumpit; luctu atque cæde omnia complentur. Denique multis locis potitus, ac plerisque exercitu incruento, aliam rem aggreditur non eadem asperitate, qua Capsensium, ceterum haud secus difficilem. Namque haud longe a flumine Mulucha, quod Iugurthæ Bocchique regnum disiungebat, erat inter ceteram planitiem mons saxeus, mediocri castello satis patens, in inmensum editus, uno perangusto aditu relicto: nam omnis natura velut opere atque consulto præceps. Quem

Digitized by Google

locum Marius, quod ibi regis thesauri erant, summa vi capere intendit. Sed ea res forte quam consilio melius gesta. Nam castello virorum atque armorum satis, magna vis [et] frumenti et fons aquæ; aggeribus turribusque et aliis machinationibus locus inportunus; iter castellanorum angustum admodum, utrimque præcisum. Vineæ cum ingenti periculo frustra agebantur; nam cum hæ paulo processerant, igni aut lapidibus corrumpebantur; milites neque pro opere consistere propter iniquitatem loci, neque inter vineas sine periculo administrare; optumus quisque cadere aut sauciari, ceteris metus augeri.

LXXXIII. At Marius, multis diebus et laboribus consumptis, anxius trahere cum animo suo, omitteretne inceptum, quoniam frustra erat, an fortunam operiretur, qua sæpe prospere usus fuerat. Quæ cum multos dies noctesque æstuans agitaret, forte quidam Ligus, ex cohortibus auxiliariis miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod advorsum præliantibus erat, animum advortit inter saxa repentes cocleas; quarum cum unam atque alteram dein plures peteret, studio legundi paulatim prope ad summum montis egressus est. Ubi postquam solitudinem intellexit, more ingenii humani cupido difficilia faciundi animum vortit. Et forte in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paulum modo prona, deinde inflexa atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert. Cuius ramis modo, modo eminentibus saxis nisus Ligus in castelli planitiem pervenit, quod cuncti Numidæ intenti præliantibus aderant. Exploratis omnibus, quæ mox usui fore ducebat, eodem regreditur, non temere, uti ascenderat, sed temptans omnia et circumspiciens. Itaque Marium propere adit, acta edocet, hortatur ab ea parte, qua ipse ascenderat, castellum temptet, pollicetur sese itineris periculique ducem. Marius cum Ligure promissa eius

cognitum ex præsentibus misit: quorum uti cuiusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem nuntiavere. Consulis animus tamen paulum arrectus est. Itaque ex copia tubicinum et cornicinum numero quinque quam velocissumos delegit, et cum his, præsidio qui forent, quatuor centuriones, omnesque Liguri parere iubet, et ei negotio proxumum diem constituit.

LXXXXIV. Sed ubi ex præcepto tempus visum, paratis compositisque omnibus ad locum pergit. Ceterum illi, qui centuriis præerant, prædocti ab duce arma ornatumque mutaverant, capite atque pedibus nudis, uti prospectus nisusque per saxa facilius foret: super terga gladii et scuta, verum ea Numidica ex coriis ponderis gratia, simul et offensa quo levius streperent. Igitur prægrediens Ligus saxa, et si quæ vetustate radices eminebant, laqueis vinciebat, quibus allevati milites facilius ascenderent; interdum timidos insolentia itineris levare manu: ubi paulo asperior ascensus erat, singulos præ se inermos mittere; deinde ipse cum illorum armis sequi: quæ dubia nisui videbantur, potissumus temptare, ac sæpius eadem ascendens descendensque, dein statim digrediens, ceteris audaciam addere. Igitur diu multumque fatigati, tandem in castellum perveniunt, desertum ab ea parte: quod omnes, sicut aliis diebus, advorsum hostis aderant. Marius, ubi ex nuntiis quæ Ligus egerat cognovit, quamquam toto die intentos prælio Numidas habuerat, tum vero cohortatus milites, et ipse extra vineas egressus, testudine acta succedere et simul hostem tormentis sagittariisque et funditoribus eminus terrere. At Numidæ, sæpe antea vineis Romanorum subvorsis item incensis, non castelli mœnibus sese tutabantur, sed pro muro dies noctesque agitare, maledicere Romanis ac Mario vecordiam obiectare, militibus nostris Iugurthæ servitium minari, secundis rebus feroces esse. Interim Romanis omnibus hostibusque prælio intentis, magna utrimque vi pro gloria atque imperio

Digitized by Google

his, illis pro salute certantibus, repente a tergo signa canere. Ac primo mulieres et pueri, qui visum processerant, fugere; deinde, uti quisque muro proxumus erat, postremo cuncti armati inermesque. Quod ubi accidit, eo acrius Romani instare, fundere ac plerosque tantummodo sauciare; dein super occisorum corpora vadere, avidi gloriæ certantes murum petere, neque quemquam omnium præda morari. Sic forte correcta Marii temeritas gloriam ex culpa invenit.

LXXXXV. Ceterum dum ea res geritur, L. Sulla quæstor cum magno equitatu in castra venit: quos uti ex Latio et a sociis cogeret, Romæ relictus erat. Sed quoniam nos tanti viri res admonuit, idoneum visum est de natura cultuque eius paucis dicere; neque enim alio loco de Sullæ rebus dicturi sumus, et L. Sisenna, optume et diligentissume omnium, qui eas res dixere, persecutus, parum mihi libero ore locutus videtur. Igitur Sulla gentis patriciæ nobilis fuit, familia iam prope extincta maiorum ignavia, litteris Græcis et Latinis iuxta atque doctissume eruditus, animo ingenti, cupidus voluptatum, sed gloriæ cupidior: otio luxurioso esse, tamen ab negotiis numquam voluptas remorata; nisi quod de uxore potuit honestius consuli: facundus, callidus et amicitia facilis: ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis; multarum rerum ac maxume pecuniæ largitor. Atque illi felicissumo omnium ante civilem victoriam numquam super industriam fortuna fuit, multique dubitavere, fortior an felicior esset; nam postea quæ fecerit, incertum habeo, pudeat magis an pigeat disserere.

LXXXXVI. Igitur Sulla, uti supra dictum est, postquam in Africam atque in castra Marii cum equitatu venit, rudis antea et ignarus belli, sollertissumus omnium in paucis tempestatibus factus est. Ad hoc milites benigne appellare, multis rogantibus, aliis per se ipse dare beneficia, invitus accipere, sed

ea properantius quam æs mutuum reddere; ipse a nullo repetere, magis id laborare, ut illi quam plurimi deberent; ioca atque seria cum humillumis agere; in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse; neque interim, quod prava ambitio solet, consulis aut cuiusquam boni famam lædere; tantummodo neque consilio neque manu priorem alium pati: plerosque antevenire. Quibus rebus et artibus brevi Mario militibusque carissumus factus.

LXXXXVII. At Iugurtha, postquam oppidum Capsam aliosque locos munitos et sibi utiles simul et magnam pecuniam amiserat, ad Bocchum nuntios mittit, quam primum in Numidiam copias adduceret, prælii faciundi tempus adesse. Quem ubi cunctari accepit et dubium belli atque pacis rationes trahere, rursus, uti antea, proxumos eius donis corrumpit ipsique Mauro pollicetur Numidiæ partem tertiam, si aut Romani Africa expulsi, aut integris suis finibus bellum compositum foret. Eo præmio inlectus Bocchus cum magna multitudine Iugurtham accedit. Ita amborum exercitu coniuncto Marium iam in hiberna proficiscentem, vix decima parte diei reliqua, invadunt, rati noctem, quæ iam aderat, et victis sibi munimento fore et, si vicissent, nullo inpedimento, quia locorum scientes erant; contra Romanis utrumque casum in tenebris difficiliorem fore. Igitur simul consul ex multis de hostium adventu cognovit, et ipsi hostes aderant; et priusquam exercitus aut instrui aut sarcinas colligere, denique antequam signum aut imperium ullum accipere quivisset, equites Mauri atque Gætuli non acie neque ullo more prælii sed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros concurrunt, qui omnes trepidi inproviso metu, ac tamen virtutis memores, aut arma capiebant aut capientes alios ab hostibus defensabant: pars equos ascendere, obviam ire hostibus; pugna latrocinio magis quam prælio similis fieri: sine signis,

Digitized by Google

sine ordinibus equites peditesque permixti; cædere alios, alios obtruncare; multos, contra advorsos acerrume pugnantes, ab tergo circumvenire: neque virtus neque arma satis tegere, quia hostes numero plures et undique circumfusi erant; denique Romani veteres novique et ob ea scientes belli, si quos locus aut casus coniunxerat, orbes facere, atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant.

LXXXVIII. Neque in eo tam aspero negotio Marius territus aut magis quam antea demisso animo fuit, sed cum turma sua, quam ex fortissumis magis quam familiarissumis paraverat, vagari passim ac modo laborantibus suis succurrere, modo hostes, ubi confertissumi obstiterant, invadere; manu consulere militibus, quoniam imperare conturbatis omnibus non poterat. Iamque dies consumptus erat, cum tamen barbari nihil remittere atque, uti reges præceperant, noctem pro se rati, acrius instare. Tum Marius ex copia rerum consilium trahit atque, uti suis receptui locus esset, colles duos propinquos inter se occupat, quorum in uno castris parum amplo fons aquæ magnus erat: alter usui oportunus, quia magna parte editus et præceps pauca munimenta quærebat. Ceterum apud aquam Sullam cum equitibus noctem agitare iubet. Ipse paulatim dispersos milites neque minus hostibus conturbatis in unum contrahit: dein cunctos pleno gradu in collem subducit. Ita reges loci difficultate coacti prælio deterrentur; neque tamen suos longius abire sinunt, sed utroque colle multitudine circumdato effusi consedere. Dein crebris ignibus factis plerumque noctis barbari more suo lætari, exultare, strepere vocibus; et ipsi duces feroces, quia non fugere, aut pro victoribus agere. Sed ea cuncta Romanis ex tenebris et editioribus locis facilia visu magnoque hortamento erant.

LXXXXIX. Plurimum vero Marius imperitia hostium confirmatus quam maxumum silentium haberi iubet; ne signa quidem, uti per vigilias solebant, canere; deinde, ubi lux adventabat, defessis iam hostibus ac paulo ante [iam] somno captis, de improviso vigiles, item cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnes signa canere, milites clamorem tollere atque portis erumpere iubet. Mauri atque Gætuli ignoto et horribili sonitu repente exciti neque fugere, neque arma capere, neque omnino facere aut providere quicquam poterant; ita cunctos strepitu, clamore, nullo subveniente, nostris instantibus, tumultu, formidine, terrore quasi vecordia ceperat. Denique omnes fusi fugatique; arma et signa militaria pleraque capta; pluresque eo prælio quam omnibus superioribus interempti. Nam somno et metu insolito inpedita fuga.

C. Dein Marius, uti cœperat, in hiberna it, quæ propter commeatum in oppidis maritumis agere decreverat; neque tamen victoria socors aut insolens factus, sed pariter atque in conspectu hostium quadrato agmine incedere. Sulla cum equitatu apud dextumos, in sinistra parte Aulus Manlius cum funditoribus et sagittariis, præterea cohortes Ligurum curabat: primos et extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat. Perfugæ, minume cari et regionum scientissumi, hostium iter explorabant: simul consul, quasi nullo inposito, omnia providere: apud omnes adesse: laudare et increpare merentes. Ipse armatus intentusque, item milites cogebat: neque secus, atque iter facere, castra munire; excubitum in porta cohortes ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere; præterea alios super vallum in munimentis locare, vigilias ipse circumire, non tam diffidentia futuri, quæ imperavisset, quam uti militibus exæquatus cum imperatore labor volentibus esset. Et sane Marius illoque aliisque temporibus Iugurthini belli pudore magis quam malo exercitum coercebat; quod multi per ambitionem fieri aiebant, pars quod

Digitized by Google

a pueritia consuetam duritiam et alia, quæ ceteri miserias vocant, voluptati habuisset. Nisi tamen res publica pariter ac sævissumo imperio bene atque decore gesta.

CI. Igitur quarto denique die haud longe ab oppido Cirta undique simul speculatores citi sese ostendunt; qua re hostis adesse intelligitur. Sed quia divorsi redeuntes alius ab alia parte atque omnes idem significabant, consul incertus, quonam modo aciem instrueret, nullo ordine commutato advorsum omnia paratus ibidem opperitur. Ita Iugurthæ spes frustrata, qui copias in quatuor partes distribuerat ratus ex omnibus æque aliquos ab tergo hostibus venturos. Interim Sulla, quem primum hostes attigerant, cohortatus suos turmatim et quam maxume confertis equis ipse aliique Mauros invadunt; ceteri in loco manentes ab iaculis eminus emissis corpora tegere et, si qui in manus venerant, obtruncare. Dum eo modo equites præliantur, Bocchus cum peditibus, quos Volux filius eius adduxerat, (neque in priore pugna in itinere morati adfuerant,) postremam Romanorum aciem invadunt. Tum Marius apud primos agebat, quod ibi Iugurtha cum plurimis erat. Dehinc Numida, cognito Bocchi adventu, clam cum paucis ad pedites convortit; ibi Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat: «nostros frustra pugnare, paulo ante Marium sua manu interfectum;» simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna satis inpigre occiso pedite nostro cruentaverat. Quod ubi milites accepere, magis atrocitate rei quam fide nuntii terrentur, simulque barbari animos tollere et in perculsos Romanos acrius incedere. Iamque paulum a fuga aberant, cum Sulla profligatis his, quos advorsum ierat, rediens ab latere Mauris incurrit. Bocchus statim avortitur. At Iugurtha, dum sustentare suos et prope iam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus a equitibus, dextra sinistra omnibus occisis, solus inter tela hostium vitabundus

erumpit. Atque interim Marius fugatis equitibus accurrit auxilio suis, quos pelli iam acceperat. Denique hostes iam undique fusi. Tum spectaculum horribile in campis patentibus: sequi, fugere, occidi, capi; equi atque viri afflicti: ac multi, vulneribus acceptis, neque fugere posse neque quietem pati; niti modo, ac statim concidere: postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus, et inter ea humus infecta sanguine.

CII. Postea loci consul haud dubie iam victor pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat. Eo post diem quintum, quam iterum barbari male pugnaverant, legati a Boccho veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, duos quam fidissumos ad eum mitteret; velle de se et de populi Romani commodo cum his disserere. Ille statim L. Sullam et Aulum Manlium ire iubet. Qui quamquam acciti ibant, tamen placuit verba apud regem facere, ingenium aut avorsum uti flecterent, aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sulla, cuius facundiæ non ætati a Manlio concessum, pauca verba huiuscemodi locutus:

«Rex Bocche, magna lætitia nobis est, cum te talem virum di monuere, uti aliquando pacem quam bellum malles, neu te optumum cum pessumo omnium Iugurtha miscendo commaculares; simul nobis demeres acerbam necessitudinem, pariter te errantem atque illum sceleratissumum persequi. At hoc populo Romano iam a principio inopi melius visum, amicos quam servos quærere: tutius esse rati, volentibus quam coactis imperitare. Tibi vero nulla oportunior nostra amicitia: primum quia procul absumus, in quo offensæ minumum, gratia par ac si prope adessemus; dein quia parentes abunde habemus, amicorum neque nobis neque cuiquam omnium satis fuit. Atque hoc utinam a principio tibi placuisset! profecto ex populo Romano ad hoc tempus multo plura bona

Digitized by Google

accepisses, quam mala perpessus esses. Sed quoniam humanarum rerum fortuna pleraque regit, cui scilicet placuit et vim et gratiam nostram te experiri, nunc, quando per illam licet, festina atque ut cœpisti perge. Multa atque oportuna habes, quo facilius errata officiis superes. Postremo hoc in pectus tuum demitte, numquam populum Romanum beneficiis victum esse; nam bello quid valeat tute scis.»

Ad ea Bocchus placide et benigne, simul pauca pro delicto suo verba facit: «Se non hostili animo, sed ob regnum tutandum arma cepisse: nam Numidiæ partem, unde vi Iugurtham expulerit, iure belli suam factam; eam vastari ab Mario pati nequivisse: præterea missis antea Romam legatis repulsum ab amicitia. Ceterum vetera omittere, ac tum, si per Marium liceret, legatos ad senatum missurum.» Dein, copia facta, animus barbari ab amicis flexus, quos Iugurtha, cognita legatione Sullæ et Manlii, metuens id, quod parabatur, donis corruperat.

CIII. Marius interea, exercitu in hibernaculis composito, cum expeditis cohortibus et parte equitatus proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam, quo Iugurtha perfugas omnes præsidium inposuerat. Tum rursus Bocchus, seu reputando, quæ sibi duobus præliis venerant, seu admonitus ab aliis amicis, quos incorruptos Iugurtha reliquerat, ex omni copia necessariorum quinque delegit, quorum et fides cognita et ingenia validissuma erant. Eos ad Marium ac deinde, si placeat, Romam legatos ire iubet; agendarum rerum et quocumque modo belli componendi licentiam permittit. Illi mature ad hiberna Romanorum proficiscuntur: deinde in itinere a Gætulis latronibus circumventi spoliatique pavidi sine decore ad Sullam profugiunt, quem consul in expeditionem proficiscens pro prætore reliquerat. Eos ille non pro vanis hostibus, uti meriti erant, sed accurate ac liberaliter habuit; qua re barbari et famam Romano-

rum avaritiæ falsam, et Sullam ob munificentiam in sese amicum rati. Nam etiam tum largitio multis ignota erat; munificus nemo putabatur, nisi pariter volens; dona omnia in benignitate habebantur. Igitur quæstori mandata Bocchi patefaciunt, simul ab eo petunt, uti fautor consultorque sibi adsit; copias, fidem, magnitudinem regis sui et alia, quæ aut utilia aut benevolentiæ esse credebant, oratione extollunt; deinde Sulla omnia pollicito, docti, quo modo apud Marium, item apud senatum verba facerent, circiter dies quadraginta ibidem operiuntur.

CIV. Marius postquam infecto negotio, quo intenderat, Cirtam redit, de adventu legatorum certior factus illosque et Sullam venire iubet, item L. Bellienum prætorem Utica, præterea omnes undique senatorii ordinis, quibuscum mandata Bocchi cognoscit. Legatis potestas eundi Romam fit ab consule: interea indutiæ postulabantur. Ea Sullæ et plerisque placuere: pauci ferocius decernunt, scilicet ignari rerum humanarum, quæ fluxæ et mobiles semper in advorsa mutantur. Ceterum Mauri impetratis omnibus tres Romam profecti cum Gn. Octavio Rufo, qui quæstor stipendium in Africam adportaverat, duo ad regem redeunt. Ex his Bocchus cum cetera, tum maxume benignitatem et studium Sullæ lubens accepit. Romæ legatis eius, postquam errasse regem et Iugurthæ scelere lapsum deprecati sunt, amicitiam et fœdus petentibus hoc modo respondetur:

«Senatus et populus Romanus beneficii et iniuriæ memor esse solet. Ceterum Boccho, quoniam pœnitet, delicti gratiam facit; fœdus et amicitia dabuntur, cum meruerit.»

CV. Quis rebus cognitis, Bocchus per litteras a Mario petivit, uti Sullam ad se mitteret, cuius arbitratu de communibus negotiis consuleretur. Is missus cum præsidio equitum atque peditum, item funditorum Balearium; præterea iere sagittarii

Digitized by Google

et cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi causa, neque his secus atque aliis armis advorsum tela hostium, quod ea levia sunt, muniti. Sed in itinere quinto denique die Volux, filius Bocchi, repente in campis patentibus cum mile non amplius equitibus sese ostendit, qui temere et effuse euntes Sullæ aliisque omnibus et numerum ampliorem vero et hostilem metum efficiebant. Igitur se quisque expedire, arma atque tela temptare, intendere: timor aliquantus sed spes amplior, quippe victoribus et advorsum eos, quos sæpe vicerant. Interim equites exploratum præmissi rem, uti erat, quietam nuntiant.

CVI. Volux adveniens quæstorem appellat dicitque se a patre Boccho obviam illis simul et præsidio missum. Deinde eum et proxumum diem sine metu coniuncti eunt. Post ubi castra locata et diei vesper erat, repente Maurus incerto voltu pavens ad Sullam adcurrit dicitque sibi ex speculatoribus cognitum, Iugurtham haud procul abesse: simul, uti noctu clam secum profugeret, rogat atque hortatur. Ille animo feroci negat se totiens fusum Numidam pertimescere: virtuti suorum satis credere; etiam si certa pestis adesset, mansurum potius quam proditis, quos ducebat, turpi fuga incertæ ac forsitan post paulo morbo interituræ vitæ parceret. Ceterum ab eodem monitus uti noctu proficiscerentur, consilium approbat: ac statim milites cænatos esse, in castris ignes quam creberrumos fieri, deinde prima vigilia silentio egredi iubet. Iamque nocturno itinere fessis omnibus Sulla pariter cum solis ortu castra metabatur, cum equites Mauri nuntiant, Iugurtham circiter duum milium intervallo ante eos consedisse. Quod postquam auditum est, tum vero ingens metus nostros invadit: credere se proditos a Voluce et insidiis circumventos. Ac fuere, qui dicerent, manu vindicandum neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.

CVII. At Sulla quamquam eadem existumabat, tamen ab iniuria Maurum prohibet; suos hortatur, uti fortem animum gererent: sæpe ante a paucis strenuis advorsum multitudinem bene pugnatum: quanto sibi in prælio minus pepercissent, tanto tutiores fore: nec quemquam decere, qui manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere, in maxumo metu nudum et cæcum corpus ad hostis vortere. Deinde Volucem, quoniam hostilia faceret, Iovem maxumum obtestatus, ut sceleris atque perfidiæ Bocchi testis adesset, ex castris abire iubet. Ille lacrumans orare, ne ea crederet: nihil dolo factum, ac magis calliditate Iugurthæ, cui videlicet speculanti iter suum cognitum esset: ceterum quoniam neque ingentem multitudinem haberet, et spes opesque eius ex patre suo penderent, credere illum nihil palam ausurum, cum ipse filius testis adesset: quare optumum factu videri, per media eius castra palam transire: sese, vel præmissis vel ibidem relictis Mauris, solum cum Sulla iturum. Ea res ut in tali negotio probata; ac statim profecti, quia de improviso acciderant, dubio atque hæsitante Iugurtha, incolumes transeunt. Deinde paucis diebus, quo ire intenderant, perventum est.

CVIII. Ibi cum Boccho Numida quidam, Aspar nomine, multum et familiariter agebat: præmissus ab Iugurtha, postquam Sullam accitum audierat, orator et subdole speculatum Bocchi consilia: præterea Dabar, Massugradæ filius, ex gente Masinissæ, ceterum materno genere impar; nam pater eius ex concubina ortus erat; Mauro ob ingenii multa bona carus acceptusque: quem Bocchus fidum esse Romanis multis ante tempestatibus expertus, illico ad Sullam nuntium mittit, paratum sese facere, quæ populus Romanus vellet: colloquio diem, locum, tempus ipse delegeret: consulta sese omnia cum illo integra habere, neu Iugurthæ legatum pertimesceret; [acritum esse] quo res communis licentius gereretur; nam ab insidiis

Digitized by Google

eius aliter cavere nequivisse. Sed ego comperior Bocchum magis Punica fide quam ob ea, quæ prædicabat, simul Romanos et Numidam spe pacis attinuisse multumque cum animo suo volvere solitum, Iugurtham Romanis an illi Sullam traderet: lubidinem advorsum nos, metum pro nobis suasisse.

CIX. Igitur Sulla respondit: pauca coram Aspare locuturum, cetera occulte aut nullo aut quam paucissumis præsentibus: simul edocet, quæ sibi responderentur. Postquam sicuti voluerat congressi, dicit: se missum a consule venisse quæsitum ab eo, pacem an bellum agitaturus foret. Tum rex, uti præceptum fuerat, post diem decimum redire iubet, ac nihil etiam nunc decrevisse, sed illo die responsurum; deinde ambo in sua castra digressi. Sed ubi plerumque noctis processit, Sulla a Boccho occulte accersitur; ab utroque tantummodo fidi interpretes adhibentur; præterea Dabar internuntius, sanctus vir et ex sententia ambobus. Ac statim sic rex incipit:

CX. «Numquam ego ratus sum fore, uti rex maxumus in hac terra et omnium, quos novi, privato homini gratiam deberem. Et mehercule Sulla, ante te cognitum multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigus. Id inminutum, quod ceteri dolere solent, ego lætor: fuerit mihi eguisse aliquando [pretium] tuæ amicitiæ, qua apud animum meum nihil carius est. Id adeo experiri licet: arma, viros, pecuniam, postremo quicquid animo lubet, sume, utere: et, quoad vives, numquam [tibi] redditam gratiam putaveris; semper apud me integra erit: denique nihil me sciente frustra voles. Nam, ut ego æstumo, regem armis quam munificentia vinci minus flagitiosum est. Ceterum de re publica vestra, cuius curator huc missus es, paucis accipe. Bellum ego populo Romano neque feci, neque factum umquam volui: at finis meos advorsum armatos armis tutatus sum. Id omitto, quando vobis ita placet: gerite, quod vultis, cum Iugurtha bellum. Ego

flumen Mulucham, quod inter me et Micipsam fuit, non egrediar, neque id intrare Iugurtham sinam. Præterea si quid meque vobisque dignum petiveris, haud repulsus abibis.»

CXI. Ad ea Sulla pro se breviter et modice, de pace et de communibus rebus multis disseruit. Denique regi patefecit, «quod polliceatur, senatum et populum Romanum, quoniam amplius armis valuissent, non in gratiam habituros: faciundum aliquid, quod illorum magis quam sua retulisse videretur; id adeo in promptu esse, quoniam Iugurthæ copiam haberet: quem si Romanis tradidisset, fore, ut illi plurimum deberetur; amicitiam, fœdus, Numidiæ partem, quam nunc peteret, tunc ultro adventuram.» Rex primo negitare: adfinitatem, cognationem, præterea fœdus intervenisse: ad hoc metuere, ne fluxa fide usus popularium animos avorteret; quis et Iugurtha carus et Romani invisi erant. Denique sæpius fatigatus lenitur et ex voluntate Sullæ omnia se facturum promittit. Ceterum ad simulandam pacem, cuius Numida, defessus bello, avidissumus, quæ utilia visa, constituunt. Ita composito dolo, digrediuntur.

CXII. At rex postero die Asparem Iugurthæ legatum appellat dicitque sibi per Dabarem ex Sulla cognitum, posse conditionibus bellum poni: quamobrem regis sui sententiam exquireret. Ille lætus in castra Iugurthæ venit. Dein ab illo cuncta edoctus properato itinere post diem octavum redit ad Bocchum, et ei denuntiat: «Iugurtham cupere omnia, quæ imperarentur, facere, sed Mario parum confidere: sæpe antea cum imperatoribus Romanis pacem conventam frustra fuisse. Ceterum Bocchus si ambobus consultum et ratam pacem vellet, daret operam, ut una ab omnibus, quasi de pace, in colloquium veniretur; ibique sibi Sullam traderet; cum talem virum in potestatem habuisset, tum fore, uti iussu senatus aut populi Romani fœdus fieret: neque hominem nobilem,

Digitized by Google

neque sua ignavia sed ob rem publicam in hostium potestate relictum iri.»

CXIII. Hæc Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit, ceterum dolo an vere cunctatus, parum comperimus. Sed plerumque regiæ voluntates, ut vehementes sic mobiles, sæpe ipsæ sibi advorsæ. Postea tempore et loco constituto in colloquium uti de pace veniretur, Bocchus Sullam modo, modo Iugurthæ legatum appellare, benigne habere, idem ambobus polliceri. Illi pariter læti ac spei bonæ pleni esse. Sed nocte ea, quæ proxuma fuit ante diem colloquio decretum, Maurus adhibitis amicis, ac statim inmutata voluntate remotis ceteris, dicitur secum ipse multum agitavisse, vultu corporis pariter atque animo varius; quæ scilicet, tacente ipso, occulta pectoris patefecisse. Tamen postremo Sullam accersi iubet et ex illius sententia Numidæ insidias tendit. Deinde ubi dies advenit et ei nuntiatum est, Iugurtham haud procul abesse, cum paucis amicis et quæstore nostro quasi obvius honoris causa procedit in tumulum facillumum visu insidiantibus. Eodem Numida cum plerisque necessariis suis, inermis, uti dictum erat, accedit; ac statim, signo dato, undique simul ex insidiis invaditur. Ceteri obtruncati, Iugurtha Sullæ vinctus traditur et ab eo ad Marium deductus est.

CXIV. Per idem tempus advorsum Gallos ab ducibus nostris Q. Cæpione et M. Manlio male pugnatum; quo metu Italia omnis contremuit. Illique et inde usque ad nostram memoriam Romani sic habuere, alia omnia virtuti suæ prona esse, cum Gallis pro salute, non pro gloria certare. Sed postquam bellum in Numidia confectum et Iugurtham Romam vinctum adduci nuntiatum est, Marius consul absens factus est et ei decreta provincia Gallia; isque Kalendis Ianuariis magna gloria consul triumphavit. Ex ea tempestate spes atque opes civitatis in illo sitæ.

G. SALUSTII CRISPI

ORATIONES ET EPISTOLÆ

EXCERPTÆ DE HISTORIIS.

ORATIO LEPIDI CONS. AD P. R.

Clementia et probitas vestra, Quirites, quibus per ceteras gentes maxumi et clari estis, plurimum timoris mihi faciunt advorsum tyrannidem L. Sullæ: ne quæ ipsi nefanda æstumatis, ea parum credendo de aliis circumveniamini; præsertim cum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit, neque se aliter tutum putet, quam si peior atque intestabilior metu vestro fuerit, quo captis libertatis curam miseria eximat, aut si provideritis, in vitandis periculis magis quam ulciscendo teneamini. Satellites quidem eius, homines maxumi nominis, optumis maiorum exemplis, nequeo satis mirari, qui dominationis in vos servitium suum mercedem dant, et utrumque per iniuriam malunt quam optumo iure liberi agere; præclara Brutorum atque Aemiliorum et Lutatiorum proles, geniti ad ea, quæ maiores virtute peperere, subvortunda. Nam quid a Pyrrho, Hannibale Philippoque et Antiocho defensum est aliud quam libertas et suæ cuique sedes; neu cui, nisi legibus, pareremus? quæ cuncta scævus iste Romulus quasi ab externis rapta tenet, non tot exercituum clade, neque consulum et aliorum principum, quos fortuna belli consumpserat, satiatus; sed tum crudelior, cum plerosque secundæ res in miserationem ex ira vortunt. Quin solus omnium, post memoriam humani generis supplicia in post futuros composuit, quis prius iniuria quam vita certa esset; pravissumeque per sceleris inmanita-

tem adhuc tutus fuit; dum vos metu gravioris servitii a repetunda libertate terremini. Agendum atque obviam eundum est, Quirites, ne spolia vestra penes illos sint; non prolatandum neque votis paranda auxilia; nisi forte speratis, tædium iam aut pudorem tyrannidis Sullæ esse, et eum per scelus occupata periculosius dimissurum. At ille eo processit, ut nihil gloriosum nisi tutum, et omnia retinendæ dominationis honesta æstumet. Itaque illa quies et otium cum libertate, quæ multi probi potius quam laborem cum honoribus capessebant, nulla sunt. Hac tempestate serviundum aut imperitandum, habendus metus est aut faciundus, Quirites. Nam quid ultra? quæve humana superant, aut divina inpolluta sunt? Populus Romanus, paulo ante gentium moderator, exutus imperio, gloria, iure, agitandi inops despectusque ne servilia quidem alimenta reliqua habet. Sociorum et Latii magna vis civitate pro multis et egregiis factis a vobis data per unum prohibentur: et plebis innoxiæ patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum. Leges, iudicia, ærarium, provinciæ, reges penes unum, denique necis civium et vitæ licentia. Simul humanas hostias vidistis, et sepulchra infecta sanguine civili. Estne viris reliqui aliud, quam solvere iniuriam aut mori per virtutem? quoniam quidem unum omnibus finem natura vel ferro sæptis statuit, neque quisquam extremam necessitatem nihil ausus, nisi muliebri ingenio, expectat. Verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui præmia turbarum queror; et bellum cupiens, qui iura pacis repeto. Scilicet quia non aliter salvi satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens et scriba Cornelius aliena bene parata prodegerint; nisi adprobaritis omnes proscriptionem innoxiorum ob divitias, cruciatus virorum inlustrium, vastam urbem fuga et cædibus, bona civium miserorum quasi Cimbricam prædam venum aut dono datam. At obiectat mihi possessiones ex bonis proscrip-

torum; quod quidem scelerum illius vel maxumum est, non me neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus. Atque illa, quæ tum formidine mercatus sum, pretio, soluto iure, dominis tamen restituo: neque pati consilium est, ullam ex civibus prædam esse. Satis illa fuerint, quæ rabie contracta toleravimus, manus conserentis inter se Romanos exercitus, et arma ab externis in nosmet vorsa. Scelerum et contumeliarum omnium finis sit. Quorum adeo Sullam non pænitet, ut et facta in gloria numeret et, si liceat, avidius fecerit. Neque iam quid existumetis de illo, sed quantum audeatis vereor: ne, alius alium principem expectantes, ante capiamini, non opibus eius, quæ futiles et corruptæ sunt, sed vestra socordia, quam raptum iri licet et quam audeas tum videri felicem. Nam præter satellites conmaculatos quis eadem vult? aut quis non omnia mutata præter victoriam? Scilicet milites, quorum sanguine Tarulæ Scirroque, pessumis servorum, divitiæ partæ sunt? an quibus prælatus in magistratibus capiundis Fufidius, ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum? Itaque maxumam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot volnera et labores nihil præter tyrannum quæsitum est. Nisi forte tribuniciam potestatem evorsum profecti sunt per arma conditam a maioribus suis, utique iura et iudicia sibimet extorquerent; egregia scilicet mercede, cum relegati in paludes et silvas, contumeliam atque invidiam suam, præmia penes paucos intellegerint. Quare igitur tanto agmine atque animis incedit? quia secundæ res mire sunt vitiis optentui; quibus labefactis, quam formidatus est, tam contemnetur. Nisi forte specie concordiæ et pacis, quæ sceleri et parricidio suo nomina indidit. Neque aliter rem publicam et belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes, præda civilis acerbissuma, ius iudiciumque omnium rerum penes se, quod populi Romani fuit. Quæ, si vobis pax et composita

intelleguntur, maxuma turbamenta rei publicæ atque exitia probate: adnuite legibus inpositis: accipite otium cum servitio: et tradite exemplum posteris ad populum Romanum suimet sanguinis mercede circumveniundum. Mihi quamquam per hoc summum imperium satis quæsitum erat nomini maiorum, dignitati atque etiam præsidio, tamen non fuit consilium privatas opes facere, potiorque visa est periculosa libertas quieto servitio. Quæ si probatis, adeste Quirites, et bene iuvantibus divis, M. Aemilium consulem ducem et auctorem sequimini ad recipiundam libertatem.

ORATIO PHILIPPI IN SENATU.

Maxume vellem, Patres conscripti, rem publicam quietam esse, aut in periculis a promptissumo quoque defendi, denique prava incepta consultoribus noxæ esse. Sed contra seditionibus omnia turbata sunt, et ab iis, quos prohibere magis decebat. Postremo, quæ pessumi et stultissumi decrevere, ea bonis et sapientibus faciunda sunt. Nam bellum atque arma, quamquam vobis invisa, tamen, quia Lepido placent, sumunda sunt. Nisi forte cui pacem præstare et bellum pati consilium est. Pro di boni, qui hanc urbem omissa cura adhuc tegitis! M. Aemilius, omnium flagitiosorum postremus, qui peior an ignavior sit deliberari non potest, exercitum opprimundæ libertatis habet, et se e contempto metuendum effecit: vos mussantes et retractantes verbis et vatum carminibus pacem optatis magis quam defenditis: neque intellegitis mollitia decretorum vobis dignitatem, illi metum detrahi. Atque id iure; quoniam ex rapinis consulatum, ob seditionem provinciam cum exercitu adeptus est. Quid ille ob benefacta cepisset,

Digitized by Google

cuius sceleribus tanta præmia tribuistis? At scilicet eos, qui ad postremum usque legatos, pacem, concordiam et alia huiuscemodi decreverunt, gratiam ab eo peperisse. Immo despecti et indigni re publica habiti, prædæ loco æstumantur: quippe metu pacem repetentes, quo habitam amiserant. Equidem a principio, cum Etruriam coniurare, proscriptos accersi, largitionibus rem publicam lacerari videbam, maturandum putabam, et Catuli consilia cum paucis secutus sum. Ceterum illi, qui gentis Aemiliæ benefacta extollebant, et ignoscendo populi Romani magnitudinem auxisse, nusquam etiam tum Lepidum progressum aiebant, cum privata arma opprimundæ libertatis cepisset: sibi quisque opes aut patrocinia quærendo consilium publicum corruperunt. At tum erat Lepidus latro cum calonibus et paucis sicariis, quorum nemo diurna mercede vitam mutaverit: nunc est pro consule cum imperio, non empto, sed dato a vobis, cum legatis adhuc iure parentibus: et ad eum concurrere homines omnium ordinum corruptissumi; flagrantes inopia et cupidinibus, scelerum conscientia exagitati, quibus quies in seditionibus, in pace turbæ sunt: hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt; Saturnini olim, post Sulpicii, dein Mari Damasippique, nunc Lepidi satellites. Præterea Etruria atque omnes reliquiæ belli arrectæ: Hispaniæ armis sollicitæ: Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello circumspicit: quin præter idoneum ducem nihil abest ad subvortundum imperium. Quod ego vos oro atque obsecro, Patres conscripti, ut animadvortatis; neu patiamini licentiam scelerum quasi rabiem ad integros contactu procedere. Nam ubi malos præmia secuntur, haut facile quisquam gratuito bonus est. An expectatis dum exercitu rursus admoto, ferro atque flamma urbem invadit? quod multo propius est ab eo, quo agitat, statu, quam ex pace et concordia ad arma civilia; quæ ille advor-

sum divina et humana omnia cepit, non pro sua aut quorum simulat iniuria, sed legum ac libertatis subvortundæ. Angitur enim ac laceratur animi cupidine et noxarum metu, expers consilii, inquies, hæc atque illa temptans; metuit otium, odit bellum; luxu atque licentia carendum videt, atque interim abutitur vestra socordia. Neque mihi satis consilii est, metum, an ignaviam, an dementiam eam appellem: qui videmini intenta mala quasi fulmen optare se quisque ne attingat, set prohibere ne conari quidem. Et quæso considerate, quam convorsa rerum natura sit. Antea malum publicum occulte, auxilia palam instruebantur, et eo boni malos facile anteibant; nunc pax et concordia disturbantur palam, defenduntur occulte. Quibus illa placent, in armis sunt: vos in metu. Quid expectatis? nisi forte pudet aut piget recte facere. An Lepidi mandata animos movere? qui placere ait sua cuique reddi, et aliena tenet: belli iura rescindi, cum ipse armis cogat: civitatem confirmari, quibus ademptam negat: concordiæ gratia [plebei] tribuniciam potestatem restitui, ex qua omnes discordiæ accensæ. Pessume omnium atque impudentissume! tibine egestas civium et luctus curæ sunt, cui nihil est domi nisi armis partum aut per iniuriam? alterum consulatum petis, quasi primum reddideris; bello concordiam quæris, quo parta disturbatur; nostri proditor, istis infidus, hostis omnium bonorum. Ut te neque hominum neque deorum pudet, quos per fidem aut periurio violasti! Qui, quando talis es, maneas in sententia et retineas arma te hortor, neu prolatandis seditionibus inquies ipse, nos in sollicitudine adtineas. Neque te provinciæ, neque leges, neque dii Penates civem patiuntur. Perge, qua cœptas, ut quam maturrume merita invenias. Vos autem, Patres conscripti, quousque cunctando rem publicam intutam patiemini, et verbis arma temptabitis? Delectus advorsum vos habiti; pecuniæ publice et privatim extortæ; præsi-

Digitized by Google

dia deducta atque imposita; ex lubidine leges imperantur; cum interim vos legatos et decreta paratis. Quanto mehercule avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit, cum intelleget, se metu magis quam æquo et bono sustentatum. Nam qui turbas et cædem civium odisse ait, et ob id armato Lepido vos inermos retinet; quæ victis toleranda sunt, ea cum facere possitis, patiamini potius censet. Ita illi a vobis pacem, vobis ab illo bellum suadet. Hæc si placent, si tanta torpedo animos oppressit, ut obliti scelerum Cinnæ, cuius in urbem reditu decus ordinis huius interiit, nihilominus vos atque coniuges et liberos Lepido permissuri sitis; quid opus decretis? quid auxilio Catuli? quin is et alii boni rem publicam frustra curant. Agite, ut lubet; parate vobis Cethegi atque alia proditorum patrocinia, qui rapinas et incendia instaurare cupiunt et rursus advorsum deos Penatis manus armare. Sin libertas et vera magis placent, decernite digna nomini, et augete ingenium viris fortibus. Adest novos exercitus, ad hoc coloniæ veterum militum, nobilitas omnis, duces optumi; fortuna meliores sequitur. Iam illa, quæ socordia nostra collecta sunt, dilabentur. Quare ita censeo: quoniam Lepidus exercitum privato consilio paratum cum pessumis et hostibus rei publicæ contra huius ordinis auctoritatem ad urbem ducit, uti Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule et ceteris, quibus imperium est, urbi præsidio sint operamque dent, ne quid res publica detrimenti capiat.

ORATIO GAI COTTÆ COS. AD P. R.

Quirites, multa mihi pericula domi militiæque, multa advorsa fuere: quorum alia toleravi, partim reppuli deorum

auxiliis et virtute mea; in quis omnibus nunquam animus negotio defuit neque decretis labos. Malæ secundæque res opes, non ingenium mihi mutabant. At contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere. Præterea senectus, per se gravis, curam duplicat: cui misero, acta iam ætate, ne mortem quidem honestam sperare licet. Nam si parricida vestri sum, et bis genitus hic deos Penatis meos patriamque et summum imperium vilia habeo, quis mihi vivo cruciatus satis est, aut quæ pœna mortuo? quin omnia memorata apud inferos supplicia scelere meo vici. A prima adulescentia in ore vestro privatus et in magistratibus egi: qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia voluere, usi sunt: neque ego callidam facundiam, neque ingenium ad male faciundum exercui: avidissumus privatæ gratiæ maxumas inimicitias pro re publica suscepi; quis victus cum illa simul, cum egens alienæ opis, plura mala expectarem, vos, Quirites, rursus mihi patriam deosque Penatis cum ingenti dignitate dedistis. Pro quibus beneficiis vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim. Nam vita et mors iura naturæ sunt: ut sine dedecore cum civibus, fama et fortunis integer agas, id dono datur atque accipitur. Consules nos fecistis, Quirites, domi bellique impeditissuma re publica. Namque imperatores Hispaniæ stipendium, milites, arma, frumentum poscunt, et id res cogit, quoniam defectione sociorum et Sertorii per montis fuga neque manu certare possunt neque utilia parare. Exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur: Macedonia plena hostium est: nec minus Italiæ marituma et provinciarum: cum interim vectigalia parva et bellis incerta vix partem sumptuum sustinent: ita classe, quæ commeatus tuebatur, minore quam antea navigamus. Hæc si dolo aut socordia nostra contracta sunt, agite, ut monet ira, supplicium sumite: sin fortuna communis asperior est, quare indigna vobis

Digitized by Google

nobisque et re publica incipitis? Atque ego, cuius ætati mors propior est, non deprecor, si quid ea vobis incommodi demitur, neque mox ingenio corporis honestius quam pro vestra salute finem vitæ fecerim. Adsum en! G. Cotta, consul; facio quod sæpe maiores asperis bellis fecere; voveo dedoque me pro re publica, quam deinde cui mandetis circumspicite. Nam talem honorem bonus nemo volet, cum fortunæ et maris et belli ab aliis acti ratio reddenda aut turpiter moriendum sit. Tantummodo in animis habetote, non me ob scelus aut avaritiam cæsum, sed volentem pro maxumis beneficiis animam dono dedisse. Per vos, Quirites, et gloriam maiorum, tolerate advorsa et consulite rei publicæ. Multa cura summo imperio inest, multi ingentes labores, quos nequiquam abnuitis et pacis opulentiam quæritis, cum omnes provinciæ, regna, maria terræque aspera aut fessa bellis sint.

ORATIO MACRI TRIB. PLEB. AD PL.

Si, Quirites, parum existumaretis, quid inter ius a maioribus relictum vobis et hoc a Sulla paratum servitium interesset, multis mihi disserendum fuit docendique, quas ob iniurias et quotiens a patribus armata plebes secessisset, utique vindices paravisset omnis iuris sui tribunos plebis. Nunc hortari modo relicuum est et ire primum via, qua capessundam arbitror libertatem. Neque me præterit, quantas opes nobilitatis solus, inpotens, inani specie magistratus, pellere dominatione incipiam, quantoque tutius factio noxiorum agat quam soli innocentes. Set præter spem bonam ex vobis, quæ metum vicit, statui certaminis advorsa pro libertate potiora esse forti viro quam omnino non certavisse. Quamquam omnes

alii creati pro iure vestro vim cunctam et imperia sua gratia aut spe aut præmiis in vos convortere, meliusque habent mercede delinquere quam gratis recte facere. Itaque omnes concessere iam in paucorum dominationem, qui per militare nomen ærarium, exercitus, regna, provincias occupavere, et arcem habent ex spoliis vestris: cum interim more pecorum vos multitudo singulis habendos fruendosque præbetis, exuti omnibus, quæ maiores reliquere; nisi quia vobismet ipsis per suffragia, ut præsides olim, nunc dominos destinatis. Itaque concessere illuc omnes; et mox, si vestra receperitis, ad vos plerique. Raris enim animus est ad ea, quæ placent, defendenda. Ceteri validiorum sunt. An dubium habetis, num officere quid vobis uno animo pergentibus possit, quos languidos socordesque pertimuere? nisi forte G. Cotta, ex factione media consul, aliter quam metu iura quædam tribunis plebei restituit; et quamquam L. Sicinius, primus de potestate tribunicia loqui ausus, mussantibus vobis circumventus erat, tamen prius illi invidiam metuere, quam vos iniuriæ pertæsum est. Quod ego nequeo satis mirari, Quirites. Nam spem frustra fuisse intellexistis. Sulla mortuo, qui scelestum inposuerat servitium, finem mali credebatis. Ortus est longe sævior Catulus. Tumultus intercessit Bruto et Mamerco consulibus; dein G. Curio ad exitium usque insontis tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quintium, vidistis: quantæ denique nunc mihi turbæ concitantur! Quæ profecto incassum agebantur, si prius quam vos serviundi finem, illi dominationis facturi erant: præsertim cum his civilibus armis dicta alia, sed certatum utrimque de dominatione in vobis sit. Itaque cetera ex licentia aut odio aut avaritia in tempus arsere, permansit una res modo, quæ utrimque quæsita est et erepta in posterum, vis tribunicia, telum a maioribus libertati paratum. Quod ego vos moneo quæsoque

Digitized by Google

ut animadvortatis, neu nomina rerum ad ignaviam mutantes, otium pro servitio appelletis. Quo iam ipso frui, si vera et honesta flagitium superaverit, non est condicio; fuisset, si omnino quiessetis. Nunc animum advortere, et nisi viceritis, quoniam omnis iniuria gravitate tutior est, artius habebunt. Quid censes igitur? aliquis vestrum subiecerit. Primum omnium omittendum morem hunc, quem agitis, inpigræ linguæ, animi ignavi, non ultra contionis locum memores libertatis. Deinde (ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebei, modo patricium magistratum, libera ab auctoribus patriciis suffragia maiores vestri paravere) cum vis omnis, Quirites, in vobis sit, et quæ iussa nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere aut non agere certe possitis, Iovem aut alium quem deum consultorem expectatis? Magna illa consulum imperia et patrum decreta, vos exequendo rata efficitis, Quirites, ultroque licentiam in vos auctum atque adiutum properatis. Neque ego vos ultum iniurias hortor; magis uti requiem capiatis: neque discordias, ut illi criminantur, sed earum finem volens, iure gentium res repeto: et si pertinaciter retinebunt, non arma neque secessionem, tantummodo ne amplius sanguinem vestrum præbeatis, censebo. Gerant habeantque suo modo imperia; quærant triumfos; Mithridatem, Sertorium et reliquias exulum persequantur cum imaginibus suis. Absit periculum et labos, quibus nulla pars fructus est; nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur. Qua tamen quinis modiis libertatem omnium æstumavere, qui profecto non amplius possunt alimentis carceris. Namque ut illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires: sic neque absolvit cura familiari tam parva res, et ignavi cuiusque tenuissumas spes frustratur: quæ tamen quamvis ampla, quoniam servitii pretium ostentaretur, cuius torpedinis erat decipi et vestrarum rerum ultro iniuria gratiam debere? Namque

alio modo neque valent in universos, neque conabuntur. Cavendus dolus est. Itaque simul conparant delenimenta, et differunt vos in adventum Gn. Pompei; quem ipsum, ubi pertimuere, sublatum in cervices suas, mox dempto metu lacerant. Neque eos pudet, vindices, uti se ferunt, libertatis, tot viros sine uno, aut remittere iniuriam non audere, aut ius non posse defendere. Mihi quidem satis spectatum est, Pompeium, tantæ gloriæ adulescentem, malle principem volentibus vobis esse, quam illis dominationis socium, auctoremque in primis fore tribuniciæ potestatis. Verum, Quirites, antea singuli cives in pluribus, non in uno cuncti præsidia habebatis: neque mortalium quisquam dare aut eripere talia unus poterat. Itaque verborum satis dictum est. Neque enim ignorantia res claudit. Verum occupavit nescio qua vos torpedo, qua non gloria movemini neque flagitio, cunctaque præsenti ignavia mutavistis, abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur et huc ire licet atque illuc, munera ditium dominorum. Atque hæc eadem non sunt agrestibus; sed cæduntur inter potentium inimicitias donoque dantur in provincias magistratibus. Ita pugnatur et vincitur paucis: plebes, quodcumque accidit, pro victis est et in dies magis erit: si quidem maiore cura dominationem illi retinuerint quam vos repetiveritis libertatem.

EPISTULA GN. POMPEI AD SENATUM.

Si advorsus vos patriamque et deos Penatis tot labores et pericula suscepissem, quotiens a prima adulescentia ductu meo scelestissumi hostes fusi et vobis salus quæsita est, nihil amplius in absentem me statuissetis, quam adhuc agitis, Patres conscripti, quem contra ætatem proiectum ad bellum sævis-

Digitized by Google

sumum, cum exercitu optume merito, quantum est in vobis, fame, miserruma omnium morte, confecistis. Hac in spe populus Romanus liberos suos ad bellum misit? hæc sunt præmia pro volneribus et totiens ob rem publicam fuso sanguine? Fessus scribendo mittendoque legatos, omnis opes et spes privatas meas consumpsi: cum interim a vobis per triennium vix annuus sumptus datus est. Per deos inmortalis, utrum censetis me vicem ærari præstare, an exercitum sine frumento et stipendio habere posse? Equidem fateor, me ad hoc bellum maiore studio quam consilio profectum: quippe qui nomine modo imperii a vobis accepto diebus quadraginta exercitum paravi hostisque in cervicibus iam Italiæ agentis ab Alpibus in Hispaniam summovi. Per eas iter aliud atque Hannibal, nobis oportunius, patefeci. Recepi Galliam, Pyrenæum, Lacetaniam, Indigetis, et primum inpetum Sertorii victoris novis militibus et multo paucioribus sustinui, hiememque in castris inter sævissumos hostis non per oppida neque ex ambitione mea egi. Quid deinde prælia aut expeditiones hibernas, oppida excisa aut recepta enumerem? quando res plus valet quam verba. Castra hostium apud Sucronem capta, et prælium apud flumen Durium, et dux hostium G. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti satis clara vobis sunt; pro quis, o grati Patres, egestatem et famam redditis. Itaque meo et hostium exercitui par condicio est. Namque stipendium neutri datur; victor uterque in Italiam venire potest. Quod ego vos moneo quæsoque ut animadvortatis, neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere. Hispaniam citeriorem, quæ non ab hostibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vastavimus, præter maritumas civitates, ultro nobis sumptui onerique. Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit, et nunc malis fructibus ipsa vix agitat. Ego non rem familiarem modo, verum etiam

fidem consumpsi. Reliqui vos estis, qui nisi subvenitis, invito et prædicente me, exercitus hinc et cum eo omne bellum Hispaniæ in Italiam transgredientur.

EPISTULA MITHRIDATIS.

Rex Mithridates regi Arsaci salutem. Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere; dein quod quæsitur, satisne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit. Tibi si perpetua pace frui licet, nisi hostes oportuni et scelestissumi, egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est, neque petere audeam societatem, et frustra mala mea cum bonis tuis misceri sperem. Atque ea, quæ te morari posse videntur, ira in Tigranem recentis belli et meæ res parum prosperæ, si vera existumare voles, maxume hortabuntur. Ille enim obnoxius, qualem tu voles, societatem accipiet; mihi fortuna multis rebus ereptis usum dedit bene suadendi et, quod florentibus optabile est, ego non validissumus præbeo exemplum, quo rectius tua conponas. Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis, una et ea vetus causa bellandi est cupido profunda imperii et divitiarum; qua primo cum rege Macedonum Philippo bellum sumpsere. Dum a Carthaginiensibus premebantur, amicitiam simulantes ei subvenientem Antiochum concessione Asiæ per dolum avortere; ac mox fracto Philippo Antiochus omni cis Taurum agro et decem milibus talentorum spoliatus est. Persen deinde, Philippi filium, post multa et varia certamina, apud Samothracas deos acceptum in fidem, callidi et repertores perfidiæ, quia pacto vitam dederant, insomniis occidere. Eumenem, cuius amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere

Digitized by Google

Antiocho, pacis mercedem; post habitum custodiæ agri captivi sumptibus et contumeliis ex rege miserrumum servorum effecere: simulatoque impio testamento, filium eius Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more per triumfum duxere: Asia ab ipsis obsessa est: postremo Bithyniam Nicomede mortuo diripuere, cum filius Nysa, quam reginam appellaverat, genitus haud dubie esset. Nam quid ego me appellem? quem diiunctum undique regnis et tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem neque serviturum esse, per Nicomedem bello lacessiverunt, sceleris eorum haud ignarum, et ea, quæ accidere, testatum antea Cretenses, solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemæum. Atque ego ultus iniurias Nicomedem Bithynia expuli, Asiamque spolium regis Antiochi recepi, et Græciæ dempsi grave servitium. Incepta mea postremus servorum Archelaus exercitu prodito impedivit: illique, quos ignavia aut prava calliditas, ut meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissumas pœnas solvunt: Ptolemæus pretio in dies bellum prolatans, Cretenses inpugnati semel iam, neque finem nisi excidio habituri. Equidem quom mihi ob ipsorum interna mala dilata prœlia magis quam pacem datam intellegerem; abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis, rursus tamen bellum cœpi, Marcumque Cottam, Romanum ducem, apud Calchedona terra fudi, mari exui classe pulcherruma. Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidio moranti frumentum defuit, nullo circum adnitente: simul hiemps mari prohibebat. Ita, sine vi hostium regredi conatus in patrium regnum, naufragiis apud Parium et Heracleam militum optumos cum classibus amisi. Restituto deinde apud Caberam exercitu, et variis inter me atque Lucullum prœliis, inopia rursus ambos incessit. Illi suberat regnum Ariobarzanis bello intactum: ego, vastis circum omnibus locis, in Armeniam

concessi; secutique Romani non me, sed morem suum omnia regna subvortundi, quia multitudinem artis locis pugna prohibuere, inprudentiam Tigranis pro victoria ostentant. Nunc quæso considera, nobis oppressis utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum et auri esse; et ea re a nobis ad societatem, ab illis ad prædam peteris. Ceterum consilium est, Tigranis regno integro, meis militibus procul ab domo, parvo labore per nostra corpora bellum conficere: quo neque vincere neque vinci sine tuo periculo possumus. An ignoras Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convortisse? neque quicquam a principio nisi raptum habere, domum, coniuges, agros, imperium? convenas olim, sine patria, sine parentibus, peste conditos orbis terrarum: quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios, amicos, procul, iuxta sitos, inopes potentesque trahant, excindant, omniaque non serva et maxume regna hostilia ducant. Namque pauci libertatem, pars magna iustos dominos volunt; nos suspecti sumus æmuli et in tempore vindices adfuturi. Tu vero, cui Seleucea, maxuma urbium, regnumque Persidis inclytis divitiis est, quid ab illis nisi dolum in præsens et postea bellum expectas? Romani arma in omnis habent, acerruma in eos, quibus victis spolia maxuma sunt; audendo et fallendo et bella ex bellis serendo magni facti. Per hunc morem extinguent omnia aut occident: quod haud difficile est, si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgrediмur exercitum sine frumento, sine auxiliis, fortuna aut nostris vitiis adhuc incolumem. Teque illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus latrones gentium oppressisse. Quod uti facias moneo hortorque; neu malis pernicie nostra tuam prolatare quam societate victor fieri.

Digitized by Google

EPISTOLÆ AD CÆSAREM SENEM

DE RE PUBLICA

SALUSTIO VULGO ADSCRIPTÆ.

I.

Pro vero antea obtinebat, regna atque imperia fortunam dono dare, item alia, quæ per mortaleis avide cupiuntur; quia et apud indignos sæpe erant, quasi per lubidinem data, neque cuiquam incorrupta permanserant. Sed res docuit id verum esse, quod in carminibus Appius ait, fabrum esse suæ quemque fortunæ: atque in te maxume, qui tantum alios prægressus es, ut prius defessi sint homines laudando facta tua quam tu laude digna faciundo. Ceterum, ut fabricata, sic virtute parta, quam magna industria haberei decet; ne incuria deformentur aut conruant infirmata. Nemo enim alteri imperium volens concedit; et quamvis bonus atque clemens sit, qui plus potest, tamen, quia malo esse licet, formeidatur. Id eo evenit, quia plerique rerum potentes pervorse consulunt, et eo se munitiores putant, quo illei, quibus imperitant, nequiores fuere. At contra id eniti decet, cum ipse bonus atque strenuus sis, uti quam optumis imperites. Nam pessumus quisque asperrume rectorem patitur. Sed tibi hoc gravius est, quam ante te omnibus, armis parta componere, quod bellum aliorum pace mollius gessisti: ad hoc victores prædam petunt, victi cives sunt. Inter has difficultates evadendum est tibi, atque in posterum firmanda res publica, non armis modo, neque advorsum hostis, sed quod multo [maius] multoque asperius est, pacis bonis artibus. Ergo omnes magna

mediocri sapientia res huc vocat: quæ quisque optuma potest, utei dicant. Ac mihi sic videtur: qualeicumque modo tu victoriam composuereis, ita alia omnia futura.

Sed iam, quo melius faciliusque constituas, paucis, quæ me animus monet, accipe. Bellum tibi fuit, imperator, cum homine claro, magnis opibus, avido potentiæ, maiore fortuna quam sapientia: quem secuti sunt pauci, per suam iniuriam tibi inimici; item quos adfinitas aut alia necessitudo traxit. Nam particeps dominationis neque fuit quisquam, neque, si pati potuisset, orbis terrarum bello concussus foret. Cetera multitudo volgi more magis quam iudicio post alius alium, quasi prudentiorem, secuti. Per idem tempus maledictis ineiquorum occupandæ rei publicæ in spem adducti homines, quibus omnia probro ac luxuria polluta erant, concurrere in castra tua: et aperte quieteis mortem, rapinas, postremo omnia, quæ conrupto animo lubebat, minitari. Ex queis magna pars, ubi neque creditum condonare, neque te civibus sicuti hostibus uti vident, defluxere; pauci restitere, quibus maius otium in castris quam Romæ futurum erat; tanta vis creditorum inpendebat. Sed ob easdem causas inmane dictust, quanti et quam multi mortales postea ad Pompeium discesserint: eoque per omne tempus belli quasi sacro atque inspoliato fano debitores usi.

Igitur, quoniam tibi victori de bello atque pace agitandum est, hoc uti civiliter deponas, illa [ut] quam iustissuma et diuturna sit: de te ipso primum, qui ea compositurus es, quid optumum factu sit, existuma. Equidem ego cuncta imperia crudelia magis acerba quam diuturna arbitror; neque quemquam multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat: eam vitam bellum æternum et anceps gerere: quoniam neque advorsus, neque ab tergo aut lateribus tutus sis, semper in periculo aut metu agites. Contra qui benignitate

Digitized by Google

et clementia imperium temperavere, iis læta et candida omnia visa; etiam hostes æquiores quam aliis cives. Haud scio, an qui me his dictis corruptorem victoriæ tuæ nimisque in victos bona voluntate prædicent? Scilicet quod ea, quæ externis nationibus, naturâ nobis hostibus, nosque maioresque nostri sæpe tribuere, ea civibus danda arbitror, neque barbaro ritu cæde cædem et sanguinem sanguine expianda.

An illa, quæ paulo ante hoc bellum in Gn. Pompeium victoriamque Sullanam increpabantur, oblivio interfecit? Domitium, Carbonem, Brutum, alios item non armatos, neque in prœlio belli iure, sed postea supplices per summum scelus interfectos, plebem Romanam in villa publica, pecoris modo, conscissam. Eheu! quam illa occulta civium funera et repentinæ cædes, in parentum aut liberorum sinum fuga mulierum et puerorum, vastatio domuum ante partam a te victoriam sæva atque crudelia erant! Ad quæ te idem illi hortantur: et scilicet id certatum esse, utrius vestrum arbitrio iniuriæ fierent; neque receptam sed captam a te rem publicam, et ea causa exercitus stipendiis confectis, optumos et veterrumos omnium, advorsum fratres parentisque, alii liberos, armis contendere; ut ex alienis malis deterrumi mortales ventri atque profundæ lubidini sumptus quærerent, atque essent opprobria victoriæ, quorum flagitiis commacularetur bonorum laus. Neque enim te præterire puto, quali quisque eorum more aut modestia, etiam tum dubia victoria, sese gesserit, quoque modo in belli administratione scorta aut convivia exercuerint nonnulli, quorum ætas ne per otium quidem talis voluptatis sine dedecore attigerit.

De bello satis dictum. De pace firmanda, quoniam tuque et omnes tui agitatis, primum id, quæso, considera, quale sit, de quo consultas: ita, bonis malisque dimotis, patenti via ad verum perges. Ego sic existumo: quoniam orta omnia in-

tereunt, qua tempestate urbi Romanæ fatum excidii adventarit, civis cum civibus manus conserturos; ita defessos et exsanguis regi aut nationi prædæ futuros. Aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ, movere aut contundere queunt hoc imperium. Firmanda igitur sunt vel concordiæ bona, et discordiæ mala expellenda. Id ita eveniet, si sumptuum et rapinarum licentiam dempseris, non ad vetera instituta revocans, quæ iam pridem corruptis moribus ludibrio sunt; sed si suam quoique rem familiarem finem sumptuum statueris: quoniam is incessit mos, ut homines adulescentuli sua atque aliena consumere, nihil lubidini atque aliis rogantibus denegare pulcherrumum putent: eam virtutem et magnitudinem animi, pudorem atque modestiam pro socordia æstument. Ergo animus ferox prava via ingressus, ubi consueta non suppetunt, fertur accensus in socios modo, modo in civis, movet composita et res novas veteribus acquirit. Quare tollendus est fenerator in posterum, uti suas quisque res curemus. Ea vera atque simplex via est, magistratum populo non creditori gerere, et magnitudinem animi in addendo non demendo rei publicæ ostendere.

Atque ego scio, quam aspera hæc res in principio futura sit, præsertim is, qui se in victoria licentius liberiusque quam artius futuros credebant. Quorum si saluti potius quam lubidini consules, illosque nosque et socios in pace firma constitues. Sin eadem studia artesque iuventuti erunt, næ ista egregia tua fama simul cum urbe Roma brevi concidet. Postremo sapientes pacis causa bellum gerunt, laborem spe otii sustentant. Nisi illam firmam efficis, vinci an vicisse quid rettulit? Quare capesse, per deos, rem publicam, et omnia aspera, uti soles, pervade. Namque aut tu mederi potes, aut omittenda est cura omnibus. Neque quisquam te ad crudelis pœnas aut acerba iudicia invocat, quibus civitas vastatur magis

Digitized by Google

quam corrigitur; sed ut pravas artis malasque lubidines ab iuventute prohibeas. Ea vera clementia erit, consuluisse, ne merito cives patria expellerentur, retinuisse ab stultitia et falsis voluptatibus; pacem, concordiam stabilivisse: non, si flagitiis obsecutus, delicta perpessus, præsens gaudium quom mox futuro malo concesseris.

Ac mihi animus, quibus rebus alii timent, maxume fretus est, negotii magnitudine, et quia tibi terræ et maria simul omnia componenda sunt. Quippe res parvas tantum ingenium attingere nequiret: magnæ curæ magna merces est. Igitur provideas oportet, uti pleps, largitionibus et publico frumento conrupta, habeat negotia sua, quibus ab malo publico detineatur: iuventus probitati et industriæ non sumptibus neque divitiis studeat. Id ita eveniet, si pecuniæ, quæ maxuma omnium pernicies est, usum atque decus dempseris. Nam sæpe ego quom animo meo reputans, quibus quisque rebus clari viri magnitudinem invenissent, quæque res populos nationesve magnis auctibus auxissent; ac deinde, quibus causis amplissuma regna et imperia conruissent: eadem semper bona atque mala reperiebam, omnisque victores divitias contempsisse et victos cupivisse. Neque aliter quisquam extollere sese et divina mortalis attingere potest, nisi, omissis pecuniæ et corporis gaudiis, animo indulgens, non assentando neque concupita præbendo, pervorsam gratiam gratificans sed in labore, patientia bonisque præceptis et factis fortibus exercitando.

Nam domum aut villam exstruere, eam signis, aulæis alieisque operibus exornare, et omnia potius quam semet visundum efficere; id est, non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse. Porro ei, quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere mos est, ubi animum, quem dominari decebat, servitio oppressere, nequeiquam eo,

postea hebeti atque claudo pro exercito uti volunt. Nam inprudentia pleraque et se præcipitat. Verum hæc et omnia mala pariter cum honore pecuniæ desinent, si neque magistratus, neque alia volgo cupiunda venalia erunt. Ad hoc providendum est tibi, quonam modo Italia atque provinciæ tutiores sint: id quod factu haut obscurum est. Nam idem omnia vastant, suas deserundo domos et per iniuriam alienas occupando. Item ne, uti adhuc, militia iniusta aut inæqualis sit: cum alii triginta, pars nullum stipendium facient. Et frumentum id, quod antea præmium ignaviæ fuit, per municipia et colonias illis dare conveniet, qui stipendiis emeritis domos reverterint. Quæ rei publicæ necessaria tibique gloriosa ratus sum, quam paucissumis absolvi. Non peius videtur pauca nunc de facto meo disserere. Plerique mortales ad iudicandum satis ingeni habent aut simulant: verum enim ad reprehendunda aliena facta aut dicta ardet omnibus animus; vix satis apertum os aut lingua prompta videtur, quæ meditata pectore evolvat: quibus me subiectum haud pænitet; magis reticuisse pigeret. Nam sive hac seu meliore alia via perges; a me quidem pro virili parte dictum et adiutum fuerit. Relicuum est optare, uti, quæ tibi placuerint, ea di immortales adprobent beneque evenire sinant.

II.

Scio ego, quam difficile atque asperum factu sit consilium dare regi aut imperatori, postremo quoiquam mortali, quoius opes in excelso sunt: quippe quom et illis consultorum copiæ adsint, neque de futuro quisquam satis callidus satisque prudens sit. Quin etiam sæpe prava magis quam bona consilia

Digitized by Google

prospere eveniunt; quia plerasque res fortuna ex lubidine sua agitat. Sed mihi studium fuit adulescentulo rem publicam capessere, atque in ea cognoscenda multam magnamque curam habui: non ita, ut magistratum modo caperem, quem multi malis artibus adepti erant: sed etiam, ut rem publicam domi, militiæque, quantumque armis, viris, opulentia posset, cognitum habuerim. Itaque mihi multa cum animo agitanti consilium fuit famam modestiamque meam post tuam dignitatem haberei, et quoius rei lubet periculum facere, dum quid tibi ex eo gloriæ accederet. Idque non temere neque ex fortuna tua decrevi, sed quia in te præter ceteras artem unam egregie mirabilem comperi, semper tibi maiorem in advorsis quam in secundis rebus animum esse. Sed per ceteros mortalis illa res clarior est, quod prius defessi sunt homines laudando atque admirando munificentiam tuam, quam tu [in] faciundo, quæ gloria digna essent.

Equidem mihi decretum est, nihil tam ex alto repeti posse, quod non cogitanti tibi in promptu sit. Neque eo, quæ visa sunt, de re publica tibi scripsi, quia mihi consilium atque ingenium meum amplius æquo probaretur; sed inter labores militiæ interque prælia, victorias, imperium, statui admonendum te de negotiis urbanis. Namque tibi si id modo in pectore consili est, ut te ab inimicorum impetu vindices, quoque modo contra advorsum consulem beneficia populi retineas, indigna virtute tua coeptas. Sin in te ille animus est, qui iam a principio nobilitatis factionem disturbavit, plebem Romanam ex gravi servitute in libertatem restituit, in prætura inimicorum arma inermis disiecit, domi militiæque tanta et tam præclara facinora fecit, ut ne inimici quidem queri quidquam audeant, nisi de magnitudine tua: quin tu accipe ea, quæ dicam de summa re publica. Quæ profecto aut vera invenies, aut certe haud procul a vero.

Sed quoniam Gn. Pompeius aut animi pravitate, aut quia nihil eo maluit quod tibi obesset, ita lapsus est, ut hostibus tela in manus iaceret: quibus ille rebus rem publicam conturbavit, eisdem tibi restituendum est. Primum omnium summam potestatem moderandi de vectigalibus, sumptibus, iudiciis, senatoribus paucis tradidit; plebem Romanam, quoius antea summa potestas erat, ne æqueis quidem legibus in servitute reliquit. Iudicia tametsi, sicut antea, tribus ordinibus tradita sunt, tamen idem illi factiosi regunt, dant, adimunt, quæ lubet: innocentis circumveniunt; suos ad honorem extollunt. Non facinus, non probrum aut flagitium obstat, quo minus magistratus capiant; quos commodum est, trahunt, rapiunt: postremo, tanquam urbe capta, lubidine ac licentia sua pro legibus utuntur. Ac me quidem mediocris dolor angeret, si virtute partam victoriam more suo per servitium exercerent. Sed homines inertissumi, quorum omnis vis virtusque in lingua sita est, forte atque alterius socordia dominationem oblatam insolentes agitant. Nam quæ seditio aut dissensio civilis tot tam inlustris familias ab stirpe evertit? aut quorum umquam in victoria animus tam præceps tamque inmoderatus fuit?

L. Sulla, quoi omnia in victoria lege belli licuerunt, tametsi supplicio hostium partis suas muniri intellegebat, tamen, paucis interfectis, ceteros beneficio quam metu retinere maluit. At hercule M. Catoni, L. Domitio, ceterisque eiusdem factionis, quadraginta senatores, multi præterea cum spe bona adulescentes, sicutei hostiæ, mactati sunt, quom interea importunissuma genera hominum tot miserorum civium sanguine satiari nequierunt: non orbi liberi, non parentes exacta ætate, non luctus, gemitus virorum, mulierum, inmanem eorum animum inflexit, quein acerbius in dies malefaciundo et dicundo dignitate alios, alios civitate evorsum irent. Nam quid ego de te dicam, quoius contumeliam homines ignavissumi vita

Digitized by Google

sua commutare volunt, si liceat. Neque illis tantæ voluptati est (tametsi insperantibus accidit) dominatio, quanto mœrori tua dignitas: quein optatius habent ex tua calamitate periculum libertatis facere, quam per te populi Romani imperium maxumum ex magno fieri. Quo magis tibi etiam atque etiam animo prospiciundum est, quonam modo rem stabilias communiasque. Mihi quidem quæ mens suppetit, eloqui non dubitabo. Ceterum tuei erit ingenii probare, quæ vera atque utilia factu putes.

In duas partis ego civitatem divisam arbitror, sicut a maioribus accepi, in patres et plebem. Antea in patribus summa auctoritas erat, vis multo maxuma in plebe. Itaque sæpius in civitate secessio fuit, semperque nobilitatis opes deminutæ sunt, et ius populi amplificatum. Sed plebes eo libere agitabat, quia nullius potentia super leges erat; neque divitiis aut superbia, sed bona fama factisque fortibus nobilis ignobilem anteibat; humillumus quisque in agris aut in militia, nullius honestæ rei egens, satis sibi satisque patriæ erat. Sed ubi eos paulatim expulsos agris inertia atque inopia incertas domos habere subegit, cœpere alienas opes petere, libertatem suam cum re publica venalem habere. Ita paulatim populus, qui dominus erat, cunctis gentibus imperitabat, dilapsus est, et pro communi imperio privatim sibi quisque servitutem peperit. Hæc igitur multitudo, primum malis moribus inbuta, deinde in artis vitasque varias dispalata, nullo modo inter se congruens, parum mihi quidem idonea videtur ad capessendam rem publicam. Ceterum, additis novis civibus, magna me spes tenet fore, ut omnes expergiscantur ad libertatem; quippe cum illis libertatis retinendæ, tum his servitutis amittundæ cura orietur. Hos ego censeo permixtos cum veteribus novos in coloniis constituas; ita et res militaris opulentior erit, et plebes bonis negotiis inpedita malum publicum facere desinet.

Sed non inscius neque inprudens sum, quom ea res agetur, quæ sævitia quæque tempestates hominum nobilium futuræ sint, quom indignabuntur, omnia funditus misceri, antiquis civibus hanc servitutem inponi, regnum denique ex libera civitate futurum, ubi unius munere multitudo ingens in civitatem pervenerit. Equidem ego sic apud animum meum statuo: malum facinus in se admittere, qui incommodo rei publicæ gratiam sibi conciliet; ubi bonum publicum etiam privatim usui est, id vero dubitare adgredi, socordiæ atque ignaviæ duco. M. Druso semper consilium fuit in tribunatu summa ope niti pro nobilitate, neque ullam rem in principio agere intendit, nisi illi auctores fuerant. Sed homines factiosi, quibus dolus atque malitia fide cariora erant, ubi intellexerunt, per unum hominem maxumum beneficium multis mortalibus dari, videlicet sibi quisque conscius malo atque infido animo esse, de M. Druso iuxta ac de se existumaverunt. Itaque metu, ne per tantam gratiam solus rerum poteretur, contra eum nisi sua et ipseius consilia disturbaverunt. Quo tibi, imperator, maiore cura fideique amici et multa præsidia paranda sunt.

Hostem advorsum deprimere strenuo homini haud difficilest: occulta pericula neque facere neque vitare bonis in promptu est. Igitur, ubi eos in civitatem adduxeris, quoniam quidem renovata plebs erit, in ea re maxume animum exerceto, ut colantur boni mores, concordia inter veteres et novos coalescat. Sed multo maxumum bonum patriæ, civibus, tibi, liberis, postremo humanæ genti pepereris, si studium pecuniæ aut sustuleris, aut, quoad res feret, minueris. Aliter neque privata res neque publica neque domi neque militiæ regi potest. Nam ubi cupido divitiarum invasit, neque disciplina neque artes bonæ neque ingenium ullum satis pollet, quin animus magis aut minus mature postremo tamen succumbat. Sæpe iam audivi, qui reges, quæ civitates et nationes,

Digitized by Google

per opulentiam magna imperia amiserint, quæ per virtutem inopes ceperant: id adeo haud mirandum est. Nam ubi bonus deteriorem divitiis magis clarum magisque acceptum videt, primo æstuat multaque in pectore volvit; sed ubi gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit; animus ad voluptatem a vero deficit. Quippe gloria industria alitur; ubi eam dempseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est. Postremo ubi divitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia sunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. Nam ad virtutem una ardua via est; ad pecuniam, qua cuique lubet, nititur: et malis et bonis rebus ea creatur. Ergo in primis auctoritatem pecuniæ demito; neque de capite neque de honore ex copiis quisquam magis aut minus iudicaverit; sicut neque prætor, neque consul ex opulentia, verum ex dignitate creetur. Sed de magistratu facile populi iudicium fit. Iudices a paucis probari regnum est; ex pecunia legi inhonestum. Quare omnes primæ classis iudicare placet, sed numero plures, quam iudicant. Neque Rhodios neque alias civitates unquam iudiciorum suorum pœnituit, ubi promiscue dives et pauper, ut quoique sors tulit, de maxumis rebus iuxta ac de minumis disceptat.

Sed magistratibus creandis haud mihi quidem apsurde placet lex, quam G. Gracchus in tribunatu promulgaverat, ut ex confusis quinque classibus sorte centuriæ vocarentur. Ita coæquantur dignitate pecunia; virtute anteire alius alium properabit. Hæc ego magna remedia contra divitias statuo. Nam perinde omnes res laudantur atque adpetuntur, ut earum rerum usus est: malitia præmiis exercetur. Ubi ea dempseris, nemo omnium gratuito malus est. Ceterum avaritia, belua fera, inmanis, intoleranda est; quo intendit, oppida, agros, fana atque domos vastat: divina cum humanis permiscet; neque exercitus, neque mœnia obstant, quo minus vi sua penetret; fama, pudicitia, liberis, patria atque parentibus cunctos mor-

talis spoliat. Verum, si pecuniæ decus ademeris, magna illa vis avaritiæ facile bonis moribus vincetur. Atque hæc ita sese habere tametsi omnes æqui atque iniqui memorant, tamen tibi cum factione nobilitatis haud mediocriter certandum est; quoius si dolum caveris, alia omnia in proclivi erunt. Nam ii, si virtute satis valerent, magis æmuli bonorum quam invidi essent. Quia desidia et inertia stupor eos atque torpedo invasit, strepunt, obtrectant, alienam famam bonam suum dedecus æstumant.

Sed, quid ego plura quasi de ignotis memorem? M. Bibuli fortitudo atque animi vis in consulatum erupit; hebes lingua, magis malus quam callidus ingenio. Quid ille audeat, quoi consulatus, maxumum imperium, maxumo dedecori fuit? An L. Domiti magna vis est, quoius nullum membrum a flagitio aut facinore vacat? lingua vana, manus cruentæ, pedes fugaces; quæ honeste nominari nequeunt, inhonestissuma. Unius tamen M. Catonis ingenium versutum, loquax, callidum haud contemno. Parantur hæc disciplina Græcorum. Sed virtus, vigilantia, labos apud Græcos nulla sunt. Quippe qui domi libertatem suam per inertiam amiserint, censesne eorum præceptis imperium haberi posse? Reliqui de factione sunt inertissumi nobiles: in quibus sicut instituto præter bonum nomen nihil est. Additamenta L. Postumii, M. Favonii, mihi videntur quasi magnæ navis supervacanea onera esse; ubi salvi pervenere, usui sunt; si quid advorsi coortum est, de illeis potissumum iactura fit, quia preti minumi sunt.

Nunc quoniam, sicut mihi videor, de plebe renovanda corrigendaque satis disserui: de senatu, quæ tibi agenda videntur, dicam. Postquam mihi ætas ingeniumque adolevit, haud ferme armis atque equis corpus exercui, sed animum in litteris agitavi; quod natura firmius erat, id in laboribus habui. Atque ego in ea vita multa legendo atque audiundo

Digitized by Google

ita comperi, omnia regna, item civitates et nationes usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: ubicumque gratia, timor, voluptas ea corrupere, post paulo inminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremo servitus inposita est. Equidem ego sic apud animum meum statuo, quoicumque in sua civitate amplior inlustriorque locus quam aliis est, ei magnam curam esse rei publicæ. Nam ceteris salva urbe tantummodo libertas tuta est: qui per virtutem sibi divitias, decus, honorem pepererunt, ubi paulum inclinata res publica agitari cœpit, multipliciter animus curis atque laboribus fatigatur; aut gloriam aut libertatem aut rem familiarem defensat: omnibus locis adest, festinat: quanto in secundis rebus florentior fuit, tanto in advorsis asperius magisque anxie agitat. Igitur ubi plebs senatui sicuti corpus animo obœdit eiusque consulta exequitur, patris consilio valere decet; populo supervacanea est calliditas. Itaque maiores nostri quom bellis asperrumis premerentur, equis, viris, pecunia amissa, nunquam defessi sunt armati de imperio certare. Non inopia ærari, non vis hostium, non advorsa res ingentem eorum animum subegit, quin, quæ virtute ceperant, simul cum anima retinerent. Atque ea magis fortibus consiliis quam bonis prœliis patrata sunt. Quippe apud illos una res publica erat; ei omnes consulebant; factio contra hostis parabatur: corpus atque ingenium patriæ, non suæ quisque potentiæ exercitabat. At hoc tempore contra ea homines nobiles, quorum animos secordia atque ignavia invasit, ignarei laboris, hostium, militiæ, domi factione instructi, per superbiam cunctis gentibus moderantur. Itaque patres, quorum consilio antea dubia res publica stabiliebatur, oppressi ex aliena lubidine huc atque illuc fluctuantes agitantur: interdum alia, deinde alia decernunt; uti eorum, qui dominantur, simultas aut gratia fert, ita bonum malumque publicum æstumant.

Quod si aut libertas æqua omnium aut sententia obscurior esset, maioribus opibus res publica et minus potens nobilitas esset. Sed quoniam coæquari gratiam omnium difficile est; quippe quom illis maiorum virtus partam reliquerit gloriam, dignitatem, clientelas, cetera multitudo pleraque insiticia sit; sententias eorum a metu libera: ita in occulto sibi quisque alterius potentia carior erit. Libertas iuxta bonis et malis, strenuis atque ignavis optabilis est. Verum eam plerique metu deserunt, stultissumi mortales: quod in certamine dubium est quorsum accidat, id per inertiam in se quasi victi recipiunt. Igitur duabus rebus confirmari posse senatum puto: si numero auctus per tabellam sententiam feret. Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat: in multitudine et præsidi plus et usus amplior est. Nam fere his tempestatibus alii iudiciis publicis, alii privatis suis atque amicorum negotiis inplicati, haud sane rei publicæ consiliis adfuerunt: neque eos magis occupatio quam superba imperia distinuere. Homines nobiles cum paucis senatoriis, quos additamenta factionis habent, quæcumque lubuit probare, reprehendere, decernere, ea, uti lubido tulit, fecere. Verum ubi numero senatorum aucto per tabellam sententiæ dicentur, næ illi superbiam suam dimittent, ubi iis obœdiundum erit, quibus antea crudelissume imperitabant.

Forsitan, imperator, perlectis litteris, desideres, quem numerum senatorum fieri placeat, quoque modo is in multa et varia officia distribuatur; iudicia quoniam omnibus primæ classis committenda putem, quæ descriptio, quei numerus in quoque genere futurus sit. Ea mihi omnia generatim describere haud difficile factu fuit; sed prius laborandum visum est de summa consili, idque tibi probandum verum esse. Si hoc itinere uti decreveris, cetera in promptu erunt. Volo ego consilium meum prudens maxumeque usui esse. Nam ubicumque

tibi res prospere cedet, ibi mihi bona fama eveniet. Sed me illa magis cupido exercet, uti quocumque modo quam primum res publica adiutetur. Libertatem gloria cariorem habeo, atque ego te oro hortorque, ne clarissumus imperator, Gallica gente subacta, populi Romani summum atque invictum imperium tabescere vetustate ac per summam secordiam dilabi patiaris. Profecto, si id accidat, neque tibi nox neque dies curam animi sedaverit, quin insomnis exercitus, furibundus atque amens alienata mente feraris. Namque mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam divino numine invisier, neque bonum neque malum facinus quoiusquam pro nihilo haberi, sed ex natura divisa præmia bonos malosque sequi. Interea forte ea tardius procedunt: suus quoique animus ex conscientia spem præbet.

Quodsi tecum patria atque parentes possent loqui, scilicet hæc tibi dicerent: O Cæsar, nos te genuimus fortissumi viri, in optuma urbe, decus præsidiumque nobis, hostibus terrorem! Quæ multis laboribus et periculis ceperamus, ea tibi nascenti cum anima simul tradidimus, patriam maxumam in terris, domum familiamque in patria clarissumam, præterea bonas artis, honestas divitias, postremo omnia honestamenta pacis et præmia belli. Pro his amplissumis beneficiis non flagitium a te neque malum facinus petimus, sed utei libertatem evorsam restituas. Qua re patrata profecto per gentis omnis fama virtutis tuæ volitabit. Namque hac tempestate tametsi domi militiæque præclara facinora egisti, tamen gloria tua cum multis viris fortibus æqualis est: si vero urbem amplissumo nomine et maxumo imperio prope iam ab occasu restitueris, quis te clarior, quis maior in terris fuerit? Quippe si morbo iam aut fato huic imperio secus accidat, quoi dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, cædes oriantur? quod si tibi bona lubido fuerit patriæ, parentibus gratificandi, po-

stero quoque tempore, re publica restituta, super omnis mortalis gloria magna tuaque unius mors vita clarior erit. Nam vivos interdum fortuna, sæpe invidia fatigat: ubi anima naturæ cessit, demptis obtrectationibus ipsa se virtus magis magisque extollit. Quæ mihi utilissuma factu visa sunt, quæque tibi usui fore credidi, quam paucissumis potui, perscripsi. Ceterum deos inmortalis optestor, uti, quocumque modo ages, ea res tibi reique publicæ prospere eveniat.

Digitized by Google

G. SALUSTII CRISPI UT INSCRIBITUR IN M. TULLIUM CICERONEM ORATIO.

Graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, M. Tulli, si te scirem iudicio magis quam morbo animi petulantia ista uti; sed quoniam in te neque modum neque modestiam ullam animadverto, respondebo tibi: ut, si quam maledicendo voluptatem cepisti, eam male audiendo amittas. Ubi querar? quos implorem, P. C. diripi rem publicam atque audacissimo cuique esse perfidiæ? Apud populum Romanum? qui ita largitionibus corruptus est, uti sese ac fortunas suas venales habeat? an apud vos, Patres conscripti? quorum auctoritas turpissimo cuique et sceleratissimo ludibrio est? ubi M. Tullius leges, iudicia populi Romani defendit, atque in hoc ordine ita moderatur, quasi unus reliquus ex familia viri clarissimi Scipionis Africani, ac non repticius, acitus ac paulo ante insitus huic urbi civis. An vero, M. Tulli, facta ac dicta tua obscura sunt? an non ita a pueritia vixisti, ut nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alteri collibuisset? [An] Scilicet istam immoderatam eloquentiam apud M. Pisonem non pudicitiæ iactura perdidicisti? Itaque minime mirandum est, si eam flagitiose venditas, quam turpissime parasti. II. Verum, ut opinor, splendor domesticus tibi animos attollit, uxor sacrilega ac periuriis delibuta, filia matris pellex, tibi iucundior atque obsequentior, quam parenti par est. Domum tuam ipsam vi et rapinis funestam tibi ac tuis comparasti:

videlicet ut nos commonefacias, quam conversa sit res publica, cum in ea domo habitas, homo flagitiosissume, quæ P. Crassi, viri consularis, fuit. Atque hæc cum ita sint, tamen Cicero se dicit in concilio deorum immortalium fuisse; inde missum huic urbi civibusque custodem, absque carnificis nomine, qui civitatis incommodum in gloriam suam ponit. Quasi vero non illius conjurationis causa fuerit consulatus tuus, et iccirco res publica disiecta eo tempore, quo te custodem habebat. Sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quæ post consulatum cum Terentia uxore de re publica consuluisti: cum legis Plautiæ iudicia domi faciebatis: ex coniuratis alios morte, alios pecunia condemnabas: cum tibi alius Tusculanam, alius Pompeianam villam exædificabat, alius domum emebat: qui vero nihil poterat, is erat calumniæ proximus; is aut domum tuam oppugnatum venerat, aut insidias senatui fecerat; denique de eo tibi compertum erat. Quæ si tibi falsa obiicio, redde rationem, quantum patrimonii acceperis, quid tibi litibus accreverit, qua ex pecunia domum paraveris, Tusculanum et Pompeianum infinito sumptu ædificaveris; aut, si retices, cui potest esse dubium, quin opulentiam istam ex sanguine et miseriis civium paraveris? III. Verum, ut opinor, homo novus Arpinas, ex C. Marii familia, eius virtutem imitatur; contemnit simultatem hominum nobilium; populi Romani curam habet; neque terrore neque gratia commovetur. Alia vero amicitia tua ac virtus est animi; immo vero homo levissimus, supplex inimicis, amicis contumeliosus, modo harum modo illarum partium, fidus nemini, levissumus senator, mercenarius patronus, cuius nulla pars corporis a turpitudine vacat, lingua vana, manus rapacissumæ, gula immensa, pedes fugaces, quæ honeste nominari non possunt, inhonestissuma. Atque is, cum eiusmodi sit, tamen audet dicere: *O fortunatam natam me consule Romam!* Te consule fortunatam, Cicero?

Digitized by Google

immo vero infelicem et miseram, quæ crudelissumam proscriptionem civium perpessa est, cum tu, perturbata re publica metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuæ cogebas; cum omnia iudicia, omnes leges, in tua lubidine erant; cum tu, sublata lege Porcia, erepta libertate, nostrum omnium vitæ necisque potestatem ad te unum revocaveras. Atque parum est, quod impune fecisti; verum etiam commemorando exprobras, neque licet oblivisci servitutis suæ. Egeris, oro te Cicero, perfeceris quod lubet: satis est perpessos esse: etiamne aures nostras odio tuo onerabis? etiamne molestissumis verbis insectabere? *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.* Quasi vero togatus et non armatus ea, quæ gloriaris, confeceris, atque inter te Sullamque dictatorem, præter nomen imperii, quidquam interfuerit. IV. Sed quid ego plura de tua insolentia commemorem? quem Minerva omnes artes edocuit, Iuppiter optumus maxumus in concilium deorum admisit, Italia exsulem humeris suis reportavit. Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paullos, Fabios, Scipiones superasti, quem tandem locum in hac civitate obtines? quæ tibi partes rei publicæ placent? quem amicum, quem inimicum habes? cui in civitate fecisti insidias, ancillaris? quo iure, cum de exsilio tuo Dyrrhachio redisti, eum sequeris? quos tyrannos appellabas, eorum nunc potentiæ faves? qui tibi ante optimates videbantur, eosdem nunc dementes ac furiosos vocas? Vatinii causam agis? de Sextio male existumas? Bibulum petulantissumis verbis lædis? laudas Cæsarem? quem maxume odisti, ei maxume obsequeris? Aliud stans, aliud sedens, de re publica sentis; his maledicis, illos odisti, levissume transfuga, neque in hac, neque in illa parte fidem habes.

M. TULLII CICERONIS UT INSCRIBITUR IN G. SALUSTIUM CRISPUM RESPONSIO.

Ea demum magna voluptas est, Crispe Salusti, æqualem ac parem verbis vitam agere, neque quidquam tam obscenum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas tua respondeat, ut omnis oratio moribus consonet. Neque enim qui ita vivit ut tu, aliter ac tu loqui potest: neque qui tam illoto sermone utitur, vita honestior est. Quo me vertam, Patres conscripti? unde initium sumam? maius enim mihi dicendi onus imponitur, quo notior est uterque nostrum, quod aut, si de mea vita atque actibus huic conviciatori respondero, invidia gloriam consequetur: aut, si huius facta, mores, omnem ætatem nudavero, in idem vitium incidam procacitatis, quod huic obiicio. Id vos, si forte offendimini, iustius huic quam mihi succensere debetis, qui initium introduxit. Ego dabo operam, ut et pro me minimo cum fastidio respondeam, et in hunc minime mentitus esse videar. Scio me, Patres conscripti, in respondendo non habere magnam exspectationem; quod nullum vos sciatis novum crimen in Salustium audituros, sed omnia vetera recognituros, quis et meæ et vestræ iam et ipsius aures calent. Verum eo magis odisse debetis hominem, qui ne incipiens quidem peccare minimis rebus posuit rudimentum, sed ita ingressus est, ut neque ab alio vinci possit, neque ipse se omnino reliqua ætate præterire. Itaque nihil aliud studet nisi ut lutulentus sus cum quovis volutari. Longe vero fallitur opinione. Non enim procacitate linguæ vitæ sordes eluuntur: sed est quædam calumnia, quam unusquisque nostrum testante animo suo fert de eo, qui falsum crimen bonis obiectat. Quod si vita istius memoriam vicerit, illam P. C. non ex oratione sed ex moribus suis spectare debetis. Iam dabo operam, quam maximam po-

Digitized by Google

tero, ut breve id faciam. Neque hæc altercatio nostra vobis inutilis erit, Patres conscripti! Plerumque enim res publica privatis crescit inimicitiis; ubi nemo civis, qualis sit vir, potest latere. II. Primum igitur, quoniam omnium maiores Crispus Salustius ad unum exemplum et regulam quærit, velim mihi respondeat, num quid hi, quos protulit Scipiones et Metellos vel Fabios, ante habuerint aut opinionis aut gloriæ, quam eos res gestæ suæ et vita innocentissime acta commendavit? Quod si hoc fuit illis initium nominis et dignitatis, cur non æque de nobis existimetur, cuius et res gestæ illustres et vita integerrime acta? Quasi vero tu sis ab illis viris, Salusti, ortus! Quod si esses, nonnullos iam tuæ turpitudinis pigeret. Ego meis maioribus virtute mea præluxi, ut, si prius noti non fuerint, a me accipiant initium memoriæ suæ; tu tuis vita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras, ut, etiamsi fuerint egregii cives, certe venerint in oblivionem. Quare noli mihi antiquos viros obiectare. Satius est enim, me meis rebus gestis florere quam maiorum opinione niti; et ita vivere, ut ego sim posteris meis nobilitatis initium et virtutis exemplum. Neque me cum iis conferri decet, patres conscripti, qui iam decesserunt omnique odio carent et invidia, sed cum iis, qui mecum una in re publica versati sunt. Sed si fuerim aut in honoribus petendis nimis ambitiosus, (non hanc dico popularem ambitionem, cuius me principem confiteor, sed illam perniciosam contra leges, cuius primos ordines Salustius duxit) aut in gerendis magistratibus, aut in vindicandis maleficiis tam severus, aut in tuenda re publica tam vigilans, quam tu proscriptionem vocas: credo, quod non omnes tui similes incolumes in hac urbe vixissent: at, quanto meliore loco res publica staret, si tu par ac similis scelestorum civium una cum illis adnumeratus esses! An ego tunc falso scripsi: *Cedant arma togæ;* qui togatus ar-

Digitized by Google

matos, et pace bellum oppressi? An illud mentitus sum, *Fortunatam natam me consule Romam*; qui tantum intestinum bellum ac domesticum urbis incendium exstinxi? III. Neque te tui piget, homo levissime, cum ea culpas, quæ in historiis mihi gloriæ ducis. An turpius est, Patres conscripti, scribentem mentiri quam illa palam in hoc ordine dicentem? Nam quod meam ætatem increpuisti: tantum me abesse puto ab impudicitia, quantum tu a pudicitia. Sed quid ego de te plura querar? Quid enim mentiri turpe duces, qui mihi ausus sis eloquentiam ut vitium obiicere? cuius semper nocens eguisti patrocinio? An ullum existimas posse fieri civem egregium, qui non his artibus et disciplinis sit eruditus? an ulla alia putas esse rudimenta et incunabula virtutis, quibus animi ad gloriæ cupiditatem aluntur? Sed minime mirum est, Patres conscripti, si homo, qui desidiæ ac luxuriæ plenus sit, hæc ut nova atque inusitata miratur. Nam quod ista inusitata rabie petulanter in uxorem et in filiam meam invasisti, quæ facilius mulieres se a viris abstinuerunt, quam tu vir a viris: satis docte ac perite fecisti. Non enim me sperasti mutuam tibi gratiam relaturum, ut vicissim tuas compellarem. Unus enim satis es materiæ habens: neque quidquam domi tuæ turpius est, quam tu. Multum vero te opinio fallit, qui mihi parare putasti invidiam ex mea re familiari; quæ mihi multo minor est, quam habere dignus sum. Atque utinam ne tanta quidem esset, quanta est! ut potius amici mei viverent quam ego testamentis eorum locupletior essem. Ego fugax, Crispe Salusti? furori tribuni plebis cessi: utilius duxi quamvis fortunam unus experiri quam universo populo Romano civilis esse dissensionis causa. Qui, postea quam ille suum annum in re publica perbacchatus est, omniaque, quæ commoverat, pace et otio resederunt; hoc ordine revocante atque ipsa re publica manu retrahente me, reverti. Qui mihi dies, si cum

Digitized by Google

omni reliqua vita conferatur, animo quidem meo superet, cum universi vos populusque Romanus frequens adventu meo gratulatus est. Tanti me fugacem, mercenarium patronum hi æstimaverunt. IV. Neque hercule mirum est, si ego semper iustas omnium amicitias existimavi. Non enim uni privatim ancillatus sum neque me addixi: sed quantum quisque rei publicæ studuit, tantum mihi fuit aut amicus aut inimicus. Ego nihil plus volui valere quam pacem: multi privatorum audacias nutriverunt. Ego nihil timui nisi leges: multi arma sua timeri voluerunt. Ego numquam volui quidquam posse nisi pro vobis: multi ex vobis, potentia freti, in vos suis viribus abusi sunt. Itaque non est mirum, si nullius amicitia usus sum, qui non perpetuo rei publicæ amicus fuit; neque me pænitet, si aut petenti Vatinio reo patrocinium pollicitus sum, aut Sextii insolentiam repressi, aut Bibuli patientiam culpavi, aut virtutibus Cæsaris favi; hæ enim laudes egregii civis et unicæ sunt. Quæ si tu mihi ut vitia obiicis, temeritas tua reprehendetur, non mea vitia culpabuntur. Plura dicerem, si apud alios mihi esset dicendum, Patres conscripti non apud vos, quos ego habui omnium actionum mearum monitores. Sed ubi rerum testimonia adsunt, quid opus est verbis? V. Nunc, ad te ut revertar, Salusti, patremque tuum prætéream: qui si numquam in vita sua peccavit, tamen maiorem iniuriam rei publicæ facere non potuit, quam quod te talem filium genuit. Neque tu si qua in pueritia peccasti, exequar, ne parentem tuum videar accusare, qui eo tempore summam tui potestatem habuit; sed qualem adolescentiam egeris. Hac enim demonstrata, facile intelligetur, quam petulanti pueritia tam impudicus et procax adoleveris. Postea quam immensæ gulæ impudicissimi corporis quæstus sufficere non potuit, et ætas tua iam ad ea patienda, quæ alteri facere collibuisset, exoleverat: cupiditatibus infinitis efferebaris, ut

Digitized by Google

quæ ipse corpori tuo turpia non duxisses, in aliis experireris. Ita non est facile exputare, Patres conscripti, utrum inhonestioribus corporis partibus rem quæsierit, an amiserit. Domum paternam vivo patre turpissime venalem habuit, vendidit. Et cuiquam dubium potest esse, quin mori coegerit eum, quo hic nondum mortuo pro herede gesserit omnia? Neque pudet eum a me quærere, quis in P. Crassi domo habitet; cum ipse respondere non queat, quis in ipsius habitet paterna domo. At hercule lapsus ætatis tirocinio, postea se correxit. Non ita est: sed abiit in sodalicium sacrilegii Nigidiani: bis ad iudicis subsellia attractus, extrema fortuna stetit: et ita discessit, ut non hic innocens esse, sed iudices peierasse existimarentur. Primum honorem in quæstura adeptus, hunc locum et hunc ordinem despexit, cuius aditus sibi quoque, sordidissimo homini, patuisset. Itaque timens, ne facinora sua clam vos essent, cum omnibus matrum familiarum viris opprobrio esset, confessus est, vobis audientibus, adulterium, neque erubuit ora vestra. VI. Vixeris, ut libet, Salusti; egeris, quæ volueris: satis sit, unum te tuorum scelerum conscium esse: noli nobis languorem et soporem nimium exprobrare. Sumus diligentes in tuenda pudicitia uxorum nostrarum: sed ita experrecti non sumus, ut a te cavere possimus. Audacia tua vincit studia nostra. Ecquod hunc movere possit, Patres conscripti, factum aut dictum turpe, quem non puduit palam vobis audientibus adulterium confiteri? Quod si nihil pro me tibi respondere voluissem, sed illud censorium elogium Ap. Claudii et L. Pisonis, integerrimorum virorum, quo usus est quisque eorum, pro lege palam universis recitarem: nonne tibi viderer æternas inurere maculas, quas reliqua vita tua eluere non possit? Neque post illum delectum senatus te umquam vidimus, nisi forte in ea te castra coniecisti, quo omnis sentina rei publicæ confluxerat. At idem Salustius, qui in pace ne

Digitized by Google

senator quidem manserat, postea quam res publica armis oppressa est, et idem victores, qui exsules reduxit, in senatum post quæsturam reductus est. Quem honorem ita gessit, ut nihil in eo non venale habuerit cuius aliquis emtor fuerit. Ita igitur egit, ut nihil non æquum ac verum duxerit, quod ipsi facere collibuisset: neque aliter vexavit ac debuit, si quis prædæ loco magistratum accepisset. Peracta quæstura, postea quam magna pignora eis dederat, cum quibus similitudine vitæ se coniunxerat, unus iam ex illo grege videbatur. Eius enim partis exemplar erat Salustius, quo tamquam in imam voraginem cœtus omnium vitiorum excesserat. Quidquid impudicorum, cillonum, parricidarum, sacrilegorum, debitorum fuit in urbe, municipiis, coloniis, Italia tota, sicut in fretis, subsederant, nominis perditi ac notissimi, nulla in parte castris apti, nisi licentia vitiorum et cupiditate rerum novarum. VII. At postea quam prætor factus est, modeste se gessit et abstinenter. Nonne ita provinciam vastavit, ut nihil neque passi sint neque exspectarint gravius socii nostri in bello, quam experti sunt in pace, hoc Africam interiorem obtinente? unde tantum hic exhausit, quantum potuit aut fide nominum transiici aut in naves contrudi. Tantum, inquam, Patres conscripti exhausit, quantum voluit: ne caussam diceret, sestertio duodecies cum Cæsare paciscitur. Quod si quippiam eorum falsum est; hic palam refelle, unde tu, qui modo ne paternam quidem domum redimere potueris, repente tamquam somnio beatus, hortos pretiosissimos, villam Tiburti C. Cæsaris, reliquas possessiones paraveris. Neque piguit quærere, cur ego P. Crassi domum emissem: cum tu veteris villæ dominus sis, cuius paulo ante fuerat Cæsar? Modo, inquam, patrimonio non comeso sed devorato, quibus rationibus repente factus es tam affluens et tam beatus? Nam quis te faceret heredem, quem ne amicum quidem suum satis honestum quisquam sibi ducit,

nisi similis ac par tui? VIII. At hercule egregia facta maiorum tuorum te extollunt. Quorum sive tu similis es, sive illi tui, nihil ad omnium scelus ac nequitiam addi potest. Verum, ut opinor, honores tui te faciunt insolentem. Tu, Crispe Salusti, tantidem putas esse bis senatorem et bis quæstorem fieri, quanti bis consularem et bis triumphalem? Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere. Is demum maledicit, qui non potest verum ab altero audire. Sed tu omnium mensarum assecla, omnium cubiculorum in ætate pellex, et idem postea adulter, omnis ordinis turpitudo es et civilis belli memoria. Quid enim gravius pati potuimus, quam quod te incolumem in hoc ordine videmus? Desine bonos petulantissima consectari lingua: desine morbo procacitatis isto uti: desine unumquemque moribus tuis æstimare: his moribus amicum tibi facere non potes, videris velle inimicum habere. Finem dicendi, Patres conscripti, faciam. Sæpe enim gravius vidi offendere animos auditorum eos, qui aliena flagitia aperte dixerunt, quam eos qui commiserunt. Mihi quidem ratio habenda est, non quid Salustius merito debeat audire, sed ut ea dicam, si qua ego honeste effari possum.

IULII EXSUPERANTII OPUSCULUM DE MARII LEPIDI AC SERTORII BELLIS CIVILIBUS.

(Ex Codice Parisino 6085 editum.)

Cum Luc. Metellus Pro C. contra Iugurtham in Numidiam exercitum duceret, Marium ex gregariis militibus genere ignobilem sed virtute præstantem secum habuit. Quem cum militibus quæstorem fecisset, ita se factis fortibus promiserat,

Digitized by Google

ut hostibus terrori, Romano imperatori carus esset. Sed victimas immolanti numinibus in oppido Numidarum, cui nomen est Utica, haruspices magna quædam impendere Mario responderunt. Atque hortati sunt, ut quæ vellet auderet peteretque celsiora natalibus meritisque maiora; siquidem cuncta videbatur favor spondere fortunæ. Tunc capiendi consulatus invasit magna cupiditas, ad quem petendum paratus suffragiis, relicta provincia Metello, Romam venit, ibique de Metelli rebus loquendo corruptius ac suam extollendo virtutem effecit animos vulgi cupidos novitatis, in suum excitando favorem, adiuvantibus tribunis plebis. Nam eo tempore inter patres ac populum studio dominationis erant excitata certamina. Ita factum est, ut quasi in perniciem nobilitatis, quam lacerabat iniuriis, Marius novis extolleretur honoribus. Itaque comitiis consularibus universus populus, qui ad eligendum convenerat, Marium consulem iussit: et, erepta Metello provincia, in Numidiam missus est. Sed is accepto consulatu, quasi spolium victoriæ superatis patribus ostentabat; aperteque se eorum potentiæ profitebatur adversum. Sed cum militem novum scriberet, primus omnium capite censos cives infidosque atque inutiles duxit ad bellum; ut hac ratione cum publico detrimento populo gratiam redderet, a quo speratos honores acceperat. Nam populus Romanus per classes divisus erat et pro patrimonii facultate censebatur. Ex iis omnes, quibus res erat, ad militiam ducebantur. Diligenter enim pro victoria laborabant, qui ex libertate bona et patriam defendebant.

Illi autem, quibus nullæ opes erant, caput suum, quod solum possidebant, censebantur et hi omnes belli tempore in mœnibus residebant. Facile enim existere poterant proditores, quia egestas haud facile habetur sine damno. Hos igitur Marius, quibus non fuerat committenda Res publica duxit ad bellum. Sed forte secum L. Sillam legatum, unumde nobilibus, in

provinciam duxit. Atque ibi confecto feliciter bello et Iugurtha capto ad urbem rediere victores. Atque statim virtute cognita, Marius in Galliam missus, quæ tunc Romanos fines hostili incursione vexabat. Eodem tempore Mithridates cum magnis copiis universam Asiam urbesque sociorum expugnando atque vastando cœpit affligere. Ad quem cohercendum L. Sylla est cum exercitu destinatus, cuius in Africano bello probata erat corporis atque animi magnitudo. Hoc ubi Mario compertum est, terminare, quod gerebat, prœlium festinavit; et homo infinitæ cupidus gloriæ, non patiebatur libertatem dignitatemque Romanam alterius virtute defendi. Contusis igitur Gallis vastataque natione penitus barbarorum Romam iterum victor intravit. Itaque instinctu eius Sulpicius tribunus plebis legem tulit, ut auferretur Syllæ provincia ac Mario daretur. Hoc Syllæ ubi nunciatum est, Murænam legatum suum provinciæ Valerianisque præfecit militibus, quos infidos bellis existimabat esse civilibus, et cum parte exercitus, iniuriæ dolore commotus, ad extinguendam Marianam venit factionem. Statim ut Romam venit, resistentem sibi Sulpicium et seditiosis concionibus R. P. disturbantem, cum multis, quos sibi socios adsciverat, trucidavit, atque Marium ipsum machinatorem tantæ contumeliæ in exilium impetu detrusit armorum. Atque ille, quotiens victor, per Gallorum atque Afrorum rura, quæ ipse vastaverat, naufragus atque egenus erravit. Dum hæc aguntur, Cinna et Octavius facti sunt Consules; quorum Cinna de partibus Marianis fuit. Hic legem tulit, ut novi cives, qui aliqua ratione Romanam acceperant civitatem, cum veteribus nulla discretione suffragium facerent. Hoc videlicet in eorum gratiam faciebat, qui Marium suffragiis suis extulerant et amplissimis honoribus decorarant.

Sed hæc lex injuriosa erat in veteres cives, qui meritum dignitatis videbantur amittere, si cum novis indignis in ferendo

Digitized by Google

suffragio iungerentur. Ob hoc itaque Octavius collega commotus, ut seditionibus privaretur, collegam suum Cinnam, adnitentibus veteribus civibus, in exilium misit armatus, munitus videlicet copiis Syllæ. Quæ cum agerentur, maximus ex utrisque partibus civium numerus interemptus est. Expulsus igitur Cinna cum vagaretur, ad Africam, ubi Marius inops erat, forte pervenit: atque ibi communicato consilio, sollicitatis animis perditorum et de ergastulis erutis servis, exercitum confecerunt, et armata validissima manu iuventutis, ad urbem venerunt atque Octavium Syllæ satellitem superatum necaverunt. Tunc varia crudelitas pervagata est, ut nobilitas omnis ad fugitivorum trucidaretur arbitrium. Atque ea inmanis sævitia Cinnæ fuit, ut nec illis parceret, quorum opera erat victor effectus. Et cum hac insolentia in omnes communiter baccharetur, cum haberet conciones, a militibus suis occisus est. Tum Marius, ne sine socio dominatum sustinere non posset, Carbonem sibi in septimo Consulatu collegam subrogavit. Tum Sylla tanta indignatione commotus, contra Marium atque Carbonem exercitum duxit, et inter se ferali certamine Romani exercitus conflixere. In quo bello superatus est Marius. Tum vero Sylla victor, quicquid in urbe remanserat, crudeliter persecutus est, et R. P. vindicatam non reddidit legibus, sed ipse possedit, ac se talem præbuit, ut Cinnana ac Mariana, quam ultum ierat, dominatio quæreretur. Hinc Salustius: *bonis initiis malos eventus habuit.* Nam fuerunt bona principia, quod oppressam voluit civium defendere libertatem, mali eventus, ut superatis dominis et ducibus sævis gravius ipse civitatem quassarit, qui se publicæ calamitatis fore promiserat defensorem. Hic cum teneret imperium, multas leges ac iura præscripsit, multis civitatibus immunitates vectigalium, multos Romana civitate donavit. Huius acta cum conatur Lepidus in suo consulatu subvertere, contra collegam

Catulum civile prœlium gessit et victus est. Nam congregatis iis, in quorum possessiones novos colonos de suis militibus Sylla victor inmisit, ac sibi coniunctis liberis proscriptorum, ingentem congregavit exercitum, pollicendo si vicissent, se bona patria restituturum.

Plebi quoque, multis muneribus publice privatimque largitis, carus videbatur ac publicæ libertatis assertor. Sed in Etruriæ litore commisso prœlio cœperat Lepidus esse superior per armatam multitudinem, quæ odio rerum Syllanarum se Lepidi partibus applicarat. Sed Pompeius de Gallia rediens, non passus est Lepidi audaciam cum publicis detrimentis impune bacchari. Nam fugientes eius copias ac se implicantes festinatione formidinis ita prostravit, ut maiore numero privatus in Sardiniam confugeret, ut impedito commeatu populum Romanum fatigaret inopia ac suas vires armis copiisque et omni instrumento reficeret. Atque ibi contrario proprætore variis prœliis gravibusque conflixit. Nam sollertissime tutando provinciam effecit, ut Lepidi consilia vana forent. Undique enim prohibitus et munitionibus a civitatium expugnatione depulsus, nequivit cogitata perficere; ac dum multa parat, morbo gravi obpressus ac mortuus est. Cuius socius et administer Perpenna, ob delictum tanti facinoris supplicium timens, ex Sardinia in Hispaniam transvectus est ac se Sertorio sociavit, qui tum Romanis armis quassabat imperium. Nam hic Sertorius de Marii partibus fuit. Norbano et Scipione Coss. cum ex Asia Sylla contra Marium atque factionem veniret infestus, timens senatus iram, ne malo publico certamina inter duces orirentur, statuit, ut curarent consules, ne R. P. acciperet detrimentum. Hoc itaque senatus consulto excitati consules contra venientem Syllam atque omnibus exitium minitantem præsidia sibi cuiusque generis parare cœperunt, et duces idoneos, ad quorum industriam per-

Digitized by Google

tineret cura bellorum. In quis elegere Sertorium. Parato validissimo exercitu processere et, vetante Sertorio, colloquia consules permiserunt inter suum et Syllæ exercitum, et facta proditio est, omnisque exercitus Syllæ traditur. Tunc Sertorius destitutus atque omni copiarum nudatus auxilio in Etruriam confugit, iram metuens Sullæ, ne exigeret gravem quasi de superato hoste vindictam. Erat autem Etruria fidissima partibus Marianis, qui ab ipsis Romanam, quam antea non habebant, acceperant civitatem. Timentes igitur Etrusci, ne beneficium tantæ dignitatis, a Marianis acceptum, Sylla revocaret, si adversæ partes essent amputatæ, penitus ad Sertorium se atque alios eiusdem factionis duces applicarunt, omnia, quæ imperarentur, sine recusatione promittentes esse facturos. Itaque factum est, ut rursus firmissimus XL cohortium comportaretur exercitus. Nam et multi milites qui se venienti Syllæ tradiderant, frustrati omnibus*) ad priorum ducum castra reverterunt quæ ante prodiderunt. Inter hæc facti sunt Marius septies et Carbo consules. Tunc Sertorius de Marii potestate securus Romam venit et omnium cœpit accusare segnitiem, et ex multis promptissimis factis Syllæ industriam virtutemque laudare; cui nisi obviam iretur, actum iam ac debellatum foret. Tum consules principesque alii factionis, tanto verborum pondere castigati; sive ut æmulum ac vehementem negligentiæ correctorem ab oculis removerent, sive ut feroci provinciæ, cuius infidelitatem timebant, idoneum præponerent ducem, misere in citeriorem Hispaniam; atque ei mandatum est, ut transiens res in Gallia Transalpina componeret. Sed ubi in provinciam venit, ita strenue sociorum animos iam deficientes atque alia cupientes in favorem partium suarum modeste tuendo atque blandiendo perduxit, ut et carus esset et tamen ab omnibus timeretur. Sed in urbe Sylla et Marius conflixere atque in ipso certa-

*) Ita conj. Burnufius in Cod. est *frustrationis*.

Digitized by Google

mine Marius interemptus est: Carbo perditis rebus aufugit. Tum Sertorius commissis atque deletis partibus, quas sequebatur, optimum consilium credens exercitum non dimittere, ne nudatus supplicia victoribus penderet, collecta Hispaniæ multitudine, contra Romanum exercitum statuit dimicare. Mortuo itaque Sylla, hostem aperte se professus est. Ad quem expugnandum missi sunt Metellus atque Pompeius; qui eum gravibus atque assiduis pugnis afflixere; qui tamen difficile vinceretur, nisi per coniurationem in convivio a suis esset occisus. Postea Pompeius Perpennam subegit, Auxumen, Clunium, Calagurrim civitates delevit et factis in Pyrenæo tropæis (*trophiis* Cod.) Romam regressus est.

PORCII LATRONIS DECLAMATIO CONTRA LUCIUM SERGIUM CATILINAM.

Si quid precibus apud Deos immortales, sanctissimi Iudices, vobiscum aliquando valuissemus, iamdudum et potiremur re publica nostra florentissima, et cives nostros haberemus tum studiosos rerum gerendarum, tum patriæ simul ac virtutis amantissimos: idque temporis eximia lætitia frueremur, cum rationes omnes dicendi nostras in laudem summorum atque optimorum civium consumendas esse videremus. Nihil enim statuimus animo dignius nec auctoritate maiorum nec opinione populari, quam in eo genere versari forensis exercitationis, quæ canere laudes egregias summorum hominum posset atque animos inflammare nostræ civitatis ad imitandum.

II. Verum ea dicendi voluptas olim sapientissimo viro M. Catoni plane contigerit, necnon et Galbæ, Scipioni, Grac-

Digitized by Google

chis, Porcinæ, Crasso atque Antonio, summis atque ornatissimis oratoribus, quorum tempora singulari præstantia virtutis ac studio pæne incredibili pulcherrimarum artium floruerunt: nobiscum vero sententia nostra bene ageretur, si modo tantum abessemus ab illa modestia temporum atque hominum, nec incidissemus in atrocissimos rei publicæ fluctus ac miserandam temporum calamitatem. M. siquidem Catoni aut Scipioni coætaneo suo, monumentis immortalibus huius Urbis et sine dubio clarissimis luminibus temporum suorum, de legibus dicendum erat, de institutis maiorum, de gloria militari, persæpe de laudibus ac victoriis; nobis vero, qui devenimus in hanc truculentam temporum conditionem, sublata est omnis gratia dicendi, atque interceptus locus omnis aut iucundissimi sermonis aut conciliandæ benevolentiæ popularis.

III. Nam si quando vox nostra sive a foro sive a curia desideratur, dicendum est perpetuo nobis aut de teterrimis huius patriæ calamitatibus aut de nefariis oppressionibus civium aut de perditæ iuventutis nunc impudicitia flagitiosa, nunc ignavia singulari. Quare pestium quanta in dies redundatio est, vos estis testimonio iudices, quorum aures caluerunt assiduitate pæne quotidiana copiaque incredibili civilium controversiarum. Diximus equidem paucis ante diebus, ut probe meminisse potestis, de L. Glabrionis immanitate atque audacia, furiosissimi hominis et sine dubio crudelissimi: cuius in senatu sica pridie deprehensa est, cum qua M. Papyrium, lucem omnis patritiæ dignitatis, extinguere moliebatur. Nunc vero dicendum est de L. Catilinæ sceleratissima mente atque inusitata nequitia, quam nuper, in omnium civium perniciem stragemque redundaturam, Dii immortales in auctorem sceleris tum benignitate sua tum consulari vigilia retorserunt.

IV. Quæso igitur, iudices, diligenter attendite remque cognoscite barbaram crudelitate, periculo vero et calamitate

Digitized by Google

rei publicæ, perniciosissimam. Lucius siquidem Catilina non ignobili genere præditus neque infima virtute, si dotes egregias tum fortunæ tum corporis ad dignitatem Urbis non ad perniciem conferre statuisset, rem publicam nuper ex atrocissimis bellorum civilium vulneribus paulisper respirantem novis insidiis opprimere conatus est. Quid exhorruistis, iudices? Non modo opprimere conatus est, sed crudelissime vexare: non vexare tantum, sed inaudito quodam genere feritatis extinguere. Manum ad id comparat, diversam quidem genere, sed magnitudine sceleris vitæque similitudine pæne eamdem; quam manum exacerbatam continuo penuria rei familiaris et ob id desiderio prædæ mirabiliter flagrantem illecebræ sibi facillime conciliaverunt. Consilia nefarii facinoris in amplissimi civis M. Læcæ domo decoquebantur.

v. Ad eam greges confluebant perditorum adolescentium, quorum hic familiaritatem eximiam consecutus fuerat, conciliatam partim assuetudine stupri, partim genere quodam nefariæ largitionis. Adhibiti sunt et cuncti barbarorum hominum, nobilitati non solum magnitudine et summa æris alieni, verum etiam consuetudine ac studio turpissimarum rerum. Nec alæ muliebres ab eo cœtu religioso ac nocturno prorsus abfuisse indicatæ sunt: nulla denique portenta Urbis, nullæ finitimarum religionum pestes repertæ sunt, quæ non denotatæ sollertissime per hunc, per magnitudinem inopiæ facillime concitatæ, repente devolaverunt in aream ipsam nefariæ atque flagitiosæ coniurationis. Ratio consiliorum fuit, ut Saturnalibus proxime futuris universi cum armis ad ipsius Læcæ domum præsto forent: ibique dato signo collaberentur omnes partim ad diripiendam inflammandamque Urbem, partim ad trucidandum senatum, partim ad eos conficiendos, qui præsidium Urbi ferre voluissent: Catilinam interim omnes et ducem et imperatorem appellarent.

Digitized by Google

VI. Audistis, iudices, satis evidenter, ut arbitror, consilium sceleratissimi hominis Catilinæ reique indignissimæ miserabilem ac detestabilem crudelitatem. Nunc vero audienda causa est agnoscendæque faces, quibus ille flagravit ad cupiditatem huiusmodi scelerati facinoris obeundam: quas si plane comprobatas vobis, ut arbitror, planeque illustratas evidentibus signis attulero, nihil erit impedimento, quin hostem rei publicæ crudelissimum atque infestissimum summis suppliciis, summis cruciatibus multandum ac mactandum esse iubeatis. Tria, iudices, sententia mea scelerata, crudelia, flagitiosa, inaudita, quæ mentem Catilinæ semper immoderatam, semper novis rebus studentem ad exitium patriæ commoverunt, dicenda sunt.

VII. Primum ratio quædam tristis simultatis, qua ductus est universum Senatum ex memoria repulsæ consulatus capitaliter fuisse semper insectatum. Secundo rabies quædam temerariæ ambitionis, sitiens immodicæ gloriæ prorsusque inflammata perpetua quadam et singulari cupiditate dominandi. Postremo cœtus infames turpissimorum hominum, non modo fatigati diuturno malo domesticæ necessitatis, verum etiam imbuti flagitiis ac consuetudine scelerum, sempiterna comite et genetrice pessimarum cupiditatum; quod genus hominum Catilinam suum etiam dormientem e somno facillime excitare valuisset. His autem ostensis breviter saneque confutatis, quæ pro defensione flagitiorum suorum nostri adversarii dicenda esse putaverunt, finem adesse nobis intelligetis. Bello Mithridatico, Iudices, longissimo quidem omnium et sine dubio post Punicum periculosissimo, cum diutius in senatu de eligendo imperatore dubitatum fuisset, planeque omnes ambigerent, quisnam sagacissimo regi sagacissimus noster imperator opponeretur: Catilinam inter omnes competitores| incredibili quadam ambitionis magnitudine deflagrantem, omnes senatoriæ

sententiæ reiecerunt. Eo telo percussus adeo Catilina fuit, ut postea nullam omiserit neque perturbandæ curiæ neque insectandi senatus occasionem. Videbat namque detestandam cupiditatem suam illo superstite nunquam in eum locum perventuram fore, de quo illam pridem universæ omnium voces eiiciendam esse putavissent. Volvebat item animo summas vitæ necessitates, quibus exuere se posse arbitrabatur, si qua ratione præclaris magistratibus aspirasset: nunc illas vero magis ac magis instauratas quotidie intelligebat, quandoquidem inspiceret, omnes vitæ suæ rationes ea sententia iugulatas prorsus extitisse: ac quicquid increpuisset ulterius, metuendam esse consularem vigiliam, metuendum esse iudicium senatoriæ auctoritatis.

VIII. Hanc vero spem ita exsanguem, ita consternatam consuetudo erexit vitæ pravissimæ ad omne facinus, neque otii sui patiens neque alieni. Qualis eius vita fuerit, etsi præclare conscientia publica teneatur, huic tamen illustrandæ seu patefaciendæ testes indubitati videri possunt ii, qui sacrarium illud lubidinum colere atque observare consueverunt. Quæ nugæ, Dii immortales! quæ portenta scelerum! qui libidinum gurgites! quæ sentinæ flagitiorum! Verum is rumor sparsus est de moribus Catilinæ, eaque gentium opinio pervagata, quatenus existimem voces ipsas publicas non hominum esse sed oraculi potius nuncupandas. Famam vero popularem a maioribus nostris sæpenumero accepimus neque temere unquam nasciturum esse, neque temere occasuram.

IX. Decus illud egregium corporis non ad dignitatem nominis ac gloriæ, sicuti par erat homini nobilissima familia nato, sed uti latro perditissimus ad omne genus flagitii conferendum fuisse semper arbitratus est. Vires ad stuporem hominum præclaræ atque inusitatæ perpetua voluptatum intemperantia sunt labefactatæ. Flos pueritiæ venustissimæ ad intuen-

Digitized by Google

tium iucunditatem, cui non libidini patuit flagitiosæ iuventutis? aut quam turpitudinis notam non subeundam ultro atque accersendam esse cogitavit? Lux illa vero præclari atque excellentis ingenii, quam omnes divinam semper et singularem atque inusitatam penitus esse arbitrabantur, nonne inter fœdissimas voluptatum sordes restincta est? Omitto pestis huius impurissimas voces, mollitiem scenicam, obtuitus impudicos, blanditias muliebres et omnem denique copiam non mediocrium vitiorum sub illa frontis erudita simul atque insigni pulchritudine delitescentem: prætereo mentem illius plus quam gladiatoriam, sitim incredibilem humani cruoris, mirum inconstantiæ genus, vultum nunc demissum, nunc alacrem, nunc anhelantem scelus, nunc gratia meretricia florescentem; summum pecuniæ desiderium, summam simul prodigalitatem, contemptum incredibilem omnium bonorum, itemque eximiam cum summis atque ornatissimis civibus familiaritatem. Nihil enim fuit isto monstro versipellius aut mutabilius hominum memoria, ita ut res diversissimæ sæpenumero videantur in eodem ingenio tanquam in sentina quadam teterrima simul redundare.

x. Quis igitur dubitandum esse putaverit, hominem præditum huiusce institutione vitæ, remotissimum ab omni genere humanitatis, perfacile sese teterrimo cuique atque immanissimo facinori fuisse accommodaturum? Fontem aperuimus, iudices, omnium Catilinæ morum atque omnis consuetudinis, unde illi demanavisse vis ista præclara consiliorum facillime intelligenda est. Nunc videndum est, spem atrocissimi sceleris unde illi subministratam fuisse iudicemus. Cum hic itaque secum repeteret memoria miserandam ignominiam comitiorum turpesque angustias afflictæ rei familiaris, simulque intueretur, vel sibi vivendum ac moriendum fore cum turpitudine summa, vel senatum nullum esse oportere: de ratione tollendi ipsius

Digitized by Google

primum cogitare cœpit. Nam illo deleto sine dubio intelligebat viam latissimam lubidinibus suis continuo patere. Vertit itaque oculos ad innumerabilem copiam iuventutis, qua dies ac noctes stipabatur in exercenda consuetudine suarum cupiditatum: cum putavit manum ipsam hominum, tanquam hastam validissimam furoris sui, facillime sibi accommodari posse, quam contorqueret in omnium nostrum ruinam atque interemptionem, ut quam cognoverat educatam vitæ pravissimæ institutis, imbutam sæpenumero sanguine miserorum civium, ardentem incredibili desiderio prædæ, sibi vero mira familiaritate conciliatam.

XI. Genus est hominum vehementer exercitatum ferro atque inopia, duabus rebus ad omne genus facinoris paratissimum: quod quidem ego civitati nostræ, maxime debilitatæ bellis civilibus atque afflictæ magnitudine calamitatum, magnopere pertimescendum esse iudico. Nihil enim illis præter spem atque animam fortuna reservavit: alteram ad differendam vitæ necessitatem, alteram ad livorem suum magnifice accommodatam. Nihil illis contemptibilius: quos siquidem rudimenta vitæ traductæ in hac tenuissima re, deposita nunc in gladiatoriis muneribus, nunc alia facinoris atrocitate, partim ad omne scelus, partim ad omnem patientiam erudierunt. Verum hæ pestes, sententia mea, quo fuerint abiectiores, eo magis extimescendas esse reor, tanquam perpetuo seditionum civilium ac rerum novandarum avidissimas: sive quia voluptatem capiant ex mœrore sociæ calamitatis, sive quia civitatum versutia mutabilitatem rerum suarum portendi quodam modo arbitrantur. Hi sunt quidem, quos in foro quotidie in oculis civium calamistratos ac vestibus collucentes passim obvolitare cernimus, fortunas omnium popularium atque otium civitatis luminibus consignantes: qui non modo arrecti permanent ad opportunitatem cuius-

Digitized by Google

piam præsentis commodi, verum etiam gestiunt ad opinionem speratæ utilitatis. Si feras quidem omnis generis, quo magis attenuatæ fuerint penuria edendi, eo magis præcipites atque effrenatas ruere in perniciem videmus: quid hanc desperatorum colluviem ieiunam ac sitientem facultatum nostrarum, quo impetu quave strage ruituram esse creditis aut debacchaturam, si se carceribus emiserint: cum illæ ratione careant atque intelligentia: hi vero non absint penitus ab ipsa facultate intelligendi? Gravissimi quidem sunt morsus irritatæ necessitatis.

XII. Dii immortales, quæ clades ab illa feritate hominum, quæ genera flagitiorum emanavissent, si nocturnus iste imperator quasi quasdam rapidissimas beluas in Urbis Penates immittere potuisset? Horret animus, iudices, ea cogitatione complecti, quæ miseri pertulissemus, si sopor oculos consulares detinuisset. Restinguenda est itaque flamma nobis scelerata et atrox, dum adhuc velata cineribus ac sopita facultas restinguendi levissime data est: ne cum omnia comprehenderit (quod immortales Dii penitus avertant) nos frustra postmodum furibundam atque exultantem restinguere cupiamus. Neque rectorem navis audiendum prorsus existimo in ipso mœrore calamitosæ tempestatis, quam illi fugere facillime licuisset consurgentem primo sibique ac rebus suis naufragium minitantem: neque item gubernatorem urbis in ipso excidio et calamitate civitatis, quam impendentem prius ipse consilio suo suaque prudentia sustinere quodam modo ac propulsare potuisset. Seræ sunt hominum lamentationes prorsusque vituperandæ, quas occupatas in his lugendis cernimus, quæ vitio suo desidiaque contigerunt.

XIII. Callicratidi, Lacedæmoniorum duci, cum ornatissimam, cui præerat, classem funditus amisisset propter immoderatam gloriæ cupiditatem nihil ad eam restituendam novissima con-

silii ratio suffragata est. Quam ita servare poterat, si modo in statione continuisset. Terentio Varroni sempiternum dedecus atque immortale monumentum erunt flagitiosæ turpitudinis deletæ ad Cannas temeritate sua pulcherrimæ Romanorum legiones, quæ servatæ periculosissimo tempore rei publicæ sine dubio fuissent, et robur eximium pulcherrimæ urbis, et perpetuum decus consularis prudentiæ disciplinæque militaris.

XIV. Recte itaque maiores nostri summis laudibus efferendi sunt, qui Spu. Melium, Gracchos, qui Manlium Capitolinum, qui Drusum, qui Saturninum, fortissimos homines et rei publicæ sæpenumero non mediocriter opitulatos, quod devenissent in affectatæ tyrannidis suspicionem, morte multandos esse putaverunt. Nec Spu. Melio favor amplissimus civitatis, nec Gracchis avi sui Scipionis clarissimi viri memoria, nec Manlio celeberrima gloria Capitolii liberati, nec Druso sanctissimi sui Penates, nec Saturnino ius sacrosanctæ dignitatis auxiliata sunt. Quid ita? quia necem paucorum aut unius hominis calamitati publicæ maiores nostri semper anteponendam esse putaverunt. Quid? genus crudelitatis eximium non sunt arbitrati, cives eos perimere summisque affligere supplicis, quorum in rem publicam persæpe clarissima beneficiorum genera extitissent? Minime. Quid ita? quia nullum satis dignum supplicii genus in eos consumi posse opinabantur, qui patriæ suæ libertatem opprimere statuissent: nec illos cives esse iudicaverunt, quos abiecisse rationem patriæ caritatis intuerentur. At contra eos, qui tales interemissent, non modo dici atque appellari cives, ut essent, statuebant, sed afficiendos fore immortalibus donis ac sempiternæ hominum memoriæ consecrandos. Quid enim potest indignius dici, quam vitam a patria susceptam ad illius perniciem calamitatemque conferre? quid fingi sceleratius, quam eorum pœnas ac crudelissimam servitutem excogitare, quos iisdem mœnibus ac

Digitized by Google

tectis constitutos eædem leges atque eadem vivendi ratio continuisset? quid denique potest intolerabilius existimari, quam inferre delubris Deorum immortalium ac facultatibus nostris illinc sceleratas faces, hinc acerbissimas expilationes? Hæc qui curaverunt, iudices, aut qui tentaverunt, nunquam ego alienos ab hostibus aut dissimiles feritati bestiarum existimabo.

XV. Vidimus de spe perficiendi nefarii facinoris: videndum est de loco, quam latebram commodissimam et tutissimam egregius artifex delegit, cum contegendæ conspirationi suæ, tum armis omnibus eius artificii comprehendendis: ne forsan temere domum nobilissimi civis atque opulentissimi, M. Læcæ delectam esse iudicetis. Primum homo delectus est huiusmodi nefariis cupiditatibus affinis, quo participe semper usus fuerat consiliorum suorum, adiutore teterrimarum libidinum, socio maximorum periculorum, cui spectato frequenter in difficillimis rebus, summam huiusmodi atrocissimi mali tuto committi posse facillime sibi pollicebatur. Præterea domum sibi deligendam esse iudicabat solitudine locorum desertam et ab omni frequentia populari remotissimam, quæ scilicet voces coniurationis tutissime continere posset. Contulit igitur sese in ipsam M. Læcæ domum, remotam ab omni celebritate, constipatam multitudine arbuscularum et ab omni suspicione prodendi facinoris non mediocriter abhorrentem. Quos vero tetenderit ibi coniurationis laqueos, aut quas catenas scelerum conflaverit nobis ac facultatibus nostris, Saturnalium dies patefactura fuerat, nisi primum benignitate Deorum immortalium, deinde vigilantia consulari nefariæ sicæ de manibus latronum excidissent. Nullas amplius tendiculas pertimescamus ab execrabili monstro; nullas insidias ab hoste teterrimo: tenetur fera, nec, si viri estis, declinatura est telum ipsum sacrosanctæ vestræ auctoritatis.

XVI. Neve Catilina nescias, vigilantissimos consules habere rem publicam, te, quocunque veneris, quocunque abieris, dili-

gentia nostra circumseptum teneri: quid hesterna nocte conciunculis tuis agitatum sit, licet mecum recognoscas. Cum ad M. Læcam venisses, unum ex fidelissimis commilitonibus tuis, ad multam noctem, teque in interiorem una cum illo cubiculi partem recepisses, tanquam in sacrarium memorabile cupiditatum vestrarum, repente de Læca sciscitari cœpisti, num quis ex coniuratis advenisset, cum subito Lentulus ac Cethegus, teterrima capita maleficiorum omnium, furibundi atque alacres irruperunt, moxque ingressi vociferare cœperunt, quid agis Catilina? cur voluptates nostras diutius remoraris? præsto sunt Saturnalia nobis otiosis atque oscitantibus, quem unum diem sæpenumero nuncupare solitus es eversorem superbissimi ordinis, fugatorem ærumnarum nostrarum, lucem ac principem universæ nostræ dignitatis. Num in gerendis negotiis ignoras sequendas esse temporum opportunitates, et in occasione rerum desidiam ac tarditatem omnem quam diligentissime fugiendam? Mutabilissimæ quidem sunt deorum voluntates, et fortunam cum abire permiseris, frustra postmodum discedentem ac fugientem sis imploraturus. Talia conquerentem tu paucis pro re subsecutus, aquilam argenteam proferri continuo iussisti, præclaram auspicem ac gubernatricem furoris tui futuram. Testor noctem ipsam, impiarum molitionum tuarum consciam ac testem, nihil ex iis me fugisse, quæ clandestini vestri conatus agitaverunt.

XVII. Perpauca satis attigisse fuerit, ne solitudine in ipsa latibulorum tuorum, cum ora vulgi plane devitavisses, fefellisse te crederes diligentiam pariter atque industriam consularem. Linquo telorum innumerabilem atque inexcogitatam copiam, quam in iisdem furialibus antris constipandam atque occultandam fore curavisti. Mitto litteras manu tua scriptas, diversis municipiis reddendas, quæ furori tuo succurrere atque opitulari vellent. Transeo rem illam simillimam prodigio, cum

Digitized by Google

mane isto iam coacto senatu redundantibusque subselliis serius in senatum, præter consuetudinem, venisses: quod nulli non oculi te senatorum statim consignarunt ingredientem demisso vultu, pallore terribili, luminibus errantibus ac facie præferente nescio quid inusitatæ crudelitatis. Præterea Saturnalibus proxime futuris rem adoriri placuit: quo die civitas omnis feriata publico edicto conferre sese in montem Aventinum ac rusticari quodammodo solita est: cum tu manum furoris tui diligenter armatam atque instructam, primum ad cædem senatus ac consulum, deinde ad occupandam Capitolii arcem munitissimam fueras immissurus: atque his perfectis, daturus operam cum direptioni publicæ, tum inflammandis ædibus atque his trucidandis, qui rem publicam defendere voluissent.

XVIII. Videtis, Iudices, lucem clarissimam rationum, quam ego profecto censeo nullis involucris tenebrarum suarum obruituros esse, nec M. Læcam, præclaram sedem atque officinam teterrimæ coniurationis, nec ipsum detestabile caput atque obscœnum artificem Catilinam. Cumque hæc omnia constent, animadvertendum est, pariter uno maleficii genere Catilinam non modo Deos ac patriam, verum etiam mores, leges, consuetudinem urbis atque instituta maiorum violasse.

XIX. Primum XII. tabulis cautum esse cognoscimus, NE QUIS IN URBE COETUS NOCTURNOS AGITARIT: deinde lege Gabinia promulgatum esse, QUI COITIONES ULLAS CLANDESTINAS IN URBE CONFLAVISSET, MORE MAIORUM CAPITALI SUPPLICIO MULTARETUR. De te itaque Catilina sciscitor, tune cœtus istos commilitonum tuorum contra præcepta XII. tabularum, contra leges nostras, contra senatus ac plebis auctoritatem, noctu cogendos esse putavisti? Deinde quæro, si quando in lucem sepulchrales istæ conciunculæ tuæ prodiissent, quid responsurus fuisses senatui, quid consulibus aut quid viris optimis atque amantissimis

patriæ? Quid leges igitur nostras violas, Catilina? quid senatus auctoritati contradicis? Aequum est, instituta maiorum atque edicta gravissimi sanctissimique ordinis quia perstringere vesania tua non es veritus, ea restituas ac sarcias supplicii tui memorabili animadversione.

XX. Manlius Torquatus filium suum, summa et singulari virtute adolescentem, quod is in hostem contra mandatum patrium dimicasset, victorem percuti securi iussit: nos te tam temerario ausu tendentem contra mandata senatus, contra universæ Romanæ rei publicæ maiestatem Catilinam perferemus? Maiores olim nostri, sapientissimi homines et sine dubio gravissimi, num leges e Græcia per legatos suos accersendas esse putaverunt, quibus hanc imperii magnitudinem perpetuo stabilirent, ut tu homo recens severitate illarum cum barbatulis tuis abutereris? Non ita visum Carthaginiensibus accepimus in Hannone suo morti condemnando, fortissimo ac triumphali viro, quod is edicto senatus minus obtemperavisse putaretur. Non ita placuit Atheniensibus, urbi sine dubio doctissimæ atque eruditissimæ, cum e Sicilia belloque gravissimo revocandum esse Alcibiadem statuerunt, summum et singularem imperatorem, quem iuberent expiare supplicio suo leges violatæ religionis. Non ita denique maioribus nostris iudicatum est, cohortibus exoletorum tuorum sententia mea longe anteponendis, cum L. Sulpitium consulari familia summoque ingenio virum propter exiguam notam libidinosæ suspicionis censuerunt removendum e senatu multosque dies in vinculis habendum esse putaverunt.

XXI. Vos vero, Iudices, Catilinam non modo leges nostras atque auctoritatem senatus crudeliter labefactantem, verum etiam universos cives ad perniciem ferro flammaque devocantem impune perferetis? Iacet homo prostratus eventu maximarum molitionum: ut qui conatus suos conscientia vestra

Digitized by Google

patefactos atque illustratos cernat neque contectos fuisse seu superstitione cruenti sacramenti, seu tenebris nocturnis, seu solitudine locorum permaxima et singulari. Contundite igitur, contundite, Iudices, genus istud inauditi furoris: comprimite hominem gestientem effrænata temeritate, flagrantem inusitatis cupiditatibus, furentem incredibili superbia, spe novandarum rerum mirabiliter inflammatum: quin etiam rem ipsam publicam non modo eventu crudelissimæ calamitatis, verum etiam metu ac suspicione liberate.

XXII. Diximus equidem sufficienter de senatoria simultate Lucii Catilinæ, capite ac fonte sceleratæ coniurationis resque omnes complexi sumus, quas aluisse furorem illum ac primum excitavisse iudicavimus. Nunc videndum est de ratione ambitionis teterrima atque exitiabili, qua deflagravisse perpetuo Catilinam superiori divisione demonstravimus. Cupiditates equidem plurimas in illo monstro calamitosas ac nefarias omnes persæpe, iudices, animadverti: libidinem unam perniciosissimam in primis conspicere visus sum temerariæ cuiusdam atque inconsideratæ ambitionis: qua duce properasse nec ullo studio unquam consciscendarum opum nec ullo desiderio dignitatum abstinuisse reputatus est. Putabat enim se frustra nobilissimo genere natum, frustra virtutes eximias corporis atque animi consecutum fuisse, ni omnia divina atque humana truculentissimo genere cupiditatis inquinavisset, quosque cernebat excellere Romæ præstantia quadam dignitatis, beatissimos eos esse et sine dubio Diis æquiparandos fore arbitrabatur.

XXIII. Id genus vesanæ cogitationis hominem suapte natura præcipitem atque inconsideratum compulit in abominandas ac nefarias vitæ cupiditates, isque nuper comitiis consularibus (quando quidem suffragia curiæ propter impendentem metum Parthici belli diligenter enucleata sunt) quas non adiit

Digitized by Google

senatorum voces, aut quos civium consessus partim pecunia partim obsecrationibus non obeundos suppliciter ac contaminandos esse iudicavit? nulli tamen ad dignitatem gradus neque insanienti neque anhelanti bono candidato patuerunt. Eadem ratio sceleratæ libidinis illum ad maiorem vim scelerum paulo ante concitaverat. Pisonem meministis, egregia virtute adolescentem, nisi et idem cupiditatibus obtemperare consuevisset, calamitosam sibi ac multis in urbe seditionem excitasse: cuius insigni familiaritate atque amicitia Catilinam usum fuisse, nemo est qui nesciat: nec modo coniunxisse se temerario iuveni, verum etiam illum de successu rerum suarum non mediocriter trepidantem in audacia simul ac sententia confirmasse, cum se illi vigilantissimum socium ac satellitem fidissimum regendæ gubernandæque coniurationis fore polliceretur.

XXIV. Quod si votis sceleratorum hominum successus aspirassent, quanta strage civium creditis aut quanto diluvio facultatum urbanarum ruituram fuisse detestabilem horum atque execrandam impietatem? Verum ii cælites, quorum auspiciis princeps ac parens huius urbis Romulus pulcherrimi imperii Romani fundamenta iecit, tristissimam cladem ac conatus perditos nece adolescentis interceperunt. Pisone mortuo conquievisse Catilinam dicemus aut incepti temerarii pœnituisse? Non pœnituit modo nec requiescendum fuisse arbitratus est, sed rursus alii furori accessit. Non consueverat animus perpetuis cupiditatum flagitiis exercitatus prima destitutione fortunæ refrigescere ac consternari: sed vix sepulta memoria Pisonianæ coniurationis, L. adeptus est Sidicinum, potentissimum quidem hominem ac tunc furentem singulari studio rerum novandarum. Verum ea fax incendii rursum benignitate Deorum immortalium summaque virtute consulum restincta est. Non obdormiscit tamen Catilina, bis destitutus

Digitized by Google

eventu vigiliarum suarum, sed rursum sævit immanior: et quam rem publicam servitio non potuerat obruere, destrangulandam penitus ac tollendam cogitavit, sceleratus in omnem urbem, quam toties insidiis appetivisset: sceleratissimus vero in patriam, cuius extant in illum summa et commemoranda monumenta beneficiorum.

XXV. Reminiscere quæso, Catilina, reminiscere ferrum illud scelestum atque illas nefarias faces, quas istis sanctissimis Penatibus atque isti pulcherrimæ patriæ minitaris, non ad oppugnandam urbem neque ad eam concremandam tibi datas fuisse, sed potius ad salutem civium, dignitatem imperii libertatisque nostræ defensionem. Per Deos immortales oro te Catilina, si patria tecum his vocibus uteretur, quid esses illi, quæso, responsurus? Ego te parvulum Catilina, cum in primis ornatissimo genere gentis nasci voluissem, deinde summis dotibus exornassem tum corporis tum animi, duabus tum rebus instituendum putavi, ferro ac flamma, quibus esset parata tibi facultas tum amplificandi imperii mei, tum defendendæ publicæ libertatis: quid eam vim armorum in viscera nostra torques? aut quid convertis in exitium civium meorum institutam diligentia mea meisque rationibus eruditam dimicandi facultatem? Maiores contra tui summis a me beneficiis atque honoribus aucti pro magnitudine susceptarum dignitatum pulcherrimas in urbe sæpenumero leges, pro præstantia beneficiorum clarissimas ex hostibus victorias referre consuerunt; tu mihi luctus acerbissimos paras pro summa copia beneficiorum meorum, tu cædes civium, tu domorum incendia, tu vexationes virginum, tu vastitatem urbis, tu genus atrocissimæ servitutis. O crudelissimum hominum genus et ab omni penitus humanitate derelictum, tu studio flagras eius urbis evertendæ, quam nec Carthaginiensium astutissimi doli, nec Numantinorum eximiæ vires, nec Græcorum erudita et

præclara ingenia labefactare potuerunt. Quod si citentur hi populi rursum divinitus, atque istæ urbes redeant in statum vetustissimæ dignitatis, certe non ipso scelere tuo quicquam in me crudelius nec quicquam magis extimescendum molituras fuisse prædicabunt. Sed ad te redeo.

XXVI. Temperarem ego memet mihi cursumque istum violentæ orationis forsan revocandum esse iudicarem tum ab odio tuo, tum ab ipsa dicendi acerbitate, si quem in te sensum patriæ caritatis aspicerem, aut ullo te puncto posse arbitrarer sceleratam istam mentem relinquere. Sed id genus est cupiditatum tuarum, ut restinguendarum forsan rationem aliquam consequi possis, sanandarum nullam: nec te prius amissurum perversitatem istam animi puto, quam vitam amiseris. Vellem revivisceres, Ahala Servili! non expectaremus sententiam iudicum, neque abuti maiestate senatus atque auctoritate populi Romani, sed magnitudinem tanti flagitii sanguine tuo statim expiavisses. Nam de senatus voluntate nihil ambigimus; modo non impediretur legibus, repente profecto fueras pœnas impietatis tuæ dignissimas laturus. Utinam Deorum immortalium munere, Iudices, mentem atque animum huius introspiceremus, ne qua vobis fieret puniendi dubitatio, qui tantum scelerum ingenio conflavisset. Videretis enim mentem anhelantem tristissimum genus minarum, mentem debacchantem inaudita feritate, furentem incredibili vesania, sitientem cruoris urbani, prædæ avidissimam, vobis atque omnibus ferro flammaque minitantem.

XXVII. Catilinam vobis demonstravimus, Iudices, irritatum persæpe repulsis comitialibus, nullas vocum aut suffragiorum corruptelas fuisse prætergressum, deinde nullis rationibus infractum ac perterritum de perseverantia scelerum suorum exstitisse: quibus animadvertere sane potestis, quanta semper immanitate laboraverit ambitionis. Superest novissima pars

Digitized by Google

divisionis, grex ipse sodalium Catilinæ truculentus atque amens: cuius in manu non exiguam rationem fuisse diximus excitandæ coniurationis. Lentulus siquidem et Cethegus, terribilia portenta nostræ civitatis furiæque vel certissimæ populi Romani, multa de magnitudine sua in ipsis concionibus, multa de dignitate imperii sui futuri palam prædicare consueverunt, tanquam si Deorum immortalium concilio interfuissent.

XXVIII. Primum Lentulus in libris Sibyllinis nescio quid se perspexisse prædicabat, quod viri acutissimi atque peritissimi, L. Cornelius ac Cn. Piso, custodes publicarum cæremoniarum, nequaquam prospicere potuerunt. Lucem namque ait nescio quam de domo Cornelia quondam prodituram fore, quæ gloria nominis sui Romanum imperium simul et complexura sit et illustratura: eoque genere vaticinii dignitatem suam portendi fataliter putavit planeque opinatur fati sui rationem in ipsa latebra Sibyllinæ divinationis, tanquam in equo Troiano, delitescentem. Ego vero Sibyllam sine dubio sapientissimam mulierem fuisse iudico, visamque idoneam Diis immortalibus, cui singularem quandam vim divinandi concederent: verum illam deliram penitus ac prorsus cæcam fuisse affirmarem, si quam spem dignitatis in hac crudelissima peste reposuisset. Si quid tamen cecinisse visa est, quod ad Corneliam gentem pertinere videretur, vim omnem illius divinationis in uno L. Sylla consumptam fuisse iudicemus, cuius paulo ante res publica sensit et crudelissimam simul et amplissimam potestatem. Nec ego Deos immortales huic imperio tam infestos esse reor neque a salute populi Romani tam abhorrentes, ut homini dementissimo regnum concederent huius sanctissimæ atque optimæ civitatis. Syllam profecto crudelitas vicit: at ipse maximarum laudem virtutum et rei militaris summam ac singularem gloriam consecutus est. Lentulum vero nullæ victoriæ nostræ civitati, nullum studium armorum,

nulla præstantia virtutis aut ingenii commendavit. Quæ vero non tabernæ potius aut qui non greges infamium hominum Sibyllinum istum principem concelebrarunt? nam vitam eius commemorare non est necesse, versatam semper in obeundis libidinibus ac societate turpissimorum hominum nobilitatam: nihil in eo sanguinis aviti, nihil industriæ Romanæ, nihil splendoris domestici, nihil avitæ frugalitatis.

XXIX. Fingite vobis, Iudices, fingite dignitatem huius hominis, tum florentem amplissimo magistratu, tum omnibus populi Romani muneribus exornatam: quantum quæso sanguinis civilis in foro, in curia redundaturum esse creditis? aut quantam vim libidinis atque impudicitiæ per omnium civium cubicula demanaturam? profecto dignitate fretus ea, quæ privatus concupivisset, sine dubio consequeretur: ferreretur amens in omnia, nec ullæ rationes consiliorum aut pudoris nec ulla studia humanitatis refrenarent præcipitem atque incitatum cursum vetustæ crudelitatis. Cethegus inferior nobilitate atque ingenio, vehementia furoris longe immanior, parum a Lentuli somnio discedere visus est. Verum insaniam levissimæ opinionis modestiore loquendi ratione contegere velle videtur: genus est idem tamen furoris eademque ratio concelebratæ divinationis. Tales hi scelerum artifices amboque concitati ad evertendam rem publicam, partim a vesana spe vaticinii commemorati, partim a nefaria scelerum assiduitate, Catilinam offenderunt novis rebus studentem, cuius præsidio consilioque cupiditates suas ita iuvari posse facillime crediderunt, si viro sociorum copiosissimo sese coniunxissent.

XXX. Est enim in illo monstro, sicuti paulo ante tetigimus, vis eximia facetiarum et ratio quædam adumbrata virtutum, facilis ad comprehendendum omnium hominum familiaritates. Hunc igitur Catilinam adepti Cethegus et Lentulus, et ipsi lenociniis suis insignes ad omne genus benevolentiæ

Digitized by Google

subeundum, deflagrare cœperunt admirabili quadam cupiditate seu diripiendæ urbis seu potiendæ dominationis. Hæ sunt, Iudices, huius nefarii facinoris abominandæ faces, hi sunt crudeles igniculi, quibus exarsisse Catilinæ ferocem animum facillime credendum est. Talibus initiis consociati principes nefandæ coniurationis manum exiguam desperatorum hominum atque obscœnæ iuventutis pedetentim coegerunt: coactam, quid vellent, edocuerunt: edoctam pari cupiditate sceleris inflammaverunt: inflammatam denique pepulerunt, ut in omnium nostrum facultates ac vitam facillime conspirarent.

XXXI. Furias istas audistis, Iudices, commodissimas ac paratas non modo ad vivos commovendos in omne facinus, verum etiam ad mortuos ex ipso Erebo mediisque bustis excitandos. Reperti sunt tamen atrocissimi sceleris patroni, quique immanitatem detestandæ rei tum contegere verbis tum excusare conati sunt. L. Hortensius, vir eximia caritate rei publicæ summisque ornamentis præditus et scientiæ et moderationis, nequaquam omnia credenda esse dicit iubetque gravissimis hominibus facilitatem iudiciorum diligenter esse continendam. Primum affirmat Catilinam in perpetua custodia senatus extitisse: denique nunquam ferme discessisse a latere Publii Cæpionis, nobilissimi civis atque integerrimi viri, ita ut lepide dicat, *disseparationi eorum neque solem orientem unquam neque occidentem intervenisse.*

XXXII. Credo equidem sapientissimum hominem Hortensium, ut est innocentia singulari summaque virtute, cuncta ipsa, quæ gravissime simul atque ornatissime complexus est, ita vera esse, sicuti dixerit, existimare: sed longe graditur a sententia mea. Quæro igitur de te, L. Hortensi, teque obtestor atque obsecro per ipsum ius vetustissimæ nostræ familiaritatis, si L. Catilinam constat dies omnes, omnium civium conscientia, sive in foro sive in turmis agere, nunc stipatum

catervis exoletorum suorum, nunc vero gladiatoriis agminibus per ora vulgi palam obvolitare: si manifestum est noctes omnes aut in lustris scortorum aut in antris M. Læcæ ducere, viri tuo iudicio non abhorrentis a rei publicæ caritate: quid est quod illum obversatum dicas in perpetua custodia atque oculis senatorum? nisi forte custodiam senatoriam vocas vel exiguam moram in ipsius curiæ conciliis obeundis.

XXXIII. Quod vero pertinet ad ipsius Cæpionis familiaritatem assiduam benevolentiamque singularem, nihil est quod insimulationi nostræ derogandum esse iudicetis. Diximus enim superius ingenii Catilinæ miros atque occultissimos esse recessus, nec qui cognosci seu perlustrari facillime possent. Vigent enim in illa clade res diversissimæ pariter, continentia et libido. Nihil illo persæpe affixius ad colenda bonorum consortia, nihil sollertius ad illis insidiandum; nihil illius munificentia insignius, nihil avidius rapacitate; nihil acutius consilio, nihil temeritate contemptibilius. Quæ cum ita sint, Cæpionem admirabimur in tantis viarum ambagibus erravisse? Me, me, inquam, fateor, Iudices, vetustissima quadam familiaritate Catilinæ coniunctum, persæpe deliravisse miris perplexionibus illius, neque umquam certi quicquam in illo ingenio comprehendere potuisse. Nihil igitur erit miri, si virum integerrimum Cæpionem versutissimi hominis doli atque inconstantissimi mores fefellerunt.

XXXIV. Non erit itaque neque prudentiæ tuæ neque gravitatis, Hortensi, candidissimam opem humanitatis tuæ summamque dicendi copiam sontibus ipsis polliceri: aut quam bestiam irretitam iudicio tenemus, dissolutam atque exultantem rei publicæ immittere. Quod te numquam commissurum fuisse arbitrarer, nisi qui me mores, iidem te Catilinæ sine dubio fefellerunt. Satis ostentatas vobis putamus, Iudices, tum rationes periculi nostri, tum huius immanissimi sceleris atrocitatem.

Digitized by Google

Nam si odio senatus quam maximo Catilinam arsisse demonstravimus: si rationes vitæ suæ veteres ac novas in exercitatione teterrimarum libidinum collocatas: si spem perficiendi sceleris homini prosequentissimo inimicitiarum: si denique locorum ac temporis opportunitates extitisse: præterea si rabiem quandam ambitionis in illo fuisse diximus: si nullam potestatem refrenandarum libidinum aut ullum pœnitentiæ locum: postremo, si copiam innumerabilem desperatæ iuventutis cum illo coniunctam fuisse patefecimus, et eam simul ostendimus suopte ingenio furentem incredibili audacia summaque cupiditate prodendæ ac vexandæ urbis inflammatam: quid erit, Iudices, quod dubitetis de liberanda patria deque ulciscenda crudelissimi sceleris immanitate? Novistis enim facinus inauditum omnium hominum memoria, facinus atrox, superbum, nefarium, perniciosum, remotissimum ab omni humanitate, natura, lege, consuetudine: cuius acerbitatem si minus animo bene perspexistis, quæso mecum diligenter attendite.

XXXV. Scelus illud, Iudices, eversionem nefariam moliebatur amplissimæ nostræ dignitatis, interitum crudelissimum senatorii ordinis, cædem communem omnium bonorum: huius sceleris libido reposita erat in diripiendis omnium civium facultatibus atque opprimenda urbis libertate: huic sceleri parabantur teterrimæ coniugum ac liberorum nostrorum vexationes: in hoc scelere versabantur denique faces inferendæ Penatibus nostris, expilationes ædium, stupra virginum Vestalium, luctus ac moeror miserabilis universæ civitatis. Quæ si vobis, ut sunt, indigna atque intolerabilia videntur, non iniquum erit auctores horum malorum multare teterrimis suppliciis, clademque omnium crudelissimam e visceribus rei publicæ propulsare. Tenetis exempla maiorum atque omnium gentium auctoritatem, qui semper summas et singulares pœnas in eo genere hominum consumendas esse putaverunt, qui rationem habuissent aut

prodendæ patriæ aut opprimendæ publicæ libertatis. Nihil igitur erit impedimento, quin audaciam crudelissimi hominis Catilinæ crudelissimo genere suppliciorum expietis, et ultionem ex illorum cruciatibus ac pœnis capiat res publica, quorum erat conflagratura manibus, nisi sanctissimi imperii Romani custodes ac vindices Dii immortales nefariis votis obstitissent.

XXXVI. Credite, Iudices, hodierno die consurrexisse universam urbem conspecturam ex iudicio vestro planeque animadversuram, quid in posterum de salute sua deque facultatibus suis sperandum sit. Credite item vim universam flagitiosæ iuventutis aut hodierno Catilinæ supplicio simul conficiendam fore, aut illius liberatione lætam atque exultantem non multo post in omnium nostrum perniciem una cum illo celerrime consurrecturam. Agitur siquidem hodierna vestra sententia de salute huius pulcherrimæ atque optimæ civitatis, de stabilitate imperii Romani, de legum incolumitate, de libertate civium, de pudicitia liberorum ac coniugum vestrarum. Huius enim pestis idem scelus erat, ut non grassaturum per capita paucorum, sed tanquam atrocissima vis veneni per omne corpus Urbis demanaturum. Quod scelus aut quam pestem si vindicandum esse censebitis, ut reor et res publica desiderat, putate profecto Deos immortales et in primis Capitolinum Iovem, sempiternum custodem ac vindicem huius imperii, pro liberatis eorum templis ac ceremoniis gratias vobis amplissimas esse reddituros: putate pariter idem facturam esse curiam pro defensa consulum vita servataque senatorii ordinis dignitate: putate matronas Urbis ac liberos nostros ob servatam pudicitiam supplices ac congratulantes universos ad genua vestra sese obversaturos fore: putate virgines Vestales atque ipsam maiestatem amplissimi numinis ob liberationem suam summa vobis lætitia congratulaturam: putate denique cives omnes ob retentam vitam ac libertatem suam, Penates publicos pro conserva-

Digitized by Google

tis focis atque aris, parietes Urbis pro propulsato teterrimo genere vastitatis ferme incredibili gaudio exultaturos: putate tandem hodierno iudicio paratum esse vobis aut immortale dedecus aut memoriam nominis sempiternam.

XXXVII. Multa sunt equidem in hac vita, quæ turpiter ac calamitose neglecta restitutionem tamen quodammodo patiantur: huius vero vindicandi sceleris si præsentem facultatem neglexeritis, frustra postea recuperandæ copiam quæretis. Aut hodie vobis propulsanda est e visceribus rei publicæ pestifera vis calamitatis, aut ipsi patriæ sine dubio concidendum: utrum eligendum sit, vos videritis. Quid? estis, Iudices, humanitate tanta, ne secordia dicam, ut eorum vitam ac spiritum diutius in re publica commorari patiamini, qui vitæ salutique civium crudeliter insidiati sunt? Præponite vobis ante oculos ac meditatione crebra revolvite diem illum nefarium, quo salus omnium civium, quo facultates nostræ, quo res ipsa publica peritura fuerat: quando scilicet aspexissemus bestias istas emissas carceribus per urbem omnem, per domos nostras furialiter exultantes, ipsumque in primis miserandi facinoris ducem ac principem Catilinam, confirmatum hoc iudicio, spe plenum, lætitia gestientem: nunc hos ad cædem nostram, nunc illos ad rapinam atque inflammationem ædium devocantem. Coniuges e complexibus nostris ad libidinem victorum raptæ fuissent, liberi ad stupra de gremiis parentum extorti, pretiosa suppellex asportata, tecta conflagrassent ignibus, corpora cæsa passim iacuissent, omnia denique gemitu fletuque redundassent. Hæc fuisset imago miserrimæ urbis, quam urbem a maioribus nostris florentissimam accepimus, et, si prohibueritis, claram atque excellentem posteris nostris trahituri sumus.

XXXVIII. Per humanitatem denique vestram vos obtestor atque obsecro, Iudices, per amorem huius pulcherrimæ atque

invictissimæ urbis, per omnia quæ vobis iocundissima sunt in vita, providete iterum atque iterum, ne liberati quondam tot amplissimis bellorum periculis, tot imminentibus malis erepti, nunc per ignaviam nostram ac desidiam periclitemur. Eripite vitam civium a miseranda crudelitate, prohibete Penates nostros a nefariis ignibus, servate pudicitiam necessitudinum nostrarum a teterrimis vexationibus, liberate templa Deorum a tristibus rapinis, subtrahite fortunas publicas ab indigna direptione, protegite magistratus nostros ab inaudita feritate, defendite denique universam urbem ab hoc inusitato prorsus et tristissimo genere calamitatis.

Digitized by Google

FRAGMENTA EX LIBRIS HISTORIARUM G. SALUSTII CRISPI.

LIBER I.

Brevis argumenti expositio. Priorum historicorum recensio; quid auctor ipse secutus sit? exponitur de statu rei publicæ, de seditionum causis, de Gracchis. Marii Sullæque inimicitiæ, bellum sociale. Cinnanus tumultus, primum bellum civile, proscriptiones; novus discordiarum auctor Lepidus, eius concio; propugnator optimatium Catulus; fœdus cum Gaditanis iunctum; Sullæ mors et de eius moribus iudicium. Lepidus in Etruria bellum parat, exercitum urbi admovet. Pompeius Brutum Mutinæ obsessum tenet; studia partium suscitantur; gravis Philippi in senatu oratio; Lepidus ad Cosam victus Italia cedit. Comitia consularia, Servilius proc. in Ciliciam profectus piratas vincit. Appius Macedoniam provinciam sortitus, parum prospere bellum gerit. Gravis senatus cura ob bellum atrocissimum in Hispania a Sertorio concitatum. Eius ingenium et res antea in Africa et Hispania gestæ. Hispanorum mores et in Sertorium studia. Res a Metello eiusque legatis in Hispania gestæ.

1. Res populi Romani M. Lepido, Q. Catulo Coss. ac deinde militiæ et domi gestas composui. 2. Maxumis ducibus, fortibus strenuisque ministris. 3. Cato Romani generis disertissumus paucis absolvit. 4. Nos in tanta doctissumorum hominum copia. 5. Recens scripsi. 6. Neque me divorsa pars in civilibus armis movit a vero. 7. Magis cum cura dicendum. 8. Nobis primæ dissensiones vitio humani ingenii evenere, quod inquies atque indomitum semper in certamine libertatis aut gloriæ aut dominationis agit. 9. Nam a primordio urbis ad bellum Persi Macedonicum. 10. Res Romana plurimum imperio valuit Ser. Sulpicio et M. Marcello

1. Rufin. de comp. et metr. oratorum p. 355. Ed. Caper. Prisc. 15. 2. 616. 15. 3. 623. Ed. Kr. 2. Diomed. 2. p. 442. Ed. Putsch. 3. Mar. Fab. Victorin. in Rhet. Cic. p. 57. Ed. Orelli. „Ut Sallustius sibi omnia in Catilina tribuit: *quam verissime potero paucis absolvam* cum aliis historiographis singula tradidisset in libro primo historiarum, Catoni brevitatem: *Romani generis disertissumus paucis absolvit*, Fannio vero veritatem.“ Schol. ad Hor. Satir. 1. 10. 9. Serv. ad Aen. 1. 96. Victor. l. l. 4. Serv. ad Aen. 4. 213. 2, 89. 5. Char. p. 192. 6. Arrus. p. 248. Ed. Lind. 7. Sen. de Ben. 4. 1. „nihil esse tam necessarium aut magis, ut ait Salustius, cum cura dicendum, quam quod in manibus est.“ 8. Prisc. 5. 4. 183. *nobis nuper* Cod. S. Mart. Lov. idem et Cod. Thosan. *agitur*. 9. Prisc. 17. 21. 85. 14. 2. 589. Prob. Cath. 1468. Charis. p. 52. Serv. Aen. VIII. 383. 10. Victorin. in 1. Rhet. Cic. p. 5. Or. Serv. ad Aen. 8. 540. Augustin. Civ. D. 2. 18. Non. Marc. 92. 3. Amm. Marc. Edit. Gronov. 15. 13. sub fin. Serv. Aen. VI. 539 legit: *inter secundum atque ultimum bellum*. Victorinus: *nisi quæ a paludibus* Non. p. 92 Ed. Merc. *nisi qua paludibus invia fuit;* apud Ammian. Marc. XV. 12 fin: „nam omnes Galliæ, nisi qua paludibus inviæ fuere, ut Salustio docetur auctore, post decennalis belli mutuas clades subegit Cæsar societatique nostræ fœderibus iunxit æternis.“ Victorinus post verbum *perdomita* addit: „Hic bellum geritur: deinde pacem memorat consecutam.“ *Optumis autem etc.*

Digitized by Google

Coss., omni Gallia cis Rhenum atque inter mare nostrum atque Oceanum, nisi qua paludibus invia fuit, perdomita. Optumis autem moribus et maxuma concordia egit populus Romanus inter secundum atque postremum bellum Carthaginiense. 11. At discordia et avaritia atque ambitio et cetera secundis rebus oriri sueta mala post Carthaginis excidium maxume aucta sunt. Nam iniuriæ validiorum et ob eas discessio plebis a patribus aliæque dissensiones domi fuere iam inde a principio; neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est, æquo et modesto iure agitatum; dein servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere, agro pellere et ceteris expertibus soli in imperio agere. Quibus sævitiis et maxume fœneris onere oppressa plebes, cum assiduis bellis tributum simul et militiam toleraret, armata montem Sacrum atque Aventinum insedit; tumque tribunos plebis et alia sibi iura paravit. Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum. 12. Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit, plurimæ turbæ, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt, dum pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebis nomine dominationes adfectabant, bonique et mali cives adpellati non ob merita in rem publicam, omnibus pariter corruptis, sed uti quisque locupletissumus et iniuria validior, quia præsentia defendebat, pro bono ducebatur. Ex quo tempore maiorum mores non paulatim ut antea,

11. August. Civ. Dei 2. 18. et 5. 12. sed posteriore loco multa depravata sunt. *iniuria validiorum* legit Serv. ad Georg. 4. 238. cfr. Arrus. s. v. *insedit.* Diomed. p. 439. Serv. ad Aen. 8. 479. Donat. ad Andr. 1. 1. 9. qui pauca verba huius loci laudant. 12. Aul. Gell. 9. 12. Aug. C. D. 2. 18. et 3. 17. *gratiam* Arrus. s. v. *concesserant. gratia* cett.

sed torrentis modo præcipitati: adeo iuventus luxu atque avaritia corrupta est, uti merito dicatur, genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiaris neque alios pati. 13. A Graccho seditiones graves cœpere. 14. Quæ causa fuerat novandis rebus. 15. Cum aræ et alia diis sacrata supplicum sanguine fœdarentur. 16. Tantum antiquitatis curæque maioribus pro Italica gente fuit. 17. Tyrannumque et Cinnam appellans. 18. Bellum quibus posset condicionibus desineret. 19. Quis rebus Sulla suspectis maximeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi. 20. Cuius advorsa voluntate colloquio militibus permisso corruptio facta paucorum et exercitus Sullæ datus est. 21. Non repugnantibus modo sed ne deditis quidem, a. b. c. m. *(atrocis belli clades metuentibus.)* 22. Apud Præneste locatus. 23. Et Marius victus duplicaverat bellum. 24. Atque omnis Italia animis discessit. 25. Ut in M. Mario, cui fracta prius crura, brachia, oculi effossi, scilicet ut per singula membra expiraret. [Marius, cui fracta prius crura, per artus expiraret.] 26. Carbo turpi formidine Italiam atque

13. Augustin. Civ. D. 2. 21. 14. Serv. ad Aen. 4. 290. 15. Serv. ad Aen. 2. 502. 16. Serv. ad Georg. 2. 209. 17. Serv. ad Aen. 1. 5. 4. 215. 18. Serv. ad Eclog. 5. 19. 19. Arrus. p. 241. s. v. *in temp.* Don. ad Terent. Phorm. II. 4. 24. 20. Don. ad Ter. Eunuch. 3. 2. 13. 21. Don. ad Phorm. 1. 2. 48. 22. Prisc. 15. 2. 618. 23. Serv. ad Virg. Eclog. 2. 67. 24. Schol. ad Luc. Pharsal. 3. 632. *animis* Mss. schol. ad VI. 34. etc. ubi scriptum: *discessit animis.* 25. Cfr. Schol. Lucani II. 173. [Luctatio Catulo] Cum Marius Gratidianus diceret se non evasurum, fumo se calcis occidit et sic fugit inimicos. Postea Catuli filius, regressus victor ex Asia, petivit a Sulla, ut sibi Marius daretur ad pœnam, quem datum per singula membra cruciavit, ut ait Sallustius in Iugurthino: Marius, cui fracta prius crura, brachia, et oculi effossi, scilicet ut per singula membra expiraret. Iul. Rufin. de schemat. dianœas p. 52. Ed. Cap. *cui fracta prius crura artus e.* præpos. ante *artus* omittit. 26. Serv. ad Aen. 2. 400.

Digitized by Google

exercitum deseruit. 27. Simulans sibi alvum purgari. 28. Ucurbis. 29. Id bellum excitabat metus Pompei victoris, Hiempsalem in regnum restituentis. 30. Nihil esse de re publica neque libertati populi Romani pactum. 31. Quo patefactum est, rem publicam prædæ non libertati repetitam. 32. Omnium partium decus in mercedem corruptum erat. 33. Et relatus inconditæ olim vitæ mos, ut omne ius in validioribus esset. 34. Igitur venditis proscriptorum bonis aut dilargitis. 35. Neque est offensus dominationem Sullæ. 36. Nam Sullæ dominationem queri non audebat. 37. De præfecto urbis quasi possessio rei publicæ magna utrimque vi contendebatur. 38. Sane bonus ea tempestate contra pericula et ambitionem. 39. Sanctus aliter et ingenio validus. [Sanctus alia.] 40. Inter arma civilia æqui boni famas petit.

41. Mox tanta flagitia in tali viro pudet dicere. 42. Multos tamen ab adulescentia bonos insultaverat. 43. Advorsus ille nobilitatis. 44. Togam paludamento mutavit. Exercitum argento fecit. 45. Quæ pecunia ad Hispaniense bellum Me-

27. Isid. 11. 1. Serv. ad Aen. 2. 19. 28. Prob. Cath. 1462. Lind. p. 120. 29. Aul. Gell. 9. 12. *ad bellum* Non. Marc. 140. 29. 30. Arrus. p. 251. s. v. *pact.* 31. Ar. p. 259. s. v. *rep.* 32. Ar. p. 240. s. v. *in* 33. Arrus. s. v. *in.* Schol. Luc. Pharsal. 1. 175. ubi *in viribus* scriptum. 34. Aul. Gell. 15. 13. Prisc. 8. 5. 377. 35. Don. ad Ter. Phorm. 2. 3. 24. alii *dominationum,* alii *defessus* emendant, in Cod. est *dominationem.* 36. Ar. p. 257. Don. l. l. sed is *queri* om. 37. Arrus. p. 252. s. v. *præfectus.* in Cod. est: *quasi possessio.* Lind. *possessore* coniecit. 38. Serv. ad Aen. 1. 195. 39. Charis. p. 175. Serv. ad Aen. 3. 594. *sanctus aliter* et *sanctus alia* videtur idem locus esse. 40. Sen. Ep. 114. 41. Schol. Gronovianus Ed. Orelli p. 434. 42. Don. ad Eun. 2. 2. 54. Serv. ad Aen. 10. 643. posteriore loco *tamen* omissum. idem ad 9. 634. *a pueritia* habet. *insultavit* Don. *insultaverat* Serv. ad Aen. x. 643. ix. 634. „Salustius de Philippo." 43. Arr. p. 211. s. v. *adv.* 44. Isid. 19. 24. Schol. Iuv. 6. 401. Seneca Epp. 114. 45. Don.

tello facta erat. 46. Et Metello procul agente longa spes auxiliorum. 47. Etruria omnis cum Lepido suspecta in tumultum erat. 48. Tum vero Etrusci cum ceteris eiusdem causæ ducem se nactos rati, maxumo gaudio bellum irritare. 49. Vacuam istam urbem hominibus militari ætate. 50. Quietam a bellis civitatem. 51. Uti Lepidus et Catulus decretis exercitibus maturrime proficiscerentur. 52. Lepidum pœnitentem consilii. 53. Insanum aliter sua sententia atque aliarum mulierum. 54. Postremo ipsos colonos per miserias et incerta Romani generis orare. 55. Cosa. 56. Magna vis hominum convenerat agris pulsa aut civitate eiecta. 57. Et ei voce magna gratulabantur. 58. Quin lenones et vinarii laniique, quorum præterea volgus in dies usum habet, pretio compositi. 59. Philippus, qui ætate et consilio ceteros anteibat.

60. Magnis operibus perfectis obsidium cœpit per L. Catilinam legatum. 61. Curionem quæsivit, uti adulescentior et a populi suffragiis integer ætati concederet Mamerci. 62. Sic vero quasi formidine adtonitus neque animo neque auribus aut lingua competere. 63. Neque animo neque lingua satis com-

ad Phorm. 1. 1. 4. 46. Serv. ad Aen. 11. 544. 47. Arr. p. 240. s. v. *in illam.* rem. 48. Non. Marc. 31. Merc. *tunc vero et posci* lect. Cod. *Etrusci* cj. Merc. *Volsci* vulg. cfr. Arrus. p. 241. s. v. *inr.* et Lind. ad h. l. 49. Arr. p. 265. *istam urbibus* lectio; *urbem hominibus* coniecit Lind. 50. Arr. p. 257. s. v. *quietus.* 51. Char. p. 184. 52. idem p. 224. 53. idem 175. 54. Serv. ad Aen. 10. 45. 55. Serv. ad Aen. 10. 168. 56. Serv. ad Aen. 1. 270. 57. Don. ad Andr. 5. 4. 36. 58. Non. Marc. 264 Merc. Charis. p. 58. ubi *lenones* omissum. 59. Serv. ad Aen. 9. 246. 60. Fest. p. 192. Lind. 61. Prisc. 10. 8. 505. *a pop.* Cod. Lips. 1. Erl. 2. Heidelb. ap. Krehl. 62. Non. 276. 17. 63. Don. ad Ter. Adelph. 3. 2. 12. „Salustius cum de amente Septimio loqueretur“ in antiqua editione *competere,* ap. West. *compotem* et recte quidem; lectio enim *compotem* necessaria est, quippe quæ laudetur ad auctoritatem dictionis *compotem animi* confirmandam.

Digitized by Google

potem. 64. Nisi cum ira belli desenuisset. 65. Maturaverunt exercitum Durrachium cogere. 66. Itaque Servilius ægrotum Tarenti collegam prior transgressus. 67. Ad Corycum. 68. Idem fecere Octavius et Q. Cæpio sine gravi cuiusquam expectatione, neque sane ambiti publice. 69. Festinantibus in summa inopia patribus. 70. Post defectionem sociorum et Latii. 71. Ergo senati decreto serviundumne sit. 72. Prudens omnium, quæ senatus censuerat. 73. Qui liberis eius avunculus erat. 74. Nihil ob tantam mercedem sibi abnituros. 75. Ex insolentia avidus male faciundi. 76. Quippe vasta Italia rapinis, fuga, cædibus. 77. Qui nullo certo exilio vagabantur. 78. Apud Mutinam. 79. Imperii prolatandi percupidus habebatur, cetera egregius. 80. Ea paucis, quibus peritia et verum ingenium est, abnuentibus. 81. Magna gloria tribunus militum in Hispania T. Didio imperante, magno usu bello Marsico paratu militum et armorum fuit. Multaque tum ductu eius curata primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum celata sunt. Quæ eminus facie sua ostentabat, aliquot advorsis cicatricibus et effosso oculo, quo ille dehonestamento corporis maxume lætabatur, neque illis anxius, quia reliqua gloriosius retinebat. 82. Traditur fugam in longinqua Oceani agitavisse. 83. Cuius duas insulas propinquas inter se et decem stadium procul a Gadibus satis constabat

64. Prisc. 10. 3. 487. 65. Ar. s. v. *cogo* p. 218. 66. Prisc. 15. 2. 616. 67. idem 15. 2. 618. 68. Serv. ad Aen. 4. 283. 69. Don. ad Eun. 4. 3. 8. 70. Don. ad Adelph. 3. 4. 11. 71. Don. ad Andr. 2. 2. 28. 72. Ar. s. v. *prudens* 256. 73. Don. ad Phorm. 5. 6. 32. 74. Ar. s. v. *abnuo* p. 210. 75. Serv. ad Aen. 9. 343. 76. Serv. ad Aen. 8. 8. 77. Serv. ad Aen. 1. 2. 78. Prisc. 15. 2. 618. 79. Ar. p. 228. s. v. *egregius*. laudantur hæc falso ex Iugurtha, sed haud dubie ex historiis sunt petita. 80. Serv. ad Aen. 12. 694. 81. Gell. 2. 37. varietatem lectionis vide apud Lion. I. p. 251. 82. Serv. ad Aen. 2. 640. 83. *sitas* pro *satis* Carrio emendat. cfr. Acron. ad Hor.

Digitized by Google

suopte ingenio alimenta mortalibus gignere. 84. Insulas fortunatas Sal. inclutas esse ait Homeri carminibus. 85. Mauri vanum genus, ut alia Africæ, contendebant Antipodas ultra Aethiopiam cultu Persarum iustos et egregios agere. 86. Itaque Sertorius levi præsidio relicto in Mauretania nactus obscuram noctem æstu secundo furtim aut celeritate vitare prælium in transgressu conatus est. 87. Transgressos omnis recepit mons præceptus a Lusitanis. 88. Earum aliæ paululum progressæ nimio simul et incerto onere, cum pavor corpora agitaverat, deprimebantur. 89. Domitium proconsulem ex citeriore Hispania cum omnibus copiis, quas paraverat, accersivit. 90. Libertatis insueti. 91. Egregius militiæ. 92. Gens raro egressa finis suos. 93. Animi inmodicus. 94. Paucos saltum insidentis. 95. Numeroque præstans, privus ipse militiæ. 96. Et stationes sub vineas removebat. 97. Ut in ore gentibus agens, populo, civitati. 98. Illo profectus vicos castellaque

Epod. 16. 42. „Salustius in historiis tradit Sertorium victum voluisse fugere ad insulas fortunatas“ 84. Serv. ad Aen. 5. 735. 85. Prisc. 14. 4. 605. falso hæc ex Iugurtha laudat. 86. 87. Gell. N. A. 10. 26. cfr. Lion. Vol. II. p. 67. *nact.* — *sec.* vide Non. Marc. 452. 453. nomen montis Serv. habet Aen. 1. 518. sed varie scribitur: *Balleia, Palleia, Ballera, Belloia, Taleta:* nomen haud dubie corruptum; genuina scriptura in tanta Codd. discrepantia et in scriptorum silentio restitui nequit; Belona cj. Putsch. Belo mons in Bætica; fortasse mons *Bela* significatur, cuius Strabo mentionem facit. xvii. 88. A. Gell. N. A. 10. 26. fin. 89. Prisc. 10. 8. 504. 90. Ar. p. 241. 17. s. v. *insolens.* 91. idem p. 227. 92. idem l. l. s. v. *egredior.* 93. idem p. 239. s. v. *infelix.* 94. idem p. 236. s. v. *insedit.* 95. idem p. 256. s. v. *privus.* 96. idem p. 261. s. v. *sub.* 97. idem p. 243. s. v. *in ore* Don. ad Ter. Adelph. 1. 2. 13. legit: *„in ore gentibus agens, populo, civitati.“* 98. Non. Marc. 210. 12. vetus Cod. *elate*, alii *elata.* Cod. *securissimus*, alius *vetustissimus*, alius *fecustissimus*; Douza coniecit: *elato aut securo esse animo.* Serv. ad Aen. 11. 575. habet verba: *gens ad furta belli peridonea.*

Digitized by Google

incendere et fuga cultorum deserta igni vastare, neque elate aut securus a metu gentis ad furta belli peridoneæ. 99. Militiæ periti. 100. Iussu Metelli cornicines occanuerunt. 101. Nexuit catenæ modo. 102. Doctus militiam. 103. Neque se recipere aut instruere prælio quivere. 104. Equi sine rectoribus exterriti aut saucii consternantur. 105. Occupatusque collis editissimus apud Hilerdam, eum multa opera circumdat. 106. At inde nulla munitionis aut requie mora processit ad oppidum. 107. Agreste. 108. Ardebat omnis Hispania citerior. 109. Et Diponem validam urbem multos dies restantem pugnando vicit. 110. Locum editiorem, quam victoribus decebat, cepit. 111. Et mox Fufidius adveniens cum legionibus, postquam tantas asperitates, haud facilem pugnantibus vadum, cuncta hosti quam suis oportuniora videt. 112. Cum Sertorius neque erumperet, tam levi copia fugam navibus maturabat. 113. Apud Lethe oppidum, cui nomen oblivionis condiderant. 114. Repulsus a Lethe oppido. 115. Sertorius portis turbam morantibus et nullo, ut in terrore solet, gene-

99. Ar. p. 252. s. v. *peritus*. 100. Serv. Ge. 2. 384. Prisc. 10. 7. 500. Diom. p. 370. 101. Prisc. 10. 8. 505. 102. Ar. p. 223. s. v. *doct.* 103. Prisc. 10. 9. 509. 104. idem 8. 15. 419. 105. idem 15. 2. 618. et Ar. p. 219. s. v. *circumd. eum — circumdat* correxit. L. e cod Gud. vulgo: *cum multa opera circumdata.* 106. Prisc. 7. 19. 355. cfr. A. Gell. 9. 14. 107. Char. p. 79. 108. Victorin. in I. Rhet. Cic. p. 105. 109. Non. 526. varr. *et depon. et digonem. Et Hipponem vel Vigonem* cj. Putsch. *et Olyssiponem* cj. Iun. *Et Tigennam* cj. Colerus. 110. Serv. A. 8. 127. Ar. s. v. *dec.* 111. Non. 231. 17. pro *Fuf.* vulgo *Stipidius*, Lips. *Aufidius*, pro *asperit.* Codd. *spiras.* 112. Serv. A. 2. 564. Ar. p. 247. in libris est: *Con Sertorios neque rumpor et an levi copiam avibus.* 113 et 114. Prisc. 15. 2. 618. Serv. A. 1. 267. 115. Non. 282. 20. 530. 30. varr. lect. *fortis, Parthis*, pro *portis — deinsuper instantium*, sed hæc lectio ex ipsius Nonii errore fluxit. „Sertorium humeris sublatum per muros ascendisse Salustius commemorat.“ Serv. Aen. 9. 558.

ris aut imperi discrimine, per calonum corpora ad medium quasi, dein superstantium manibus in murum adtollitur. 116. Neque detrusus aliquotiens deterretur. 117. Dubitavit acie pars. 118. Quos inter maxume. 119. Rumore primo. 120. At per omnem provinciam magnæ atro [*cesque famæ*] cum ex suo quisque terrore quinquaginta aut amplius hostium milia novas inmanes f [*eras*] oceani acc [*it*] as corporibus hominum vesci contenderent. 121. Ut si illam fugam [innocentem] in noctem componerent. 122. Et numeri eorum Metellus per litteras gnarus. 123. Obviam ire et conmori hostibus. 124. Ad Olympum atque Phaselida. 125. Profectionem festinantes. 126. Fugam maturabat. 127. Heu me infelicem. 128. Curribus falcatis usos esse maiores et Livius et Salustius docent. 129. G. Verres littora Italiæ propinqua firmavit 130. Diu noctu que laborare, festinare. 131. In secunda cohortes festinas composuerat. 132. Apertæ portæ, repleta arva cultoribus. 133. Ibidem Lælius, pater huius, ab Hirtuleianis interfectus est, ut ait Salustius, receptis plerisque signis militaribus cum Lælii corpore. 134. Et hoc est, quod Salustius laudat, duces victoriam incruento exercitu reportasse. 135. *Τὰ γὰρ ἐπί-*

116. Prisc. 15. 4. 627. 117. idem 7. 19. 354. Serv. Georg. 1. 208. Prob. Cath. 1439. 118. Char. p. 24. 119. idem p. 192. 120. Virgilii *interpretes* Ed. Angelo Maio p. 42. ad Aen. 4. 178. nonnulla coniectura restituta 121. Ar. s. v. *in noct.* p. 239. 122. Arrus. p. 233. 123. Arrus. p. 220. s. v. *conmori.* 124. Priscian xv. 2. 618. 125. Arrus. p. 131. s. v. *festino.* 126. Idem p. 447. s. v. *matura.* 127. Val. Prob. p. 1430. Lind. p. 89. falso hoc fr. ex bello Iugurthino laudatur. 128. Serv. Aen. 1. 476. 129. Arrus. p. 254. s. v. *propinquant.* in Cod. Gud. est *Verris* et initio. *G. G.* in priore littera numerum libri latere recte statuit Lindem. 130. Serv. Aen. x. 411. 131. id. 9. 488. 132. Serv. Aen. II. 27. 133. Schol. Bobb. ad Cic. pro Flacco p. 235. Orelli cfr. Frontin. Stratag. II. 31. Obsequens 119. 134. Isid. 18, 2. 135. Lydus de magistr. præm. p. 119. Bekk. Ed. Bonn. sed haud scio an hoc potius ad orationem Cæsaris in Catilina

Digitized by Google

σημα τῶν ἀρχόντων ἀπὸ Θούσκων λαβὼν ὁ βασιλεὺς Νουμᾶς τῇ πολιτείᾳ εἰσήγαγεν, ὥσπερ καὶ τῶν ὅπλων τὸ δύσμαχον ἀπὸ Γαλατῶν. Καὶ μάρτυρες μὲν τούτων ὅ τε Καπίτων καὶ Φωντήϊος, ἐξ ὧν καὶ διδασκαλικώτατος Οὐάρρων, Ρωμαῖοι πάντες, μεθ' οὓς Σαλούστιος οὗτος ὁ ἱστορικὸς ἐπὶ τῆς πρώτης ἱστορίας σαφῶς ἀναδιδάσκει. 136. *Ἀλλὰ τοὺς περὶ γάμων καὶ σωφροσύνης εἰσηγεῖτο νόμους τοῖς πολίταις [ὁ Σύλλας] αὐτὸς ἐρῶν καὶ μοιχεύων, ὥς φησιν Σαλούστιος.*

spectet, quippe qui liber etiam alias nomine historiæ primæ laudatur. 136. Plutarch. Comp. Lys. c. Sulla. c. 3. Ceterum ad argumentum huius libri illustrandum pertinent etiam verba Augustini de Civ. Dei II. 18. „Dicit deinde plura Salustius de Syllæ vitiis ceteraque fœditate rei publicæ“ et multa, quæ apud eundem Lib. III. 17. sqq. leguntur, ex Salustio colorem traxisse dicuntur. Quo ex genere etiam ea sunt verba, ex quibus cl. Du Rozoir fragmentum Salustianum confecisse sibi visus est Augustin. de Civ. Dei v. 16. „Rursus gravis metus cœpit urgere atque illis perturbationibus alia maiore cura cohibere animos inquietos et ad concordiam vocare civilem. Sed per quosdam paucos, qui pro suo modo boni erant, magna administrabantur, atque illis toleratis ac temperatis malis paucorum bonorum providentia res illa crescebat.“ Vide Editionem Parisinam 1835 edente Th. Burette p. 235. Quæ si Salustiana habenda sunt, multa alia nova huiuscemodi fragmenta inveniri posse putaverim. Sed hæc Ottoni Professori Gisensi conficienda relinquo; quem vide apud Osannum ad Cic. de repub. p. 306. Sed ad Sullanam illam fœditatem de qua multa Salustius, pertinet Schol. ad Lucani Phars. II. 134. „Hic est Marius, qui invita matre Iulia adeptus est consulatum, de quo Salustius meminit.“ Ceterum orationes Lepidi et Philippi ex primo Historiarum libro excerptas esse satis constat.

Digitized by Google

LIBER II.

Sardinia, Sicilia et Corsica insulæ a Lepido et Perperna tentatæ. Earundem situs et antiquitates; Lepidi mors; Pompeius Hispaniam ingreditur. Sed dolis eum Sertorius deludit; anno postero multa prælia pugnata. Macedoniæ pars in deditionem venit. Dardania a Curione vastata; in urbe terræ motibus animi religione pleni; gravitate annonæ seditiones exortæ. Curio senatus causam defendit; Cotta populi gratiam captat. Servilius bello varia fortuna per triennium gesto Ciliciæ provinciæ partem Pamphyliæ, Lyciam et Isauriam adiecit. Nicomedes, Bithyniæ rex, moriens Romanos regni heredes instituit.

---

1. M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulso segnior neque minus gravis et multiplex cura patres exercebat. 2. Sardinia in Africo mari, facie vestigii humani in orientem quam in occidentem latior prominet. 3. Sardis Hercule procreatus, cum magna multitudine a Libya profectus, Sardiniam occupavit et ex suo vocabulo insulæ nomen dedit. 4. Sed ipsi ferunt taurum ex grege, quem prope litora regebat Corsa nomine, Ligus mulier. 5. Ne illa tauro paria sint. 6. Apollinis filius et Cyrenes. 7. Cum prædixero positum insulæ.

1. Mar. Victorin. in I. Rhet. Cic. p. 59 Or. auctore non laudato; Salustii esse ex Servio intelligitur ad Aen. 1. 630. 2. Aul. Gell. 13. 29. Isid. 14. 6. Non. p. 53. Merc. 3. Isid. 14. 6. 4. Prisc. 6. 15. 274. cfr. Isid. 14. 6. 5. Don. Andr. 4. 2. 23. *parta* var. lectio 6. Prob. Cath. 1446. *filia* Codd. *us* coni. 7. Don. Phorm. 1. 2. 47.

Digitized by Google

8. Geryonis. 9. Troiano tempore invadendarum terrarum causa fuerat navigatio, uti Salustius meminit, facili tum mutatione sedium. 10. Capys Campaniam, Helenus Macedoniam, alii Sardiniam secundum Salustium tenuerunt. 11. Aristæus, uti Salustius docet, post laniatum a canibus Actæonem filium matris instinctu Thebas reliquit et Cæam insulam tenuit primo, adhuc hominibus vacuam; postea ea relicta cum Dædalo ad Sardiniam transitum fecit. 12. Dædalus vero primum Sardiniam (ut dicit Sal. hist. 2.) post delatus est Cumas. 13. Dædalum ex Sicilia profectum, quo Minois fugerat iram atque opes. 14. In Sicilia est Enceladus, Othus in Creta, unde Othii campi secundum Salustium, Typhœus in Campania. 15. Perrexere in Hispaniam an Sardiniam. 16. Cales civitas est Campaniæ; est et in Gallia hoc nomine, quam Sal. captam a Perperna commemorat. 17. Perperna tam paucis profectus, prosperitas vera est æstumanda. 18. Narbone per concilium Gallorum. 19. Modestus ad omnia alia nisi ad dominationem. 20. Pompeius oris probi, animo inverecundo. 21. Nam Sullam consulem, de reditu eius legem ferentem, ex composito tribunus plebis Herennius prohibuerat. 22. At Metellus in ulteriore provincia. 23. Et continentur gravius. 24. Vir

8. Serv. ad Aen. 7. 662. 9. idem Aen. 1. 299. 10. idem 1. 242. 11. idem G. 1. 14. 12. idem Aen. 6. 14. 13. idem 3. 578. 14. Prisc. 6. 13. 265 (h. 5.) 15. Servius ad A. 1. 329. 16. Serv. ad Aen. 7. 782. 17. idem Aen. 12. 694. *prospectis* vel *prospectus* Codd. locus corruptus; *prosperitas* Burette ex conj. 18. Cledon. 1876. 19. Don. Phorm. 1. 3. 18. 20. Sueton. de clar. Gramm. c. 10. *improbi* lectio. *probi* bene coniecit Douza. *probi* etiam Tross. p. 104. Apud Endlicher Anecdota p. 38. hæc ita leguntur: et illud de Pompeio, qui coloris erat rubei sed animi inverecundi; sed *quem non pudet et rubet non est homo sed ropio.* quod dicterium militare esse videtur. 21. Prisc. 5. 2. 169. 22. Don. Phorm. 1. 4. 15. 23. Non. 315. 26. *Et continetur gravis* Codd. *ea continentia* Douza coniecit. 24. Arrus.

Digitized by Google

gravis et nulla arte cuiquam inferior. 25. Orbe terrarum extorres. 26. Neque virgines nuptum a parentibus mittebantur, sed ipsæ belli promptissimos deligebant. 27. Salustius ait, Hispanorum morem fuisse, ut in bella euntibus adolescentibus parentum facta memorentur a matribus. 28. Ut alii tradiderant, Tartessum Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gadir habent. 29. Quem ex Mauretania rex Leptasta proditionis insimulatum cum custodibus miserat. 30. Nam procul et diversis ex regionibus. 31. Obviam fuere. 32. Genus militum suetum a pueritia latrociniis. 33. Genus hominum vagum et rapinis suetum magis quam agrorum cultibus. 34. Sciens horum. 35. Belli sane sciens. 36. Antequam egressus Sertorius instruere pugnæ suos. 37. Ipse animi atrox. 38. Copiis integra. 39. Genus armis ferox et servitii insolitum. 40. Terror hostibus ex fiducia sui incessit. 41. Hæc postquam Varro in maius more rumorum accepit. 42. Post ubi fiducia nimius. 43. Inter læva mœnium et dextrum flumen Turiam, quod Valentiam parvo intervallo præterfluit.

s. v. *infer.* p. 242. 25. idem s. v. *ext.* 229. 26. idem s. v. *prompt.* p. 258. 27. Serv. ad Aen. 10. 281. 28. Prisc. 5. 3. 180. „Unum proprium civitatis invenitur *Gadir*, quod quidam femininum esse putaverunt, sed Salustius neutrum esse ostendit in secundis Historiarum, accusativum nominativo similem ponens. sed Don. ad Ter. Eun. III. 1. 11. *Gadirum*. Priscian 6. 9. 249. 29. idem 5. 2. 169. rex. *Ascalisiphta* Edit. Luneb. 30. Char. p. 191. ubi Asper: ergo *procul* e loco est. 31. idem p. 187. Ubi Asper ait: vetuste *obviam fuere*, adverbio maluit uti quam nomine. 32. 33. Ar. s. v. *suet.* p. 262. 34. 35. idem ibid. s. v. *sciens*; *bellica nesciens*. cod. Gud. *bellicæ rei sc.* Ruhnk. ad Vell. 2. 88. p. 365, cfr. Lind. l. l. et Schol. Cruq. ad Hor. Epp. I. 15. 36. Ar. p. 237. s. v. *instr.* 37. idem s. v. *atr.* p. 215. 38. idem p. 236. s. v. *int.* 39. idem s. v. *ins.* p. 241. 40. idem s. v. *inc.* p. 242, *ex fid. suis* Cod. Gud. num legendum: *et fiducia suis?* 41. idem s. v. *in ma.* p. 243. 42. idem s. v. *nim.* p. 249. 43. Prisc. 5. 2. 169. 6. 2. 224. Prob. Cath. 1445. Vib. Seq. s. v. *Turia.*

Digitized by Google

44. Noctu diuque stationes et vigilias temptare. 45. Neque subsidiis, uti soluerat, compositis. 46. Neque inermes ex prælio viros quemquam agnoturum. 47. Pario legio flumen transducta castra dilatavit. 48. Suos equites hortatus vado transmisit. 49. Omnes, qui circum sunt, præminent altitudine milium passuum duorum. 50. Diei medio. 51. Titurium legatum cum cohortibus XV. in Celtiberia hiemem agere iussit, præsidentem socios. 52. Ruuntque pars magna suismet aut proxumorum telis, ceteri vice pecoris obtruncabantur. 53. At Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus, magna gloria concurrentium undique virile et muliebre secus, per vias ac tecta omnium visebatur, cum quæstor C. Urbinus aliique, cognita voluntate, eum ad cœnam invitaverant, ultra Romanorum et mortalium etiam morem curabant, exornatis ædibus per aulæa et insignia, scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis. Simul croco sparsa humus, et alia in modum templi celeberrimi. Præterea cum sedenti transenna demissum Victoriæ simulacrum cum machinato strepitu tonitruum coronam capiti inponebat, tum venienti thure quasi deo supplicabatur. Toga picta plerumque amiculo erat ei accumbenti: epulæ quæsitissimæ, neque per omnem modo provinciam, sed trans maria ex Mauretania volucrum et ferarum incognita antea plura genera: quibus rebus aliquantam partem gloriæ demiserat, maxume apud veteres et sanctos viros,

44. Char. p. 185. 45. Prisc. 9. 10. 468. 46. idem 10. 3. 486. Serv. ad Aen. 4. 23. 47. Ar. s. v. *transd.* p. 265 *Pario* ex mea conjectura; *Parco* lectio Cod. 48. idem ib. s. v. *tranm.* 49. idem s. v. *præm.* p. 256. 50. idem s. v. *med.* p. 247. 51. idem s. v. *præs.* 252. 52. Non. 497. 25. *ruina quæ* Codd. *ruuntque* coni. Colerus. 53. Macrob. Saturn. 3. 13. Non. 222. 22. Charis. 61. cfr. Serv. ad Aen. 5. 488. Non. 286. 11. 180. 1. Non. 286. hæc laudat ex lib. III. ibi legitur *cum machinis strepitu dimissum Victoriæ simulacrum corona c. i.* sed 180 recte: *trans. dim. Vict. sim. cum machinatost. c. c. i.*

Digitized by Google

superba illa, gravia, indigna Romano imperio existumantes. 54. Quo cupidius in ore ducis sese quisque bonum et strenuum ostentantes. 55. Saguntium. 56. Pompeius cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat. Neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi se et milites frequentibus exercitiis præparasset ad prælia. 57. Argentum mutuum arcessivit. 58. Ut tanta repente mutatio non sine deo videretur. 59. Castra sine volnere introitum. 60. Saguntini, fide atque ærumnis ineluti præ mortalibus, studio maiore quam opibus, quippe apud quos etiam tum semiruta mœnia, domus intectæ parietesque templorum ambusti manus Punicas ostentabant. 61. Vespera. 62. Ita fiducia quam argumentis purgatiores dimittuntur. 63. Et Pœni ferunt adversus a. n. c. m. 64. Audaciter. 65. Mœnibus deturbat. 66. Ad hoc rumoribus advorsa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant. 67. Murum ab angulo dexteri lateris ad paludem haud procul remotam duxit. 68. Occurrere duci et prælium accendere, adeo uti Metello in sagum, Hirtuleio in brachium tela venirent. 69. Avidis atque ita promptis ducibus, ut Metellus ictu tragulæ saucia-

54. Isid. 9. 3. Serv. ad Aen. 10. 370. 55. Char. p. 115. „*Saguntinorum* Cœlius, *Saguntium* Sallustius, ut Paulus in Cœlii hist. libro primo notat.“ 56. Veget. de re m. 1. 9. 57. Prisc. 10. 8. 504. 58. Don. ad Eun. 5. 2. 36. Serv. ad Aen. 2. 632. cfr. Virgilii Intt. vett. a Maio editi p. 33. 59. Serv. ad Aen. 11. 230. 60. Hieron. Comm. in Habacuc. c. 9. 61. Char. p. 198. 62. Non. 310. 21. Serv. ad Aen. 2. 61. Don. ad Phorm. 1. 4. 28. Hecyr. 4. 1. 13. loco extremo hæc verba leguntur: *Ita fiducia quam argumentis purgatior es*, sed ad idem fragmentum referunt. 63. Don. ad Phorm. 1. 3. 19. verba ita explent: *Africam nancisci contra meridiem.* quod quo argumento confirment, equidem nescio. 64. Prisc. 15. 4. 625. 65. Non. 127. Ed. Merc. 66. Non. 385. 4. 67. Serv. ad Aen. 1. 423. 68. Non. 538. 20. fuerunt qui coniicerent: *Accurrere duces.* 69. idem 398. 7. ibi legitur: *Avidisque ita promptis* 553. 27. *Avidissumis atque promptis*

Digitized by Google

retur. 70. Sed Metellus in volnere. 71. Ictu eorum, qui in flumine ruebant, necabantur. 72. Circumventi a dextera, unde ferrum erat, saxa aut quid tale capita adfligebant. 73. Quis a Sertorio triplices insidiæ per idoneos saltus positæ erant; prima, qui fronte venientis exciperent. 74. Eam deditionem senatus per nuntios Orestis cognitam adprobat. 75. Eodem anno in Macedonia G. Curio, principio veris cum omni exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit modis, pecunias Appio dictas coegit. 76. Nomenque Danubium habet. - Omnium fluminum, quæ in maria, qua imperium Romanum est, fluunt, quam Græci *τὴν ἑίσω θάλασσαν* adpellant, maximum esse Nilum consentitur; proxima esse magnitudine Histrum scripsit Salustius. 77. Ventis per cava terræ citatis rupti aliquot montes tumulique sedere. 78. Turbinum motus vagus est et disiectus et, uti Salustii verbis utar, vorticosus. 79. Ut actione desisteret.

et lib. III. laudatur, sed hoc errore librarii, et *avidis atque ita promptis* recte legi videtur. 70. Don. ad Andr. 2. 1. 10. *(inc.)* 71. Don. Adelph. 3. 2. 21. „*ruere* enim est toto corpore uti ad impellendum. quod faciunt, qui ipsi præcipites alios prosternunt. 72. Arrus. p. 215. s. v. *adfl.* Cod. Gud. *nuda ferrum.* locus videtur esse corruptus. 73. Serv. G. 2. 98. ad Aen. 11. 896. laudantur hæc e tertio libro et recte composita sunt propter *prima* et quod Servius addit: „cum de insidiis loqueretur, quas numeri tantum pluralis esse plusquam manifestum est." 74. Prisc. 6. 11. 258. 75. Non. 280. 20. in Codd G. L. est *Appia d. Appio* cj. Roth. „*dicere* etiam promittere" Non. 76. Acron. Hor. A. P. 18. 77. Inc. de Orth. Ed. Putsch. p. 2794. 77. Isid. 14. 1. Serv. G. 2. 479. Serv. habet: *venti per cava terræ citati. Isidor. v. p. concava terræ præcipitati.* etiam Serv. „alii dicunt ventos esse in *concavis* terræ, qui motus etiam movet"; unde recte quis colligat *concava* veram esse lectionem. Isidorus de rer. nat. corupte: *veluti per cava terræ præcipitati.* ceterum *concava* habet etiam Claudian. Consul. Honor. 46. et *concava terræ* Lactant. VII. 26 pro *citati* est ap. Servium var. lect. concitati, *ventis* et *citatis* Cortius coniecit. 78. Seneca Q. N. VII. 8. 79. Arrus. s. v. *des.* 224.

Digitized by Google

80. Quia corpore et lingua percitum et inquietem nomine histrionis vix sani Burbuleium appellabat. 81. Cum multa dissereret ludis Apollini Circensibus. 82. Nam neque apud Sallustium neque apud Livium neque apud Fenestellam ullius alterius ab eo latæ legis mentio præter eam, quam in consulatu repugnante nobilitate magno *tulit* populi studio, ut iis, qui tribuni plebis fuissent, alios quoque magistratus capere liceret, quod lex a dictatore Sulla paucis ante annis lata prohibebat. 83. Iter vortit ad Corycum urbem, inclutam specu atque nemore, in quo crocum gignitur. 84. Frugum pabulique lætus ager. 85. Nisi qua flumen Durda Tauro monte defluens. 86. Primo incidit forte per noctem in lenunculo piscantis. 87. Ad hoc pauca piratica actuaria navigia. 88. Omnia sacrata corpora in rates imposuisse. 89. Immane quantum animi exarsere. 90. At illi, quibus vires aderant, ruere cuncti ad portas, inconditi tendere. 91. E muris canes spartis demittebant. 92. Fessus in Pamphyliam se receperat. 93. Lyciæ Pisidiæque agros despectantem. 94. Quos advor-

80. Prisc. 6. 11. 256. 81. Arrus s. v. *ludi* p. 245. 82. Ascon. Pedian. ad Cic. Orat. pro Corn. p. 66. Ed. Baiter. Ceterum multa VV. DD. coniecturis probabiliter restituta. cfr. Adnot. Baiteri. Ceterum de G. Cottæ consulis legibus loquitur, de quibus Asconius „Videntur autem in rebus parvis fuisse leges illæ, quas cum tulisset, retulit de iis abrogandis ad senatum." 83. Non 202. 8. Serv. G. 4. 182. *inclutam pastusque* habet Cod. *specu atque* cj. Havercamp. apud Servium est: *in qua c. g.* 84. Arrus. s. v. *læt.* Serv. ad Aen. 1. 441. 11. 338. apud Servium male *fructuum* legitur. 85. Prisc. 6. 2. 224. vulgo scribitur *Lurda.* Krehl *Durda* ex optimis libris. 86. Non. 534. 30. 87. Non. 535. 2. vulgo *piraticæ*, quod in libris est, unde nonnulli *adiungit* addiderunt. 88. Arrus. s. v. *inp.* p. 239. 89. Non. 127. 27. 90. Serv. ad Eclog. 2. 4. Vossius ex Mss. Ursini: *quibus res incognita erat ivere.* præterea in libris est: *incondita tenere* Vossius *incognita tendere.* sed *inconditi tendere* ex coniectura. 91. Serv. ad Aen. 2. 833. *panes sportis* cj. Roth. 92. Serv. ad Aen. 8. 232. 93. idem 1. 420. 94. Prisc.

Digitized by Google

sum multi Bithynia volentes occurrere, falsum filium arguituri. 95. Ibi Fimbriana seditione qui regi per obsequelam orationis et maxume odium Sullæ graves carique erant. 96. At Lucullum regis cura machinata fames brevi fatigabat multique commeatus interierant insidiis latronum. 97. Dubium an insula sit, quod euri atque austri superiactis fluctibus circumlavitur 98. Hi saltibus occupatis tamen externorum agros invasere frumentique ex inopia gravi satias facta. 99. Turmam equitum castra regis succedere et properationem explorare iubet. 100. Ille festinat subsidiis principes augere et densere frontem. 101. In Sardinia enim nascitur quædam herba, quæ *Sardoa* dicitur ut Salustius dicit, apiastri similis: hæc comesa ora hominum rictus dolore contrahit et quasi ridentes interimit, unde vulgo *Σαρδώνιος γέλως*.

10. 2. 481. 95. Non. 215. 32. *graves Scaurique* lect. M. *graves carique* ex conj. 96. Priscian. VIII. 4. 369. Nonius 439. 28 quæ fragmenta num iungenda sint, neque affirmare neque refellere ausim. 97. Non. 503. 30. *astrici* Codd. *circumlavit* Edd. 98. Non. p. 172. 11. *in salt.* Codd. *hi* ex conj. alii *his*. *Tmextrinorum* Cod. L. *Termestinorum* c. Lipsius; *tamen externorum* Cod. W. 99. Arr. p. 260. s. v. *succ.* 100. Eutych. Gramm. Lib. II. p. 192. Ed. Lind. 101. Serv. Virg. Eclog. 7. 41. Isid. XIV. 6.

LIBER III.

Tribuniciæ procellæ a Quintio et Licinio excitatæ. Sertorii res inclinatæ. Dianium caput belli maritimi; Pompei exercitus fame laborat. Sertorii invidia et mors. A Curione in Macedonia res prospere gestæ. Mithridatis origo, exercitus opesque; legati ad Sertorium; de situ Ponti; Lucullus et Cotta ad bellum proficiscuntur. Cotta victus Chalcedonem confugit; classis capta; discordiæ cum quæstore; Luculli exercitus. Fimbrianæ legiones; ad Cyzicum pergit. Mithridatis classis tempestate et virtute Cyzicenorum male habita repellitur. Antonius bellum contra Cretenses parat; Cretæ descriptio. Gladiatores ingens bellum in Italia movent.

---

1. Collegam eius Octavium mitem et captum pedibus. 2. In quis longissumo ævo plura de bonis falsa in deterius composuit. 3. Canina, ut ait Appius, facundia exercebatur. 4. Male iam assuetum ad omnes vis controversiarum. 5. Namque his præter solita vitiosis magistratibus, cum per omnem provinciam infecunditate bienni proxumi grave pretium fructibus esset. 6. Post reditum eorum, quibus senatus belli Le-

1. Arrus. s. v. *kapt.* p. 243. 2. Serv. ad Eclog. 8. 27. 3. Non. 60. 23. Lactant. Institut. Div. 1. 18. *Caninam illam facundiam, sicut Salustius ab Appio dictum refert, exercuit.* Quinctil XII. 9. 9. et Spalding. ad h. l. 4. Prisc. 6. 12. 261. „excipitur *vis, huius vis,* cuius plurali similiter *vis* tam Lucretius quam Salustius protulerunt.“ 5. Non. 314. 23. *magistratibus* Codd. lectio, *mala æstatibus* olim ex coniectura. 6. Arr. s. v. *gratia* p. 232.

Digitized by Google

pidani gratiam fecerat. 7. Divorsa, uti solet rebus perditis, capessivit; namque alii fiducia gnaritatis locorum *in* occultam fugam sparsi; *pars* globis eruptionem temptavere. 8. Coniuratione claudit. 9. Illum raptis forum et castra nautica Sertorius mutaverat. 10. Ut sustinere corpora plerique nequeuntes arma sua quisque stantes incumberent. 11. Sed Pompeius a prima adulescentia sermone fautorum similem fore se credens Alexandro regi, facta consultaque eius quidem æmulatus erat. 12. Muros successerant. 13. Kavete ab imperatore perfuga Celtibero. 14. Iam repente visus sævire Taguns. 15. Lusitaniæ gravem civitatem. 16. At Sertorius vacuus hieme augere copias. 17. Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio, super eum L. Fabius Hispaniensis, senator ex proscriptis, in summo Antonius et infra scriba Sertorii Versius et alter scriba Mæcenas in imo, medius inter Tarquitium et dominum Perpernam. 18. Dein lenita iam ira postero die liberalibus verbis permulcti sunt. 19. Et Perpernam forte cognoscit mulio redemptoris. 20. Hunc igitur redarguit Tarquitius. 21. Dubius consilii. 22. Postquam egressus angustias. 23. Atque

7. Non. 116. 20. Prisc. 10. 8. 504. *capessivit* Codd. lectio ap. Nonium. *lacessivit* Priscian. Unde intelligitur singularem bene se habere. Ceterum et *in* et *pars* ex coniectura admodum probabili; nam utrumque vocabulis antecedentibus facile obscurari potuit. 8. idem 10. 4. 489. fortasse locus corruptus; in oratione Macri: verba leguntur: *Neque enim ignorantia res claudit.* 9. Pomp. Comm. Art. Don. p. 152. Ed. Lind. *raptis forum* idque rectius. *illum nautis forum* Non. 206. 16. 10. Arr. s. v. *inc.* p. 235. cfr. Serv. ad Aen. 9. 229. *fessi arma sua quisque stantes incumbere* sed *instans incumberet* Non. 11. Non. 239. 4. 502. 3. 18. 12. Arr. s. v. *succ.* p. 260. 13. Arr. p. 243. *Kav. imp. per kaga Celt.* Codd. 14. Serv. ad Aen. 10. 103. 15. idem 12. 458. 16. Hor. Epp. 1. 9. Schol. Cruq. 17. Serv. ad Aen. 1. 698. 18. Prisc. 9. 9. 466. 19. Hor. Ep. 2. 2. Schol. Cruq. 20. Don. ad Adelph. 3. 2. 16. *Tarquinus* Westerh. 21. Ar. s. v. *dub.* p. 225. 22. id. s. v. *egr.* p. 227. 23. Non.

eum Curio laudatum accensumque præmiorum spe, quibuscum optavisset, ire iubet. 24. Aenum et Maroneam viamque militarem. 25. Profectus quidam Ligus ad requisita naturæ. 26. A rege Dardanorum Mida, qui Phrygiam tenuit. 27. Germani [intectum] rhenonibus corpus tegunt. 28. Vestes de pellibus rhenones vocantur. 29. Curio Volcanaliorum die ibidem moratus. 30. Et Volcanaliorum religione [inpeditus]. 31. Exaudirique sonus Bacchanaliorum. 32. A quo Artabanes originem ducit, quem conditorem regni Mithridatis fuisse confirmat Salustius Crispus. 33. Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingressus, matre sua veneno interfecta. 34. Mithridates corpore ingenti, perinde armatus. 35. Eum atque Metrophanem senatus magna industria perquirebat, cum per tot scaphas, quas ad ostia cum paucis fidis percunctatum miserant. 36. Primum Græcorum Achillem. 37. Tota autem insula modica et cultoribus inanis est. 38. Ipsum mare Ponticum dulcius quam cetera. 39. Dein campi Threissi, quos habuere Amazones, a Tanai flumine incertum quam ob rem digressæ. 40. Qua tempestate ex Ponto vis piscium erupit.

358. 14. 24. Serv. ad Aen. 3. 17. 25. Quint. 8. 6. 59. Pomp. Comm. in Don. de barbar. et Metapl. p. 440. Ed. Lind. 26. Serv. ad Aen. 2. 325. 27. Isid. 19. 23. 28. Serv. ad Georg. 3. 383. 29. 30. Non. 489. 27. Char. p. 46. Pomp. Comm. A. D. Ed. Lind. p. 163. Pompon. habet: *Curio ibidem moratur regione Volcanaliorum* ubi haud dubie emendandum: *religione*, ut Charisius. *Et Volcanaliorum — impeditus*, a Debrossio inductum, videtur esse reiiciendum et, si quidem duo fragmenta esse putantur, ea, ut supra, scribenda. Poterat tamen locus vel ita constitui: *Cur. Volc. religione diem ibidem moratus.* 31. Non. l. l. Macrob. 1. 4. 32 Ampel. Lib. Mem. c. 30. 33. Serv. ad Aen. 5. 295. 34. Quint. 8. 3. 82. 35. Non. 535. 9. Macrob. VII. 13. 36. Serv. ad Aen. 1. 96. 37. Martian. Cap. L. V. p. 111. Ed. Bas. 1580. 38. Serv. ad Aen. 1. 228. 39. Serv. ad Aen. 11. 659. 40. idem ibid. 4. 132. Schol. ad Iuv. 4. 142. ubi legtiur: *Itaque tempestate*

Digitized by Google

41. Nam speciem efficit Scythici arcus. 42. Igitur introrsus prima Asiæ Bithynia est, multis antea nominibus appellata. Ipsa enim est maior Phrygia. 43. Namque omnium ferocissumi ad hoc tempus Achæi atque Tauri sunt, quod, quantum coniicio, locorum egestate rapto vivere coacti. 44. Scythæ Nomades tenent, quibus plaustra sedes sunt. 45. [Proxumum dicebant veteres non solum adhærens et adiunctum, verum etiam longe remotum, si tamen inter duo discreta nihil medium exstitisset.] Ita et Salustius in situ Ponti de promontoriis Paphlagonum et quod *κριοῦ μέτωπον* adpellavit, posuit. 46. Lata autem ideo, quia se angustiæ Pontici oris illic dilatant, ut Salustius dicit. 47. Anacreon, Lyricus poeta, Teius fuit, i. e. ab urbe Teia, quam in Paphlagonia esse Salustius dicit. 48. At Oppius postquam orans nihil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus a Cotta Vulscioque inpeditur. 49. [Salustius de Appio, ubi eum Cotta in contentione ab exercitu cogit discedere,] dicit, se eius opera non usurum eumque ab armis dimittit. 50. Fine inguinum ingrediuntur mare. 51. Impediebant iussa nautarum. 52. Ad Cyzicum perrexit firmatus animi. 53. Quasi par in oppido festinatio et ingens terror erat, ne ex latere nova munimenta madore infirmarentur; nam omnia oppidi stagnabant, redundantibus cloacis, advorso æstu maris. 54. Ac tum maxume, uti solet extremis in rebus, sibi quisque carissimum domi recordari, cunctique omnium

quod Schurzfleisch emendavit *finitaque tempestate* et *magna vis* legendum esse censuit. 41. Serv. ad Aen. 3. 533. 42. id 5. 373. 5. 203. cfr. Isid. 14. 3. 43. Schol. Iuv. 15. 115. 44. Porphyr. ad Hor. Od. 3. 24. 9. 45. Non. 524. 3. 46. Serv. ad Aen. 2. 312. 47. Porphyr. ad Hor. Od. 2. 17. 18. 48. Non. 533. 31. 49. Serv. ad Aen. 12. 844. 50. Arr. s. v. *fine* p. 231. Philargyr. ad Virg. Georg. 3 53. 51. Serv. ad Aen. 3. 128. 52. Arrus. s. v. *firm.* p. 232. 53. Non. 138. 3. Cod. lib. IV. laudatur. pro *omnia*, quod in libris est, *mœnia* emendarunt A. I. M. 54. Non. 137. 10.

ordinum extrema munia sequi. 55. Duos quam maxumos utris levi tabulæ subiecit, qua super omni corpore quietus invicem tractu pedis quasi gubernator existeret, et inter molem atque insulam maris vitabundus classem hostium ad oppidum pervenit. 56. Saxaque ingentia et trabes axe vinctæ per pronum incitabantur, axibusque eminebant in modum ericii militaris veruta binum pedum. 57. Unde pons in oppidum pertinens explicatur. 58. Et onere turrium incertis navibus. 59. Ut res magis quam verba gererentur, liberos parentesque in muris locaverant. 60. Quarum unam epistolam forte cum servo nacti prædatores Valeriani scorpione in castra misere. 61. Ne simplici quidem morte moriebantur. 62. Nam qui enare conati fuerant, icti sæpe fragmentis navium, aut adflicti alveos undarum vi, mulcato fœde corpore, postremo interiere tamen. 63. Et forte in navigando cohors una, grandi faselo vecta a ceteris deerravit marique placido a duobus prædonum myoparonibus circumventa. 64. Crebritate fluctuum, ut aquilone solet. 65. M. Antonius perdundæ pecuniæ genitus va-

55. Non. 186. 73. 56. idem 554. 33. Serv. ad Aen. 9. 505. 57. Arrus. s. v. *pert.* p. 265. 58. Serv. ad Aen. 1. 576. 59. Lact. ad Stat. Theb. 10. 573. 60. Non. 553. 22. 61. Serv. ad Ge. 3. 482. 62. Non. 406. 10. Ar. s. v. *adf.* p. 215. Arrus. hæc habet: „adflicti alveos undarum vi mulcato corpore interibant. cfr. Lindeman. et Interpretes ad Nonium. 63. Non. 534. 18. 64. Serv. ad Aen. 1. 117. 65. Arrus. p. 232. s. v. *gen.* Pseudo-Ascon. in Verr. p. 206. Baiter. „Hic est M. Antonius, qui gratia Cottæ consulis et Cethegi factione in senatu curationem infinitam nactus totius oræ maritimæ et Siciliam et provincias omnes depopulatus est et ad postremum inferens Cretensibus bellum morbo interiit cfr. ib. 176 quem Salustius ait perdundæ pecuniæ genitum et vacuum a curis nisi instantibus Quod additum est fragmentum ex Schol. Iuvenalis ad S. VIII. 105. „Trium Antoniorum consulum pater ille, qui oræ maritimæ, qua esset imperium Romanum, præfuit, contrarius piratis“ ipsius Salustii verba esse negat Orelli Onom. Tull. p. 48. In

Digitized by Google

cuusque a curis nisi instantibus. [Trium Antoniorum consulum pater ille, qui oræ maritimæ, qua esset imperium Romanum, præfuit.] 66. Primos Cretenses constat invenisse religionem. Curetes, quia principes intelligendi divina fuerunt, vetustatem, uti cetera in maius componentem, altores Iovis celebravisse. - Creta altior est, qua spectat orientem. 67. Unus constitit in agro Lucano gnarus loci, nomine Publipor. 68. Ad mutandum modo in melius servitium. 69. Repente agros incautos invasit. 70. Hi sunt qui secundum pocula et alias res aureas diis sacrata intrumenta convivio mercantur. 71. Exuant armis equisque. 72. Ex parte cohortium præcipue instructa stationes locatæ pro castris. 73. Cossutius in proxuma villa fonti lavabatur.

74. . . . . nitor *a*ere, quibus præter speciem bello necessariam haud multo secus quam ferro noceri poterat. At Varinius, dum hæc aguntur a fugitivis, ægra parte militum au-

nova Iahnii editione Scholiastæ locus ita scriptus est: „Antonius trium Antoniorum corruptos illæ Salustius qui oræ maritimæ qua Romanum esset imperium, contrarius piratis. Hi omnes socios et maxime Græcos Asiaticos ac Siculos fortunis omnibus spoliaverunt. Unde Iahnius ita Salusti verba sibi restituisse visus est: Antonius Antoniorum triumviri et coss. pater, ille, qui oræ maritimæ qua Romanum esset imperium, præfuit, contrarius piratis.“ cfr. Rutgers. Varr. lect. III. 17. Ruhnk. ad Vellei. II. 31. 66. Lactant. Inst. Div. 1. 21. 41. „Hanc totam opinionem (de Iovis ortu) quasi a poetis fictam Salustius respuit voluitque ingeniose interpretari cur altores Iovis dicantur Curetes fuisse et sic ait: *quia* etc. Serv. Aen. 8, 352. Serv. ad Aen. 3. 104. Lactant. ad Stat. Achill. 1. 387. Serv. ad Aen. 6. 23. 67. Prisc. 6. 9. 254. 68. Serv. ad Aen. 1. 281. 69. Philarg. G. 3. 469. 70. Serv ad Aen. 8. 278. 71. idem ibid. 11. 80. 72. idem ibid. 12. 661. *præcipere instructa et* Codd. emendavit Putschius. 73. Cledon. p. 916. Ed. Putsch. 74. fragmenta Vaticana. vide Ed. Mai. Vol. III. p. 383. sqq. eademque a Kreyssigio passim emendata et suppleta. Misenæ 1835. 8.

tumni gravitate, neque ex postrema fuga, cum severo edicto iuberentur, ullis ad signa redeuntibus et, qui reliqui erant, per summa flagitia detractantibus militiam, quæstorem suum G. Thoranium, ex quo præsente vera facillime noscerentur, miserat. Et tamen interim cum volentibus, numero quattuor *mil*ium, *pergit ad castra fugitivo*rum *mag*nis operibus commun*ita.* Deinde fugitivi, con*sump*tis iam alimentis, ne prædantibus ex propin*quo hos*tis instaret, soliti m*ore mi*litiæ vigilias sta*tiones*que et alia munia ex*sequi*, secunda vigilia *noctis* cuncti egredi*untur*. *Re*licto buccinato*re in cas*tris et ad vigil*um speciem* procul viseu*tibus ere*xerant fulta *arboribus* recentia *cadavera et cre*bros ign*is fecerant. For*midini . . . . . *Va*rini . . . . . ti . . . . . da . . . . . inviis convertere. At *Va*rinius multa iam luce *desi*derans solita a fugi*tivis* convicia et in cas*tra* coniectus lapidum, *ad hoc* strepitus tumul*tuosi* sonores undique *ruenti*um, mittit equites *in tumul*um circum pro*minentem*, ut explorarent . . . . . s, propere vesti*gia secutos* credens lo . . . . . *to*to tamen ag*mine* . . . . . pavens se . . . . . m dupli . . . . . tumas . . . . . ga . . . . . *Post* aliquot dies contra morem fiducia augeri nostris cœpit et promi lingua. Qua Varinius contra spectatam rem incaute motus novos incognitosque et aliorum casibus perculsos milites ducit tamen ad castra fugitivorum presso gradu, silentis iam, neque tam magnifice sumentis prœlium, quam postulaverant. Atque illi certamine consilii inter se iuxta seditionem erant, Crixo et gentis eiusdem Gallis atque Germanis obviam ire et ultro offerre pugnam cupientibus, contra Spartaco . . . . . ni secum . . . . . ne qua . . .

Digitized by Google

. . . . . *ad* id tempu*s* . . . . . mque seclu
. . . . . m et extin l
curam . . . . . asset hau*d* . . . . . .
. . aque quamc . . . . . *h*aud aliam . . . . . .
. . . capiendam . . . . . prudentes i . . . . .
. . . . . mi nobile . . . . . laudantque . . .
. . . . . re pars sto . . . . . ts adfluent .
. . . . . *firm*o fidens au*xilio* . . . e patriæ in me . . . . .
. . . . . rumi servil . . . . . ultra præ . . . . . .
. . . . . con-
*silium capit quod op*timum videbatur. Deinceps monet, in *l*axioris agros magisque pecuarios ut egrediantur, ubi, priusquam refecto exercitu adesset Varinius, auger*e*tur numerus lectis vir*is* et propere nanctus idoneum ex captivis ducem Picentinis, deinde Eburinis iugis occultus ad N*a*ris Lucanas atque inde prima luce pervenit ad Anni Forum, ignaris cultoribus. Ac statim fugitivi *con*tra præceptum ducis rapere ad stuprum virg*i*nes matr*o*nasque. Et alii c . . . . . .
. . . . . *n*unc restantes
ei illudebant, simul nefandum in modum perverso volnere et interdum lacerum corpus semianimum omittentes: alii in tecta iaciebant ignis, multique ex loco servi, quos ingenium socios dabat, abdita a dominis aut ipsos trahebant ex occulto; neque sanctum aut nefandum quicquam fuit iræ barbarorum et servili ingenio. Quæ Spartacus nequiens prohibere, multis precibus cum oraret, celeritate prævertere, mit*t*ere nuntios . . .
. . . . . .
*q*ua neque e . . . . . *ag*mense c . . . . . .
. . . . . s crudel . . . . . *occ*upatos a . . . . . .
. . . . gravis pler . . . . . illum diem *et pro-*
xumam noctem ibi . . . . . s duplica*to fere*
*fugitivo*rum numer*o* . . . . . *p*rima cum luc*e* . . . . .

. . . . in campo satis . . . . . nos ædificiis . . . . et tum matura in agris erant autumni frumenta.

Sed in castris nono die gnari ex fuga finitumorum fugitivos adventare . . . . . omnibus . . .

75. Et eodem tempore Lentulus duplici acie locum editum multo sanguine suorum defendens, postquam ex sarcinis paludamenta astare et delectæ cohortes intellegi cœpere. 76. Salustius vanos Mauros et feroces Dalmatas pulsat. 77. Illi tertio mense pervenere in Pontum multo celerius spe Mithridatis. 78. Equis et armis decoribus cultus. 79. Dedecores inultique terga ab hostibus cædebantur. 80. Contra ille calvi ratus quærit extis, num somnio portenderetur thesaurus. 81. Parte consumpta reliqua cadaverum ad diuturnitatem usus sallerent. 82. Nam tertia tunc erat et sublima nebula cælum obscurabat. 83. Ingens ipse virium atque animi. 84. Locum nullum, nisi quo armati institissent, ipsis tutum fore. 85. Castrisque collatis pugna tamen ingenio loci prohibebatur. 86. Staphylus primus docuit vinum aqua misceri. 87. More humanæ cupidinis ignara visundi. 88. Pyrrhus interemptus fuit in æde Dianæ a quadam muliere. 89. Inter recens domitos Isauros Pisidasque.

75. Non. 538. 32. *ostari* vel *astari* Codd. lectio. vulgo *hastati* emendant, quibus non locus est. Paludamenta, auctore Varrone VII. 37. sunt insignia atque ornamenta militaria. Ideo ad bellum cum exit imperator ac lictores mutarunt vestem et signa incinuerunt, paludatus dicitur proficisci. 76. Tertullian. de anima c. 20. 77. Ar. s. v. *cit.* p. 221. 78. 79. Prisc. 6. 9. 250. *multi* Codd. lectio. *inulti* haud dubie corrigendum. 80. idem 8. 14. 415. Non. 7. Eutych. p. 2186. 81. Prisc. 10. 9. 514. 82. Non. 489. 8. *terna* Goth. 83. Ar. s. v. *ing.* p. 236. 84. idem s. v. *inst.* p. 237. 85. Non. 223. 4. 86. Cæc. Apul. de Orth. §. 12. (2). 87. Gell. 9. 12. 22. 88. Cæc. Apul. de Orth. §. 16. Serv. Aen. II. 469. „Pyrrhus a colore comæ dictus qui Latine Byrrhus (Burrhus) dicitur; ita et Salustius.“ 89. Ar. s. v. *inter.* p. 288.

Digitized by Google

90. Manus ferreas et alia adnexu idonea iniicere. 91. Perculsis et animi incertis succurritur. 92. Quod ubi frustra temptatum est, socordius ire milites occœpere, non aptis armis ut in principio et laxiore agmine. 93. [Reliqua cadavera salita.] 94. Rebus supra votum fluentibus. 95. Neque iam sustineri poterat, inmensum aucto mari et vento gliscente. 96. Incidere in colonos Avellanos præsidentes agros suos.

90. idem s. v. *idon.* p. 242. 91. 91. idem s. v. *inc.* p. 242. 92. Non. 235. 14. *obcepere* Codd. *occæpere* emendavit Iunius. 93. Diom. 1. 4. 94. Serv. ad Aen. 2. 169. 95. Non. 22. 18. 96. Arrus. s. v. *præs.* 252. Num verba. quæ Editor Luneburgensis p. 48. II. ex Isidoro II. 11. laudavit: *Metrophanes promeruit gratiam Mithridatis obsequendo,* Salustii sint, admodum incertum est; alterum fragmentum *solis viis,* quod idem tertio libro adscripsit Donatus ad Phorm. v. 7. 86. ex Salustio in primo laudat; tertium: *Maeotici sinus æquoris* p. 74. n. 148. ex Festo Avieno *in Ora maritima* petitum, quem ad Salustii exemplum descriptionem Ponti Euxini composuisse satis constat. cfr. Schol. Hor. ad Carm. I, 47. 18. Serv. ad Aen. III. 533. et Ammianus Marcellinus XXII. c. 8. non magis Salustii est, quam tota Avieni descriptio. Ex hoc libro sunt Cottæ Cons. et Licinii Macri orationes et Gn. Pompei epistola ad senatum.

Digitized by Google

LIBER IV.

Atrocissima cum fugitivis prælia; eorum discordiæ. Crassus dux eligitur, fugitivi in Bruttium agrum et Lucaniam redeunt; freti Siculi descriptio; gladiatores victi; belli Sertoriani finis; Calagurritani. Pompei et Metelli reditus. Seditiones domesticæ; tribunicia potestas restituta; res contra Cretenses male gestæ. Lucullus mari hostes vincit et in Pontum progreditur, urbes capit; Amisos oppugnatur, Sinope capta. Clodius legatus ad Tigranem missus. Mithridatis legati ad eundem. Lucullus Armeniæ bellum infert. Armeniæ descriptio; Tigranis arrogantia; Mithridatis ad Arsacen epistula.

---

1. Dolia quæ sub trabes locata vitibus aut virgis vinciebant. 2. Demissis partem quasi tertiam antemnis. 3. Cum interim lumine etiam tum incerto duæ Galliæ mulieres conventum vitantes ad menstrua solvenda montem ascendunt. 4. Hi locorum pergnari et soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuerat, ad eam artem se quisque in formam parmæ equestris armabat. 5. [Qui] de viminibus facta scuta, recentibus detractis coriis quasi glutino

1. Arrus s. v. *sub*. p. 261. 2. idem s. v. *parte* p. 253. 3. Non. 492. 30. 4. idem 554. 20. *pergnari* coni. Douza, *perign.* vulgo. 5. Serv. Georg. 3. 155. cfr. ad Aen. 7. 632. Philarg. ad G. 4. 40. Philargyrius: *hic gluten.* Sal. autem IV. Hist. *Hic glutino adolescebat.* Charis. p. 67. *quasi glutino adolescebant* 106. *glutino adolescebant.* Serv. Aen. 7. 632. Salustius de Lucanis, „qui de viminibus“ etc.

Digitized by Google

adolescebant. 6. Revorsi postero die, multa, quæ properantes deseruerant in castris, nacti, cum se ibi cibo vinoque læti invitarent. 7. Suspectusque fuit, incertum vero an per neglegentiam, societatem prædarum cum latronibus composuisse. 8. Dissidere inter se cœpere neque in medium consultare. 9. Collegam minorem et cultorem sui expectans. 10. Sorte ductos fusti necat. 11. Primam modo lapidiam ingressus. 12. Omnes quibus ætas senecto corpore, animus militaris erat. 13. Omnis Italia coacta in angustias scinditur in duo promontoria, Bruttium et Sallentinum. 14. Ad Siciliam vergens faucibus ipsis non amplius patet milibus quinque et triginta. 15. Italiæ Siciliam coniunctam constat fuisse; sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est, aut per angustiam scissum; ut autem tam curvum sit, facit natura mollioris Italiæ, in quam asperitas et altitudo Siciliæ æstum relidit. 16. Italiæ plana ac mollia. 17. Charybdis, quod forte illata naufragia sorbens, gurgitibus occultis milia sexaginta Tauromenitana ad litora trahit. 18. Ubi se laniata navigia fundo emergunt. 19. Charybdis mare vorticosum. 20. Triplici fluctu. 21. Salustius Scyllam saxum esse dicit, simile formæ celebratæ procul visentibus. 22. [Fretum Siciliæ, quod Rhegium dicitur,

6. Non. 321. 23. *Et versi* Codd. 7. idem 260. 31. 8. Arrus s. v. *in* p. 238. 9. idem s. v. *cult.* p. 220. 10. Serv. ad Aen. 2. 201. Serv. Aen. 6. 22. *sortibus*. 11. Serv. G. 3. 475. 12. Prisc. 9. 9. 464. 10. 3. 487. primo loco *ætas* omissum. 13. Serv. ad Aen. 3. 400. 14. Arrus. s. v. *pat.* p. 254. 15. Serv. ad Aen. 3. 414. cfr. Isid. XIII. 18. XIV. 6. Lactant. ad Stat. Theb. 3. 579. 16. Serv. ad Aen. III. 522. 17. Serv. ad Aen. 3. 425. 18. Ar. s. v. *em.* p. 229. 19. Serv. ad Aen. 1. 117. cfr. Plin. H. N. 3. 14. Senec. Q. N. VII. 20. Serv. ad Aen. I. 116. 21. Serv. ad 3. 420. 22. Isid. XIII. 18. cfr. Solin. Polyh. c. 4. Serv. Aen. III. 420. *Charybdis*. „nam sorbet universa et secundum Salustium ea circa Tauromenitanum egerit littus.“ Isidor. XIV. 6. Salustius autem dicit Italiæ coniunctam Siciliam fuisse, sed

Salustius ex tali causa vocari scribit, dicens: Italiæ olim Siciliam coniunctam fuisse, et dum esset una tellus, medium spatium aut per humilitatem obrutum est aquis, aut per angustiam scissum. Et inde ῥήγιον nominatum, quia græce abruptum hoc nomine nuncupatur. Est autem arctissimum, trium milium spatio Siciliam ab Italia dividens, fabulosis infame monstris, quibus hinc inde Scylla et Charybdis ostenditur. Scyllam accolæ saxum in mari inminens appellant, simile celebratæ formæ procul visentibus. Unde et monstruosam speciem fabulæ illi dederant, quasi formam hominis capitibus succinctam caninis, quia collisi ibi fluctus latratus videntur exprimere. Charybdis dicta, quod gurgitibus occultis naves absorbeat. Est enim mare vorticosum et inde ibi laniata naufragia emergunt. Ter autem in die erigit fluctus, et ter absorbet. Nam accipit aquas ut vomat, vomit ut rursus accipiat.] 23. [Pelorium, promontorium Siciliæ, respiciens ad aquilonem, iuxta Salustium dictum a gubernatore Hannibalis illic sepulto; qui fuerat occisus per ignorantiam regis, cum se eius dolo crederet esse deceptum veniens de Petilia.] 24. Atque ea cogentes non coactos, scelestos magis quam miseros distringi. 25. Infrequentem stationem nostram incuriosamque tum ab armis. 26. In quis notissimus quisque aut malo dependens verberabatur, aut immutilato corpore in proris patibulo eminens adfigebatur. 27. Ubi multa nefande casu super ausi atque passi. 28. Exercitum dimisit, ut primum Alpes digressus est.

medium spatium impetu maris divisum et per angustiam scissum. 23. Isid. XIV. 7. Serv. ad Aen. 3. 411. 24. Donat. ad Ter. Hecyr. 4. 1. 21. 25. Arrus. s. v. *inc.* p. 242. 26. Non. 366. 11 in libris est *improbi*; *in proris* conj. Lips. Ant. Lect. 4, 2. 27. Prisc. 14. 4. 602. „Salustius vero in Historiis adverbium hoc protulit: *ubi* etc. sed mihi videtur Salustius quoque loco præpositionis hoc præpostere protulisse." 28. Arrus. s. v. *digr.* p. 223."

Digitized by Google

29. Pompeius devictis Hispanis tropæa in Pyrenæis iugis constituit. 30. At Gn. Lentulus patriciæ gentis, collega eius, cui cognomen Clodiano fuit, per incertum stolidior an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emptoribus bonorum remiserat, exigenda promulgavit. 31. Multitudini ostendens, quam colere plurimum ut mox cupit, ita ministram habere decreverat. 32. Qui quidem mos uti tabes in urbem coierit. 33. L. Hostius Dasianus, inquies animi. 34. Quis in præsens modo satis cautum fuerat. 35. Multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur. 36. Si nihil ante adventum suum inter plebem et patres convenisset, coram se daturum operam. 37. M. Acilius Palicanus humili loco, Picens, loquax magis quam facundus. 38. Cupientissimus legis. 39. Scalas pares mœnium altitudine. 40. Morbi graves ob inediam insolita vescentibus. 41. Implicitæ rates ministeria prohibebant. 42. Sed ubi tempore anni mare classibus patefactum est. 43. Igitur legiones pridie in monte positas arcessivit. 44. Tenuit Lucullus thesauros, custodias regias. 45. Castella, custodias the-

29. Serv. ad Aen. 11. 6. 30. Aul. Gell. 18. 1. 31. Arrus. s. v. *minist.* p. 248. *is ministrum* in libris est, *ita ministram* ex coniectura. 32. Fest. s. v. *tabes* p. 359. OM. pro *coierit* olim legebatur *coniectus*. 33. Arrus. s. v. *inq.* p. 242. 34. idem s. v. *in præs.* p. 242. 35. Non. 186. 20. *habebatur* in libris est, *videbatur* conj. 36. Prisc. 14. 6. 608. 37. Quint. IV. 2. 2. Gell. 1. 15. λαλεῖν ἄριστος ἀδυνατώτατος λέγειν quod Salustius noster imitari volens adscribit: *loquax*, inquit, *magis quam facundus*. locus integer legitur apud Quintilianum. 38. Diomed. 1. 1. 39. Ar. s. v. *par* p. 253. 40. Don. ad Hecyr. 3. 1. 45. 41. Prisc. 9. 7. 455. 42. Serv ad Aen. 1. 146. 43. Prisc. 10. 8. 504. 44. Pomp. Comm. A. D. p. 190. 191. 45. Serv. ad Aen. 11. 801. Charis. p. 83. *acciperentur* Codd. *acciperent* ex coni. *custodias* pro genitivo habuerunt et Donatus et Charisius, falso, si quid video; sed etiam Asper, teste Servio, ita intellexerat; sed alii *custodias* accusativum esse viderunt. Ceterum de numero libri lectio apud Charisium variat inter III. et IV. de fragmento 47. non satis

saurum, in deditionem acciperent. 46. Amisumque adsideri sine prœliis audiebat. 47. [Dum paulatim suis invicem subveniunt, omnes in bellum coacti sunt.] 48. Tetrarchas regesque territos animi firmavit. 49. Qui uxori eius frater erat. 50. Non tu scis, si quas ædis ignis cepit, haud facile sunt defensu, quin acriter comburantur proxumæ? 51. Magnam exorsus orationem. 52. Tum vero Bithyni propinquantes iam amnem Tartanium. 53. Getæ sunt Mysii, quos Sal. a Lucullo dicit esse superatos. 54. Quam maxumis itineribus per regnum Ariobarzanis contendit ad flumen Euphratem; qua in parte Cappadocia ab Armenia diiungitur. Et quamquam ad *id* naves codicariæ occulte per hiemem fabricatæ aderant. 55. Qui prægrediebantur equites cataphracti, ferrea omni specie. 56. Curribus falcatis usos esse antiquos et Livius et Salustius docent. 57. Salustius, auctor certissimus, asserit Tigrim et Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longius dividuntur; quæ tamen terra, quæ ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur. 58. Mesopotameni homines effrenatæ libidinis sunt in utroque sexu, ut Salustius meminit. 59. Namque primum Iasonem novo itinere maris Aeetæ

manifestum est, num Servius tantum adv. *sic* explicet; quod si verum est, hæc verba ipsius Servii non Salustii sunt. 46. Prisc. 8. 15. 419. 47. Serv. ad Aen. 12. 282. 48. Arrus. s. v. *territus*. 49. idem s. v. *frater* p. 231. 50. Char. p. 176. *acriter* ex coni. additum; hoc fragmentum Charisius ex m. laudat, *acriter* omisit, quod ante *comburantur* ponendum est. Pro *Qui ne* quod in Cod. est, legendum *quin*. 51. Arrus. s. v. *exors*. p. 229. 52. idem s. v. *prop.* p. 254. 53. Serv. ad Aen. 7. 604. 54. Non. 535. 15. *ad* est in libris *ad id*. ex conj. fortasse legendum: ad D. i. e. quingentæ. 55. idem 556. 18. 56. Serv. ad Aen. 1. 476. Lactant. ad Stat. Theb. 10. 544. 57. Isid. 13. 21. Hieron. loca Hebr. de Genesi Opp. Tom. 3. p. 202. Vibius Seq. s. v. *Euphrates*. 58. Schol. ad. Iuv. Satir. 1. 104. 59. Prisc. 6. 11. 258.

Digitized by Google

hospitis domum violasse. 60. Insolens vera accipiundi. 61. Ita sperat illam pugnam pro omine belli futuram. 62. Rursus iumenta nacti ad oppidum ire contendunt. 63. Avidior modo properandi factus. 64. Anxius animi atque incertus. 65. Impotens et nimius animi est. 66. Atque edita undique tribus tamen cum muris et magnis turribus. 67. Consilii æger. 68. Equis paria operimenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant. 69. Et sequebantur equites cataphracti. 70. Simul eos et cunctos iam inclinatos laxitate loci plures cohortes atque omnes ut in secunda re pariter acres invadunt. 71. Pluteos rescindit ac munitiones demolitur locoque summo potitur. 72. Clausi lateribus altis pedem. 73. Ita castra sine volnere introitum. 74. Crassus obtrectans potius conlegæ quam boni aut mali publici gravis exactor. 75. Sestertium tricies pepigit a G. Pisone. 76. Qui proxumi loca hostium erant. 77. Qui prætores facibus sibi prælucentes ambustas in tectis sine cura reliquerunt. 78. Stolide castra subgressus. 79. Sapor iuxta fontis dulcissumos. 80. In silva Sila fuerunt. 81. Se regibus devovent et post illos vitam refutant; adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis. 82. Apud

60. Don. ad Andr. 5. 4. 4. 61. Serv. ad Aen 1. 456. idem 10. 311. *pro omni bello* Serv. Aen. 1. 456. varians lectio. 62. Non. 258. 24. 63. Arrus. s. v. *avid.* p. 210. 64. idem s. v. *anx.* p. 216. 65. idem s. v. *nim.* p. 249. 66. Don. ad Andr. 1. 1. 67. 67. Arrus. p. 222. s. v. *æger.* 68. Serv. ad Aen. 11. 770. 69. Idem ibidem. 70. Non. 132. 22. *laxitas et loci* lectio, *laxitate* cj. Merc. idem *acres* pro *acre*, quod in libris est. 71. idem 95. 22. 72. Arrus. s. v. *altus* p. 215. 73. idem s. v. *introit.* p. 243. 74. idem s. v. *obtrect.* p. 250. 75. idem s. v. *pac.* p. 252. 76. idem s. v. *prox.* p. 252. 77. idem s. v. *præl.* p. 256. locus corruptus; num corrigendum: *qui prætextatos* (sive *pueros* — *ambustos* etc. 78. idem s. v. *subgr.* p. 222. 79. idem s. v. *sapor* p. 262. 80. Serv. ad Aen. 12. 715. 81. Serv. G. 4. 218. 211. hæc diversis locis laudata bene iungi posse videntur. 82. Philarg. in G. 4. 49.

Corduennos amomum et alii leves odores gignuntur. 83. Ne inrumiendi pontis sublici . . . sublicibus cavata . . . . . essent. 84. Atque hiavit humus multa vasta et profunda. 85. Salustius scribit in historiis, quod naphtha (thas?) sit genus fomitis apud Persas, quo vel maxime nutriantur incendia.

83. Fest. 293. locus mutilatus, quem ad restitutionem pontis sublicii referunt. 84. Non. 318. 28. 85. Hieron in Dan. c. 3. cfr. Probus p. 1473. (130. Lind.) et hoc naphthas, huius naphthæ, sicut Sal. Histor. 4. Ex multis fragmentis, quæ perperam ad librum IV. rettulit Editor Luneburgensis, duo laudasse satis erit. alterum p. 80· *nam quidem Pyrrho atque Hannibali æquor et terra*, quæ ex Donato ad Phorm. II. 1. 13. laudat. ubi *atque* recte omissum est, sed primum non vidit, hæc verba ex oratione Lepidi excerpta esse: *Nam quid a Pyrrho, Hannibale Philippoque* etc. supra p. 131, 16. tum non intellexit sequentia *et æquore et terra* aliud exemplum esse, ad contrarium probandum: id quod iam verba Donati eum docere poterant: „Superiora ἀσύνδετα, inferiora intermistis coniunctionibus." tum quod idem ad Mithridatem rettulit: *Interdum somno experrectus tumultum facere* ex Diomede p. 375 citatum ad Iugurtham c. 72. pertinet, ubi hæc verba leguntur: *interdum somno excitus arreptis armis t. f.* — Cæterum ex hoc libro epistola Mithridatis ad regem Arsacen excerpta.

Digitized by Google

LIBER V.

Seditiones in exercitu Luculli a Clodio motæ; res ob militum socordiam male geritur. Cilicia provincia ad Marcium translata. Lege Gabinia bellum piraticum Pompeio gerendum demandatur; idem in Phrygia Lucullum convenit.

---

1. At Lucullus, audito Q. Marcium Regem proconsulem per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere. 2. Legiones Valerianæ comperto, lege Gabinia Bithyniam et Pontum consuli datum, sese missos. 3. Regem aversabatur. 4. Ceteri negotia sequebantur familiaria legatorum aut tribunorum, et pars sua, commeatibus mercatis. 5. Spem celebritate

1. Prisc. 18. 4. 122. 2. idem ibid. p. 123. in Codd. est *esse*; inde *sese* quod necessarium est, ex coniectura restitutum. 3. Arrus. s. v. *av.* p. 216. 4. Non. 138. 10. 5. Prisc. 18. 4. 123. magna est lectionum varietas. Cod. Erl. *Spem salubritate* etc. Cod. Mon. B. *Spe celebritate.* MS. Langer. *Spem celeb.* MS. Gphb. *Sepe celebritatis nomine.* Unde aliquis recte coniciat: *Spem celebritate nominis i. t.* et hoc ad Gabinii orationem referat, qui Catulum aliosque honori Pompeii obtrectantes his verbis perstrinxisse videtur; sed etiam vulgata lectio: *sæpe celebritatem* etc. ferri potest; contra in fr. 6. *gratiæ* male a Krehlio repositum iudico, idque ex Catuli oratione excerptum esse, qui vera fautorum Pompeii consilia aperuit. tantum unum vocabulum *gratiæ* me male habet, quod alieno loco positum esse videtur; *quæsitum ire*, quod vulgatum est, et Latine recte dicitur, neque ab hoc loco alienum esse videtur, ubi Priscianus participium pro infinitivo positum esse vult. Etsi structura *properantem quæsitum*

nominis intellego timentem. 6. Video indigentiam dona quæsitum ire properantem. 7. Nam si in Pompeio quid humani evenisset. 8. Quibus de causis Sullam in victoria dictatorem uni sibi descendere equo, adsurgere sella, caput aperire solitum. 9. Inde ortus sermo percontantibus utrimque, satin salve, quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis augerentur. 10. Peractis LXX annis armatus equum insilire. 11. Sed ubi ille militum voluntatem causatur. 12. Cares insulani populi fuerunt, piratica famosi, victi a Minoe, uti Salustius et Thucydides tradunt.

satis defenditur loco ex Licinii Macri oratione: *licentiam in vos auctum atque adiutum properatis*, tamen *prop. quæs. ire* melius se habet, ita ut sententia sit: *video homines egenos dona quærentes, quibus ille studia eorum remuneretur.* 6. idem ibid. 7. Arrus. s. v. *even.* p. 228. 8. Arrus. s. v. *adsurg.* p. 244. Non. 236. 18. 397. 13. Serv. ad Aen. 1. 107. 3. 206. 9. Don. ad Eun. 5. 6. 8. 10. Arrus. s. v. *ins.* p. 243. 11. Arrus. s. v. *kaus.* p. 244. 12. Serv. ad Aen. 8. 725. *Caræ* Serv. propter accusativum *Carasque*, qui est apud Virgilium.

Digitized by

FRAGMENTA INCERTORUM LIBRORUM.

1. Pressi undique multitudine. 2. Nihil socordia claudebat. 3. Pactione amisso Publio legato. 4. Et in prœliis actu promptus. 5. Non pœniturum. 6. Vulgus amat fieri. 7. Serum enim bellum in angustiis futurum. 8. Fecit ut nuntiis confestim lugubribus. 9. Communem habitum transgressus. 10. Haud inpigre, neque inultus occiditur. 11. Hostes oppressi aut dilapsi forent. 12. Ibi triennio frustra trito. 13. Atque eos a tergo incurrerunt. 14. In hunc modum disseruit. 15. Hispaniam sibi antiquam patriam esse. 16. Fœdavere lumen. 17. Quæsere. 18. De insidia prima. 19. [Syphax inter duas canes stans Scipionem appellavit.] 20. Opprobrii gratia. 21. In nuda intecta corpora. 22. Tharros. 23. Camisos. 24. Quæ pacta

1. Don. ad Adelph. 3, 2. 4. 2. Don. ad Eun. 1. 2. 84. 3. Don. ad Phorm. 1. 2. 91. 4. Don. ad Eun. 4. 7. 13. 5. Quint. 9. 4. 12. 6. idem 9. 3. 17. 7. Serv. ad Aen. 5. 524. 6. 569. 12, 864. in duobus extremis locis *enim* omissum est. 8. Char. p. 176. in Cod. est *fersit* vel *fessit* vel *fercit* unde *fecit* ex coni. 9. Prisc. 14. 3. 596. 10. Don. ad And. 1. 2. 34. 11. Isid. 18. 2. 12. Serv. Aen. IV. 271. 13. Rufin. de Schem. lexeos p. 46. Caperr. 14. Prisc. 18. 24. 199. 15. Serv. ad Aen. 1. 380. 3. 297. ad Virgilii verba: *Italiam quæro patriam* „non tamen ut ipsa provincia patria sit, licet in Sallustio lectum sit: Hisp. etc. sed illic ad laudem pertinet non ad veritatem"; recte aliquis hoc ad Sertorium, gratiam Hispanorum quærentem, referat. 16. idem 2. 286. Nam Sallustius de nubibus: 17. Phocas p. 1718. 18. Char. p. 75. 19. Serv. ad Aen. 8. 461. Sallustii esse putat Broukh. 20. Agroet. p. 2270. Ed. Putsch. 21. Diom. 2. 6. 22. 23. Prob. Cath. 1465. 1473. 24. Don. ad Eun. 3. 2. 13.

in conventione non præstitissent. 25. Cui nisi pariter obviam iretur. 26. More equestris prælii sumptis tergis atque redditis. 27. Regressi ad faciliores ictus loco cedebant. 28. Equo atque armis insignibus. 29. Apud latera certos collocaverat. 30. Cum inferior omni via grassaretur. 31. Ad Iovis mandem nostra. 32. Graviore bello, qui prohibituri venerant, socios fregere. 33. Et æquore et terra. 34. Neu quis miles neve pro milite. 35. Tergis vinciebant. 36. Quem trans stagnum omnis usque ad flumen. 37. Atque ipse cultus rei. 38. Simul inmanis hominum vis multis e locis invasere patentes tum et pacis modo effusas. 39. Genua patrum advolvuntur. 40. Quæ magalia sunt circumiecta civitati, suburbana ædificia. 41. Cum murum hostium successisset, pœnas dederat. 42. *Sed* modo inceptiva particula est, ut in Salustio sæpius. 43. Soleas festinate. 44. Cultu corporis ornata egregio. 45. Sin vis obsistat, ferro quam fame æquius perituros. 46. Consedit in valle virgulta nemorosaque. 47. Paululum requietis militibus. 48. Vitabundus per loca saltuosa recedebat. 49. Radicem montis excessit.

25. idem 1. 2. 13. 26. Serv. ad Aen. 11. 619. 27. idem 9. 749. 28. idem 10. 539. 29. idem 1. 576. 30. Macrob. de differ. et soc. Gr. et Lat. verbi p. 332. Ed Bip. 31. Don. Ad. 4. 2. 43. 32. Don. ad Hecyr. 5. 1. 32. *Graviore bello, qui prohibituri venerant socii, frigere* Don. *socios fregere* ex conj. 33. idem Phorm. 2. 1. 13. *Nam quidem a Pyrrho Hannibale et æquore et terra* Don. locus corruptus ex oratione Lepidi; sed verba *et æquore et terra* ibi non leguntur, ita ut hæc pro peculiari fragmento haberi possint; scilicet hæc verba laudata sunt, ut et ἀσύνδετα et coniuncta orationis membra exemplis illustrentur. 34. Serv. ad Aen. 2. 157. 35. idem 9. 412. 36. Philarg. G. 4. 293. 37. Hor. Sat. 2. 2. Schol. Cruq. 38. Serv. ad Aen. 1. 299. 39. idem 1. 307. 40. idem 1. 421. 41. Serv. Virg. Eclog. 5. 5. 42. Serv. ad Aen. II. 410. 43. idem 12. 425. 44. Serv. G. 1. 3. 45. Serv. ad Aen. 3. 265. 46. idem 3. 516. 47. Serv. ad V. Eclog. 8. 4. laudatur Histor. VI. 48. Diom. p. 224. p. 397. Ed. Putsch. cfr. Sal. Iugurtha 38. *ipse quasi vitabundus per saltuosa loca exercitum ductare.* 49. Lactant. Stat. Theb. 3. 16.

Digitized by Google

50. Inbecilla est fortitudo, dum pendet. 51. Luxo pede. 52. Ille Conisturgim apud legiones venit. 53. In Hispaniam versus. 54. Qua accidam aut quo. 55. Speciem captæ urbis efficere discedentes. 56. Alis alibi stantes tamen advorsis volneribus conciderunt. 57. Nam talia incepta si in consultorem vertissent, rei publicæ pestem factura. 58. Vizzo. Stobos. 59. Quæ cis paucos dies iuncta in armis sunt. 60. Orion, ut Salustius dixit, oritur iuxta solis æstivi pulsum. 61. Vices i. e. pugnas, quia per vicissitudinem pugnabatur, ut et Salustius docet. 62. Medio ponto, potest quidem intellegi secundum Salustium procul a continenti. 63. Salustius dicit ubique nova æstas, adulta, præceps. 64. Virgilius in peste describenda sequitur ordinem quem et Lucretius tenuit et Salustius, primo aerem, inde aquam, post pabula esse corrupta. 65. Eo redeunte domum salutaret apud ædem Bellonæ. 66. Ne qua contumelia. 67. Tenebat i. e. defendebat est militare verbum, ut etiam Salustius dicit. 68. Senecta iam ætate. 69. Citra Padum omnibus lex Lucania phratra fuit. 70. Bella atque paces exercebant. 71. Luces. 72. Nam

50. idem ad eund. 5. 384. 51. Prob. Cath. 1476. 52. Pomp. Comm. A. D. p. 395. Ed. Lind. 53. Prisc. de xii. Vers. Aen. c. 13. p. 152. Ed. Kr. falso hæc ex Catilinario laudantur. 54. Don. ad Hecyr. 3. 3. 18. locus corruptus, fortasse ex Adherbalis oratione petitus, Iug. 14. 55. Serv. ad Aen. 8. 557. 56. Char. p. 133. Diom. p. 323. cfr. Catilina c. 61. 57. Don. ad Aen. 1. 37. locus corruptus; *si—in* mea est e coniectura. 58. Prob. Cath. 1450. 1462. 59. Cledon. 1993. 60. Serv. ad Aen. 5. 626. 61. idem 2. 433. 62. idem 3. 104. 63. Serv. Georg. 1. 43. Aen. i. 430. 64. idem Georg. 3. 481. 65. Intt. Virg. a Maio editi p. 43. 66. Don. ad Ter. Eun. 4. 7. 1. 67. Serv. ad Aen. 8. 653. 68. Serv. ad Aen. 11. 165. 69. Cledon. p. 1934. locus corruptus, cui nisi novis libris MSS. inspectis, vix ullam probabilem adhibeas medelam. 70. idem p. 1898. 71. Serv. in sec. Arte Don. p. 18. 72. laudatur vulgo Serv. in Georg. iii. 481. sed

ex aeris et aquæ corruptione frugibus infectis gravior etiam animantibus pestilentia coorta est. 73. Aliaque propter. 74. Cuncta potiendi. 75. Salustius tamen *necessitudinem* sæpe pro necessitate ponit. 76. Novissume. 77. Exercitum maiorum more vertere. 78. Virtuti satis credebant. 79. Quotiens magni alicuius mors ab historicis narrata est, totiens fere consummatio vitæ et quasi funebris laudatio redditur. Hoc semel atque iterum a Thucydide factum, itidem in paucissumis personis usurpatum a Salustio. 80. [Mithridates] auctore Salustio et fratrem et sororem occidit. 81. [Ut dicit Salustius] Lucullus pecuniam Quintio dedit, ne illi succederetur. 82. In modico quoque et *clemente* imperio percarus fuit. 83. *Piget* et *Pudet* a Salustio simul ponuntur. 84. Qui *plus* poterat, plus iuris habere videbatur. 85. Pyrrhus a colore comæ dictus quod Latine Burrhus dicitur, ita et Salustius Crispus. 86. Prohibet nocere venenum, quod tibi datur. 87. Visuros. 88. Duci probare. 89. Imbecilla est fortitudo,

ibi similia quidem sed non eadem verba leguntur, ita ut certa huius loci auctoritas adhuc desideretur. 73. Arrus. s. v. *propter* p. 255. 74. idem s. v. *potit.* p. 251. hæc duo loca falso ex Iugurtha laudantur. 75. Charis. Ed. Lindem. p. 56. 76. Gell. 10. 2. 77. Serv. ad Aen. v. 408. 78. Serv. ad Virg. Eclog. 2. 17. idem 7. 41. hoc fragm. fortasse ex Iugurtha excerptum c. 106. *virtuti suorum satis credere.* 79. Senecæ Suasoriarum lib. VII. p. 41. Ed. Bip. 80. Schol. Gronov. ad Cic. pro Manil. 9. 22. p. 439 Orelli. 81. Idem ad 10. 28. p. 441 Orelli. 82. Schol. Lucani 7, 267. ex coniectura Rothii: nam in uno Codice *modico*, in altero *immodico* scriptum, pro *clementi* legitur *et eleganti* sive *elegantum*, sed fortasse rectius: *immodico quoque ut eleganti imp. p. f.* 83. Serv. Aen. 4. 336. 84. Schol. Lucan. I. 175. prius *plus* excidit, supplevit Roth. 85. Serv. ad Virg. Aen. II. 469. cfr. Interpp. ad Quintil. I. 4. 44. Castal. Observ. Dec. v. 8. 86. Gramm. Incert. p. 359. Ed. Otto cfr. Schol. Lucani I. 377. 87. Quintil. IX. 3. pag. 802. Ed. Burm. i. e. „ad videndum missos.“ 88. Idem l. l. 89. Quinctil. VIII. 3. 44.

Digitized by Google

dum pendet. 90. *Ἄζιλις, πόλις Λιβύης· οἱ δὲ περὶ Σαλούσιον οὐ πόλιν, ἀλλὰ τόπον φασὶ καὶ ποταμὸν εἶναι.* 91. *Σαλουσίου δὲ θαυμάζω τότε πρῶτον ὦφθαι Ῥωμαίοις καμήλους λέγοντος.* 92. *Σαλούσιος μὲν οὖν φησὶ χαλεπῶς διατεθῆναι τοὺς στρατιώτας πρὸς αὐτὸν, εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου πρὸς Κυζίκῳ καὶ πάλιν πρὸς Ἀμισῷ δύο χειμῶνας ἐξῆς ἐν χάραξι διαγαγεῖν ἀναγκασθέντας.*

90. Steph. Byz. s. v. *Ἄζιλις*. 91. Plutarch. V. Luculli c. 11. 92. Idem l. l. c. 33. Alia quæ laudantur fragmenta, rectius omittuntur ut ex. gr. Lactant. ad Stat. Theb. x. 539. „*falcato* i. e. falces habente; hoc genus armorum etiam Salustius describit" nam ad idem refertur quod supra laudatum est pag. 214. *urbe patriaque extorres* quod Editor Luneburgensis laudat I. 74. nam idem est quod *orbe terrarum extorres*, quod est apud Arrusianum p. 229. supra p. 218. — Serv. Aen. XI. 421. *Unde laudat Salustius duces, qui victoriam incruento exercitu reportarunt*, supra p. 214. laudatum est. — *patrare bellum* Quinctil. VIII. 3. 44. nam bis in Iugurthino hæc eadem dictio legitur c. 75. et 93. Sed addi poterat Charisius Instit. Gramm. p. 76. „Ostia, exitus fluminum in mare, neutro genere semper dicitur, sed si urbem significare velis, singularem potius numerum observabis, quamvis Salustius frequenter etiam plurali numero urbem significet." De reliquis cfr. Adnotatio Critica.

Ceterum non est diffitendum, multa scriptorum loca Salustianis fragmentis addi potuisse, si quidem omnia laudanda sunt, ubi scriptorem quendam Salustii vestigia pressisse probabile est. De Sardinia eiusque insulæ antiquitatibus Salustium pluribus egisse iam ex iis, quæ initio libri secundi citata sunt exemplis satis manifestum est. cfr. fr. 2. 3. II. 191. quibus ex locis intelligitur Isidorum non modo iisdem fere verbis usum fuisse, sed etiam ordinem verborum retinuisse. Ipsum etiam nomen *Ichnusam* apud Salustium scriptum fuisse, unius certe codicis auctoritate apud Solinum firmatur. cfr. Solinus Polyhistor c. 10. Ex quo Editores et Luneburgensis et Parisinus hæc verba pro Salustianis laudarunt: „Mox Aristæum regnando his proximum in urbe Carali, quam condiderat ipse, coniuncto populo utriusque sanguinis, seiuges usque ad se gentes ad unum morem coniugasse, imperium ex insolentia

nihil aspernatas.“ Præterea ex Isidoro addiderunt: „Fontes habet Sardinia calidos, infirmis medelam præbentes, furibus caecitatem, si sacramento dato oculos aquæ eius tetigerint.“ Quæ cur potius pro Salustianis habenda sint, quam quæ multo diligentius apud Solinum c. 10. scripta sunt, equidem non intelligo. Præterea verba poterant addi ex eodem Isidoro: „In ea neque serpens gignitur, neque lupus, sed solifuga tantum, animal exiguum, hominibus perniciosum.“ quæ ita supplet Solinus: „Sed quod aliis locis serpens, hoc solifuga Sardis agris; animal perexiguum simileque araneis forma, solifuga dicta, quod solem fugiat. In metallis argentariis plurima est; nam solum illud argenti dives est; occultim reptat et per imprudentiam supersedentibus pestem facit.“

Itidem de Insula Corsica multa ex Salustio expressa, quæ apud Isidorum XIV. 6. leguntur et ad fragm. 4. 5. Lib. II. illustranda faciunt.

Augustinum quoque, cum plurimum Salustio tribuerit, sæpius quam eum auctorem laudet, verba eius expressisse, nemo est qui nesciat; quibus quidem locis ea adnumeranda esse videntur quæ lib. III. c. 27. leguntur: „Illo bello Mariano atque Syllano, exceptis his, qui foris in acie ceciderunt, in ipsa quoque urbe cadaveribus vici, plateæ, fora, theatra, templa completa sunt; ut difficile iudicaretur, quando victores plus funerum ediderint, utrum prius ut vincerent, an postea, quia vicissent: Cum primum victoria Mariana, quando de exilio se ipse restituit, exceptis passim quaqua versum cædibus factis, caput Octavii consulis poneretur in rostris, Cæsar et Fimbria in domibus trucidarentur suis, duo Crassi pater et filius in conspectu mutuo mactarentur, Bebius et Numitorius unco tracti sparsis visceribus interirent, Catulus hausto veneno se manibus inimicorum subtraheret, Merula, flamen Dialis, præcisis venis Iovi etiam suo sanguine litaret. In ipsius autem Marii oculis continuo feriebantur, quibus salutantibus dexteram porrigere noluisset.“

Sed ut multa alia eiusmodi loca inveniri posse existimo, ita hæc ad Salustianam orationem illustrandam non multum facere constat, et quod horum librorum argumentum attinet, id multis scriptorum testimoniis iam satis apertum est, ut plura addere non opus sit.

Digitized by Google

HISTORICORUM VETERUM ROMANORUM

RELIQUIAE.

COLLEGIT ET DISPOSUIT

CAROLUS LUDOVICUS ROTH.

I. FABIUS PICTOR.

1. Erat historia nihil aliud nisi annalium confectio . . . hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarum rerum reliquerunt . . . talis noster Cato et Pictor et Piso, qui neque tenent quibus rebus ornetur oratio . . . et, dum intelligatur quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem. *Cicero de oratore* 2, 12, 52 *sq.* Nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse iucundius, si aut ad Fabium aut ad . . . Catonem aut ad Pisonem aut ad Fannium aut ad Venonium venias, quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile quam isti omnes? *Cicero de legibus* 1, 2, 6. Historiam [scripsit] Pictor incondite. *Fronto ad Verum p.* 170 *Rom.* Nec absimiles historias ediderunt quotquot Romani homines urbis suae res antiquas Graeco sermone scripserunt. Quorum vetustissimi sunt Q. Fabius et L. Cincius, ambo aequales bellis Punicis; horum uterque ea quibus ipse interfuit, ut probe sibi cognita, diligenter mandavit litteris; quae vero olim post urbem conditam deinceps consecuta sunt, contentus fuit summatim percurrere. *Dionysius Halic.* 1, 6. 2. Repertores litterarum Cadmus ex Phoenice in Graeciam et Euander ad nos transtulerunt . . . litteras numero sedecim . . . ex nostris Cincius, Fabius, Gellius tradiderunt. *Marius Victorinus artis gramm. I p.* 2468 *P.* 3. Fabius Pictor dicit, quod Amata inedia se interemit. *Ser-*

vius ad Verg. Aen. 12, 603. 4. [Fabulis] adiungatur etiam Aeneae somnium, quod in Numerii Fabii Pictoris Graecis annalibus eius modi est, ut omnia quae ab Aenea gesta sunt quaeque illi acciderunt ea fuerint, quae ei secundum quietem visa sunt. *Cicero de divin.* 1, 21, 43. 5. De nomine Albae Longae Fabius, qui res a Romanis gestas conscripsit, aliam fabulam prodidit. Ait enim Aeneae dàtum fuisse oraculum, fore ut animal quadrupes condendae urbis dux ei fieret. Iam cum sacra facturus esset, suem foetam colore albo manibus elapsam in collem quendam confugisse ibique triginta porcellos enixam esse. Aeneam portentum id admiratum oraculique responsum reputantem urbem illo loco condere coepisse; cum vero per quietem somnium vidisset, quo clarissime vetabatur et post triginta annos, quot numero porcelli fuerant, urbem extruere iubebatur, ab incepto destitisse. Post Aeneae mortem Ascanium filium eius regno accepto, cum triginta anni praeterissent, collem aedificiis munivisse eamque urbem Albam appellavisse de colore suis (nam Latini sua lingua *τὴν λευκήν* albam vocant); alterum vero nomen imposuisse Longam, id est *μακράν*, propterea quod parum in latitudinem patens in longum magnopere porrecta esset. *Diodorus lib. VII apud Eusebium chronic. I; priorem fragmenti partem Syncellus graece servavit, posteriorem ex armenia versione interpretati sunt Maius p.* 210 *et Aucher p.* 387. 6. Fabius Pictor lib. 1. et Vennonius solito institutoque egressam [Iliam, Vestalem] virginem in usum sacrorum aquam petitum ex eo fonte, qui erat in luco Martis; subito imbribus tonitrubusque quae cum illa erant disiectis, a Marte compressam conturbatamque; mox recreatam consolatione dei nomen suum indicantis affirmantisque, ex ea natos dignos patre evasuros. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 20, 1. 'Lupus' masculinum, quamquam Varro in eo libro, quo initia urbis Romae enarrat,

Digitized by Google

lupum feminam dicit, Ennium Pictoremque Fabium secutus. *Quintilianus inst. orat.* 1, 6, 12. Fabius speluncam Martis dixit, [in quam lupa se recepit.] *Servius ad Verg. Aen.* 8, 630. Fabius Pictor Rerum gestarum lib. 1: et simul videbant picum Martium. *Nonius p.* 518, 28. *Ceterum de Romulo et Remo in Tiberim proiectis et a lupa nutritis educatisque a Faustulo, tum de Amulio obtruncato et Numitore in regnum restituto prolixae extant narrationes e Fabio Pictore excerptae tam apud Dionysium Halicarnasseum* 1, 79—89 *(ex quo sua ad verbum descripsit Nicolaus Damascenus ap. Müllerum in fragm. hist. graec. t.* 3 *p.* 409 *sqq.) quam apud Plutarchum in Romuli vita cap.* 3—8. *Quorum ille Q. Fabium Pictorem secutos ait L. Cincium, Porcium Catonem, Calpurnium Pisonem reliquorumque scriptorum plerosque; contra ea Plutarchus Fabium Pictorem pendere in plurimis dicit a Diocle Peparethio; uterque Fabianam narrandi seriem interpolavit argumentationibus.* 7. Q. Fabius [Romam conditam ait] olympiadis octavae anno primo. *Dionysius Hal.* 1, 74. *Eusebius chron. I p.* 208 *Mai. p.* 383 *Aucher. Syncellus p.* 193. Cincio Romam duodecima olympiade placet conditam, Pictori octava. *Solinus polyh.* 2. 8. Quarto autem mense post quam urbs condita est, ut Fabius narrat, raptus mulierum [Sabinarum] perpetratus est. *Plutarchus Romulo* 14. 9. *De Tarpeia, praefecti arcis Capitolinae filia, cum Tatio Sabinorum rege proditionem moliente ac postremo scutis obruta Fabium et Cincium auctores citat Dionysius Halic.* 2, 38—40. 10. Fabius Pictor in annalibus suis scripsit matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinariae cellae, resignavisset, a suis inedia mori coactam. *Plinius nat. hist.* 14, 13, 89. 11. Divisit [Servius Tullius] etiam agrum universum, ut Fabius quidem ait, in partes XXVI, quas et ipsas tribus appellat, additisque quatuor urbanis omnes XXX tribus sub Tullio confectas tradit. *Dionysius Halic.* 4, 15. 12. [Ser-

Digitized by Google

vius Tullius] exercitum omnem . . . lustravit . . . Milia octoginta eo lustro civium censa dicuntur. Adicit scriptorum antiquissimus Fabius Pictor, eorum qui arma ferre possent, eum numerum fuisse. *Livius* 1, 44, 2. 13. *Longa argumentatione usus Dionysius Halic.* 4, 6 *sq. exponit, cur fides non habenda sit Fabio ceterisque historicis, qui L. Tarquinium Superbum et Arruntem Tarquinium Prisci Tarquinii regis filios tradiderint, at vero solius L. Pisonis Frugi auctoritas sequenda, qui nepotes eos fecerit.* 14. In Capitolio quis est hominum qui ignoret Oli esse sepulcrum Vulcentani? . . . Quod si planum fieri testimoniis postulatis auctorum, Samonicus, Granius, Valerianus vobis et Fabius indicabunt, cuius Aulus fuerit filius, gentis et nationis cuius, ut a germani servulis vita fuerit spoliatus et lumine, quid de suis commeruerit civibus, ut ei sit abnegata telluris patriae sepultura; condiscetis etiam, quamvis nolle istud publicare se fingant, quid sit capite resecto factum vel in parte qua rei (*areae?*) curiosa fuerit obscuritate conclusum: ut immobilis videlicet atque fixa obsignati ominis perpetuitas staret. *Arnobius adv. gentes* 6, 7. 15. [In aedificando templo Iovis Capitolini] augebatur ad impensas regis animus; itaque Pometianae manubiae, quae perducendo ad culmen operi destinatae erant, vix in fundamenta suppeditavere. Eo magis Fabio, praeterquam quod antiquior est, crediderim quadraginta ea sola talenta fuisse, quam Pisoni qui quadraginta milia pondo argenti seposita in eam rem scribit. *Livius* 1, 55, 7. 8. 16. [L. Tarquinium Collatinum] Fabius filium ait fuisse Egerii, quem supra dixi fuisse Tarquinii Prisci e fratre nepotem . . . isque habebat eandem quam Tarquinii filii aetatem, ut Fabius et plerique scriptores tradiderunt. *Dionysius Halic.* 4, 64. 17. Hic rursum mihi Fabii facienda est mentio et eius in temporum computatione redarguenda indiligentia. Progressus enim ad Arruntis interitum, non in illo tantum lapsus est, de

Digitized by Google

quo supra monui, ut Arruntem Tarquinii filium fuisse proderet, sed hoc alterum addidit, ut sepultum traderet a matre Tanaquile, quae illo quidem tempore superfuisse nullo pacto potuit. *Dionysius Halic.* 4, 30. 18. Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Caelius [produnt:] Cum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata. Itaque ludis intermissis instaurativi constituti sunt. Qui antequam fierent cumque iam populus consedisset, servus per circum cum virgis caederetur furcam ferens ductus est. Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire qui diceret, praesulem sibi non placuisse ludis, idque ab eodem iussum esse eum senatui nuntiare; illum non ausum. Iterum esse idem iussum et monitum ne vim suam experiri vellet; ne tum quidem esse ausum. Exin filium eius esse mortuum, eandem in somnis admonitionem fuisse tertiam. Tum illum etiam debilem factum rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum, cumque senatui somnium enarravisset, pedibus suis salvum revertisse. Itaque somnio comprobato a senatu, ludos illos iterum instauratos memoriae proditum est. *Cicero de divin.* 1, 26, 55. 19. *Eadem re narrata Dionysius Hal. ludi Circenses quo ordine fieri soliti sint exponere instituit copiose, eo consilio ut demonstret tantam Romanorum institutorum cum Graecis similitudinem atque convenientiam non temere aut casu ortam, sed ab antiquissimis temporibus permansisse, propterea quod veteres Romani Graecanicae originis fuerint.* Ego vero, inquit, ne quis absurde suspicetur hosce mores ac ritus admodum nuper post devictam Graeciam Romanos didicisse, argumenta sumam ex illo tempore, quo nec Graeciam tenebant nec alias transmarinas provincias, Q. Fabium auctorem secutus neque cuiusquam praeterea testimonio usus; est enim is antiquissimus eorum qui res Romanas scripserunt neque solum ex iis quae audivit, sed

etiam iis quae praesens ipse vidit, facit scriptis a se fidem. *Dionysius Halic.* 4, 70—73. 20. Apud Fabium longe antiquissimum auctorem usque ad senectutem vixisse [Coriolanum] invenio. Refert certe hanc saepe eum exacta aetate usurpasse vocem, multo miserius seni exilium esse. *Livius* 2, 40, 11. 21. Forte in libraria . . . expositi erant Fabii annales, bonae atque sincerae vetustatis libri, quos venditor sine mendis esse contendebat. Grammaticus autem quispiam de nobilioribus . . . ostendebat ita scriptum in libro quarto: 'quapropter tum primum ex plebe alter consul factus est, duoetvicesimo anno post quam Romam Galli ceperunt.' Non, inquit, duoetvicesimo, sed duodevicesimo scribi oportuit; quid enim est duoetvicesimo? *Gellius* 5, 4. 22. Auctores habeo bis cum hoste signa collata [a Q. Fabio Rulliano magistro equitum, Papirio] dictatore absente, bis rem egregie gestam; apud antiquissimos scriptores una haec pugna invenitur; in quibusdam annalibus tota res praetermissa est. Magister equitum, ut ex tanta caede multis potitus spoliis, congesta in ingentem acervum hostilia arma subdito igne concremavit, seu votum id deorum cuipiam fuit, seu credere libet Fabio auctori eo factum, ne suae gloriae fructum dictator caperet nomenque ibi scriberet aut spolia in triumpho ferret. *Livius* 8, 30, 7—9. 23. Et huius anni parum constans memoria est. Postumium [consulem] auctor est Claudius, in Samnio captis aliquot urbibus, in Apulia fusum fugatumque, saucium ipsum cum paucis Luceriam compulsum; ab Atilio [altero consule] in Etruria res gestas eumque triumphasse. Fabius ambo consules in Samnio et ad Luceriam res gessisse scribit, traductumque in Etruriam exercitum (sed ab utro consule non adiecit) et ad Luceriam utrimque multos occisos, inque ea pugna Iovis Statoris aedem votam, ut Romulus ante voverat, sed fanum tantum, id est locus templo effatus sacratus

Digitized by Google

fuerat. *Livius* 10, 37, 13. 14. 24. Ait Fabius historiarum scriptor Romanos tum demum divitias sensisse, cum hanc gentem [Sabinorum] perdomuissent. *Strabo* 5, 3, 1. *p.* 228. 25. Me vero ut de hoc bello [Punico primo] diligentius exponerem, haec quoque causa movit, quod qui plurimam rerum scientiam ad illud scribendum attulisse videntur, Philinus et Fabius, verum non ea fide qua oportebat prodiderunt. Ac de industria quidem mentitos, cum vitam eorum ac studia specto, non existimo; sed accidit illis simile fere quale amantibus solet. Nam propter partium studium et effusum in Carthaginienses favorem Philino quidem hi omnia prudenter, recte, fortiter videntur fecisse, Romani secus; Fabius vero contrarium sequitur . . . Ac Philinum quidem in universo opere talem invenias, sed pariter talem quoque Fabium, ut suis locis ostendetur. *Polybius I*, 14, 1—3. 15, 12. 26. [Hamilcar et Romani in Eryce monte acriter pugnantes] postquam omnibus artibus usi et omne inopiae genus perpessi nihil aut pugnarum aut insidiarum intemptatum reliquerunt, tandem, non ut Fabius ait viribus exhausti et victi malis, sed ut constantes et imperterriti quidam viri bellum composuerunt. *Polybius* 1, 58, 4. 5. 27. [Metu Gallici belli] permoti consules totius Italiae ad praesidium imperii contraxere vires. Quo facto in utriusque consulis exercitu octingenta milia armatorum fuisse referuntur, sicut Fabius historicus, qui eidem bello interfuit, scripsit; ex quibus Romanorum et Campanorum fuerunt peditum trecenta quadraginta octo milia ducenti, equitum vero viginti sex milia sexcenti, cetera multitudo sociorum fuit. *Orosius* 4, 13. Traditumque est a Fabio historico, qui ei bello interfuit, DCCC milia hominum parata ad id bellum fuisse. *Eutropius* 3, 5. 28. Tradit et Fabius Pictor in annalibus suis, cum obsideretur praesidium Romanum a Ligustinis, hirundinem a pullis ad se allatam, ut lino ad pedem

eius alligato nodis significaret, quoto die adveniente auxilio eruptio fieri deberet. *Plinius nat. hist.* 10, 24, 71. 29. Fabius historiarum scriptor Romanus bello Hannibalico praeter iniuriam Saguntinis illatam causam etiam praebuisse ait Hasdrubalis avaritiam et dominandi cupiditatem. Illum enim magnam, dum in Hispania versatur, potentiam adeptum postea in Africam redisse et id egisse, ut sublatis patriae legibus Carthaginiensium rem publicam in regii imperii formam redigeret; sed principes civitatis, perspecto illius consilio, magno consensu obstitisse. Quod cum sensisset Hasdrubal, Africa iterum decessisse et in Hispania posthac ita se gessisse, ut senatus Carthaginiensium rationem haberet nullam. Hannibalem vero, qui eius consiliorum a pueritia conscius et adiutor fuisset, imperio in Hispania suscepto, in gerendis rebus idem atque Hasdrubalem tenuisse propositum. Itaque hoc etiam bellum ultro intulisse Romanis, ipsis Carthaginiensibus invitis; neminem enim Carthagine, qui quidem aliquo loco habitus esset, probavisse ea quae in Saguntinos Hannibal fecit. His expositis deinde narrat, Sagunto capta legatos Romanos aut Hannibalem sibi a Poenis dedendum aut bellum suscipiendum censuisse. *Hisce refutatis Polybius ita pergit:* Sunt enim qui . . . cum cogitant illis temporibus scriptorem aequalem fuisse, praeterea senatorii ordinis, quidquid ab eo dictum est continuo pro vero accipiant; ego vero, ut scriptoris fidem haudquaquam parvi facio, ita non absolutam habendam censeo, sed ex ipsis quae narrantur rebus aestimandam. *Polybius* 3, 8. 9. 30. Haec est nobilis ad Trasimenum pugna atque inter paucas memorata populi Romani clades. Quindecim milia Romanorum in acie caesa sunt, decem milia sparsa fuga per omnem Etruriam diversis itineribus urbem petiere; mille quingenti hostium in acie, multi postea utrimque ex vulneribus periere. Multiplex caedes utrimque facta traditur ab aliis.

Digitized by Google

Ego praeterquam quod nihil haustum ex vano velim, . . . Fabium aequalem temporibus huiusce belli potissimum auctorem habui. *Livius* 22, 7, 1—4. 31. Fabius Pictor historicus Romanus negat ulli magistratui Romanorum licere quicquam de publicis bonis in suos usus convertere. *Suidas s. v. Φάβιος.* 32. Senatus Q. Fabium, eum qui de hisce rebus memoriae prodidit, Delphos misit sciscitatum, quaenam futura finis tantis cladibus foret. *Appianus b. Hannib.* 27. 33. Vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt . . . Ser. Fabius Pictor, et iuris et litterarum et antiquitatis bene peritus. *Cicero in Bruto* 21, 81.

II. L. CINCIUS ALIMENTUS.

1. Graeco sermone scripserunt Romanorum vetustissimi Q. Fabius et L. Cincius etc. *Dionysius Halic.* 1, 6. *supra p.* 251. 2. Repertores litterarum Cadmus ex Phoenice in Graeciam et Euander ad nos transtulerunt ABCDEIKLMNOPQRST litteras numero sedecim. Postea quasdam a Palamede et alias a Simonide adiectas implesse numerum XXIV . . . ex nostris Cincius, Fabius, Gellius tradiderunt. Ex quibus Cincius: paucis, inquit, commutatis, ut ad linguam nostram pervenirent; eas namque Cadmus ex Phoenice in Graeciam, unde ad nos Euander transtulerat. *Marius Victorinus art. gramm.* 1, 4, 95. 96. *p.* 2468 *P.* 3. Quidam Faunos putant dictos ab eo quod frugibus faveant. Cincius et Cassius aiunt ab Euandro Faunum deum appellatum, ideoque aedes sacras faunas primo appellatas, postea fana dicta, et ex eo qui futura praecinerent fanaticos dici. *Servius ad Verg. Georg.* 1, 10. 4. Post

Digitized by Google

haec Ascanius completis in Lavinio triginta annis, recordatus novae urbis condendae tempus advenisse ex numero porcorum, quos pepererat sus alba, circumspectis diligenter finitimis regionibus, speculatus montem editum, qui nunc ab ea urbe quae in eo condita est Albanus nuncupatur, civitatem communit eamque ex forma, quod ita in longum porrecta est, Longam, ex colore suis Albam cognominavit. Cumque illuc simulacra deorum Penatium transtulisset, postridie apud Lavinium apparuerunt; rursusque relata Albam appositisque custodibus, nescio quatenus se Lavinium in pristinam sedem identidem receperunt. Itaque tertio nemo ausus est amovere ea, ut scriptum est in Annali pontificum IV. lib. Cincii et Caesaris II, Tuberonis I. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 17. 5. Igitur regnante Latino Silvio coloniae deductae sunt Praeneste, Tibur, Gabii, Tusculum, Cora, Pometia, Locri [*Lavici,*] Crustumium, Camena [*Cameria,*] Ronillae [*Bovillae, Boilum vel Bola?*] ceteraque oppida circumquaque. Post eum regnavit Tiberius Silvius, Silvii filius. Qui cum adversus finitimos bellum inferentes copias eduxisset, inter proeliantes depulsus in Albulam flumen deperiit mutandique nominis extitit causa, ut scribunt Lucius Cincius lib. I. Lucatius lib. III. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 18. 6. Lucius Cincius, vir ex ordine senatorio, anno fere quarto duodecimae olympiadis [Romam conditam statuit.] *Dionysius Halic.* 1, 74. *Eusebius chron. I. p.* 208 *Mai. Syncellus p.* 193 *D.* Cincio Romam duodecima olympiade placet conditam. *Solinus polyh.* 2. 7. De natis ex Ilia pueris Q. Fabius Pictor, quem L. Cincius et Cato Porcius et Piso Calpurnius et reliquorum scriptorum plurimi secuti sunt, sic tradit etc. *Dionysius Hal.* 1, 79—83. *supra p.* 253. 8. De Tarpeia Fabius et Cincius sic produnt etc. *Dionysius Hal.* 2, 38—40. *supra p.* 253. 9. De Maelii exitu scriptores fide dignissimos secutus sum; verum apponam

Digitized by Google

etiam narrationem minus mihi probatam, qua Cincius et Calpurnius Romani scriptores usi sunt. Qui neque dictatorem a senatu Quintium neque magistrum equitum a Quintio Servilium creatum produnt, sed re a Minucio delata senatores, qui in curia aderant, scribunt fidem indicio habuisse, et cum de senioribus quidam hominem indicta causa occidendum censuisset, hac sententia comprobata continuo eam rem Servilio acerrimo iuveni ac manu forti mandasse. Tum hunc gladio sub ala occultato ad Maelium foro discedentem contendisse propiusque accedentem dixisse, velle se cum eo de gravi quadam arcanaque re colloqui. Cumque Maelius circumstantes paulum recedere iussisset, ubi solum vidit, gladium strinxisse et in iugulum illi demisisse. Caede perpetrata cursu in curiam, considente etiam tunc senatu, properavisse, tenentem manu ferrum sanguine madens et vociferantem ad insequentes, patrum iussu se tyrannum sustulisse. Audito patrum nomine, qui modo manum inferre ac caedere parati erant substitisse neque quicquam per vim commisisse. Hinc etiam cognomen Alam ei dicunt inditum, quod ferro sub ala occultato petiverit hominem; alas enim Romani *τὰς μάλας* dicunt. *Dionysius Halic. XII. in excerptis e codice Escorialensi editis a Federo I p.* 48 *et a Müllero fragm. hist. graec. t.* 2 *p. XXXVI.* 10. Ea religione adductus senatus dictatorem clavi figendi causa dici iussit . . . Lex vetusta est, priscis litteris verbisque scripta, ut qui praetor maximus sit Idibus Septembribus clavum pangat; fixa fuit dextro lateri aedis Iovis optimi maximi, ex qua parte Minervae templum est. Eum clavum, quia rarae per ea tempora litterae erant, notam numeri annorum fuisse ferunt, eoque Minervae templo dicatam legem, quia numerus Minervae inventum sit. Volsiniis quoque clavos indices numeri annorum fixos in templo Nortiae Etruscae deae comparere, diligens talium monimentorum auctor Cincius affirmat. *Livius* 7, 3,

4—7. 11. Silicernios dici voluerunt senes iam incurvos, quasi iam sepulcrorum suorum silices cernentes; unde et Cincius Alimentus in historia, de Gorgia Leontino scribit dicens: qui dum iam silicernius finem sui temporis expectaret, etsi morti non potuit, tamen infirmitatibus insultavit. *Fulgentius expos. serm. antiq. p.* 560, 20. 12. Quantae copiae transgresso in Italiam Hannibali fuerint, nequaquam inter auctores constat . . . L. Cincius Alimentus, qui captum se ab Hannibale scribit, maxime auctor moveret, nisi confunderet numerum Gallis Liguribusque additis; cum his octoginta milia peditum, decem equitum adducta in Italiam . . . ex ipso autem audisse Hannibale, postquam Rhodanum transierit, triginta sex milia hominum ingentemque numerum equorum et aliorum iumentorum amisisse, Taurinis, quae Gallis proxima gens erat, in Italiam degressum. *Livius* 21, 38, 3—5. 13. *Ad historicum referri solent, quae de L. Cincio Alimento praetore narrantur apud Livium XXVI*, 23, 1. 28, 3. 11. *XXVII*, 5, 1. 7, 12. 16. 8, 16. 26, 3. 28, 13. 29, 4.

III. P. CORNELIUS SCIPIO.

[P. Cornelius Scipio Africani maioris filius,] is qui hunc minorem Scipionem a Paulo adoptavit, si corpore valuisset, inprimis habitus esset disertus. Indicant cum oratiunculae tum historia quaedam Graeca scripta dulcissime. *Cicero in Bruto* 19, 77.

Digitized by Google

IV. C. ACILIUS ET CLAUDIUS.

1. Cecilius [Acilius? Coelius?] Romanorum historicus hoc argumento ad probandam originem Romae Graecam utitur, quod in ea patria sacra Herculi Graeco ritu fierent. *Strabo* 5, 3, 3. *p.* 230. 2. Addunt praeterea quidam Aeneam in eo littore [Boiam] Euxini cuiusdam comitis matrem ultimo aetatis affectam circa stagnum, quod est inter Misenon Avernumque, extulisse, atque inde loco nomen inditum, qui etiam nunc Euxinius sinus dicitur. Cumque comperisset ibidem Sibyllam mortalibus futura praecinere in oppido, quod vocatur Cimbarionis, venisse eo sciscitatum de statu fortunarum suarum, aditisque fatis vetitum ne is cognitam in Italia sepeliret Prochytam cognatione sibi coniunctam, quam incolumem reliquerat; et postquam ad classem rediit repperitque mortuam, in insula proxima sepelisse, quae nunc quoque eodem est nomine, ut scribunt Vulcatius et Acilius Piso. Inde profectum pervenisse in eum locum, qui nunc portus Caietae appellatur ex nomine nutricis eius, quam ibidem amissam sepeliit. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 10. 3. Gaius Acilius tradit, ante conditam urbem Romulum cum sociis pecus suum desideravisse, tum ad id requirendum Fauno votis factis excurrisse nudos, ne sudore retardarentur; hinc Lupercos nudos discurrere. *Plutarchus in Romulo* 20, 4. 4. Acilius, qui Graece scripsit historiam, [ex decem illis, quos post Cannensem pugnam iuratos ad senatum misit Hannibal, non unum, sed] plures ait fuisse, qui in castra revertissent eadem fraude ut iureiurando liberarentur, eosque a censoribus omnibus ignominiis notatos. *Cicero de officiis* 3, 32, 115. 5. Ita nocte ac die bina castra hostium expugnata ductu L. Marcii. Ad triginta septem milia hostium caesa auctor est Claudius, qui annales Acilianos ex Graeco in Latinum sermonem vertit,

captos ad mille octingentos triginta, praedam ingentem partam; in ea fuisse clipeum argenteum pondo centum triginta octo cum imagine Barcini Hasdrubalis. *Livius* 25, 39, 12. 13. 6. Claudius secutus Graecos Acilianos libros P. Africanum in ea fuisse legatione tradit eumque Ephesi collocutum cum Hannibale, et sermonem etiam unum refert, quo quaerenti Africano, quem fuisse maximum imperatorem Hannibal crederet, respondisse Alexandrum Macedonum regem, quod parva manu innumerabiles exercitus fudisset quodque ultimas oras, quas visere supra spem humanam esset, peragrasset. Quaerenti deinde, quem secundum poneret, Pyrrhum dixisse: castra metari primum docuisse, ad hoc neminem elegantius loca cepisse, praesidia disposuisse; artem etiam conciliandi sibi homines eam habuisse, ut Italicae gentes regis externi quam populi Romani tamdiu principis in ea terra imperium esse mallent. Exequenti, quem tertium diceret, haud dubie semet ipsum dixisse. Tum risum obortum Scipioni et subiecisse: quidnam tu diceres, si me vicisses? Tum me vero, inquit, et ante Alexandrum et ante Pyrrhum et ante omnes alios imperatores esse. Et perplexum Punico astu responsum et improvisum assentationis genus Scipionem movisse, quod e grege se imperatorum velut inaestimabilem secrevisset. *Livius* 35, 14, 5—12. 7. Ego sane in tribus magnificentissimis urbis Romae operibus . . . pono cloacarum fabricam, reputans non solum utilitatem operis, sed etiam impensarum magnitudinem, quam vel ex hoc uno licet colligere, si Gaio Acilio auctori fides habenda est, quod neglectas aliquando cloacas nec amplius aquam transmittentes censores detergendas et reparandas locaverunt mille talentis. *Dionysius Halic.* 3, 77. *cfr. Liv.* 39, 44, 5. 8. *Tres philosophi Atheniensium legati in senatum introducti interprete usi sunt C. Acilio senatore, qui id officium cupide expetiverat. Plutarchus in Catone*

Digitized by Google

maiore 22. *Gellius* 7, 14, 9. 9. C. Iulius [Acilius?] senator Graece res Romanas scribit. *Livius epit.* 53.

V. A. POSTUMIUS ALBINUS.

1. Vivo Catone . . . A. Albinus, is qui Graece scripsit historiam, qui consul cum L. Lucullo fuit, et litteratus et disertus fuit. *Cicero in Bruto* 21, 81. A. Albinum . . . doctum sane hominem, ut indicat ipsius historia scripta Graece. *Cicero Academ. prior.* 2, 45, 137. Qui cum statim a puero Graecam linguam ac disciplinam amplexus esset, nimius in his et adeo perversus fuit, ut propter hunc apud Romanos aetate et auctoritate provectiores litterae Graecae male audirent. Postremo vel carmen scribere et *πραγματικὴν ἱστορίαν* aggressus est, cuius in prooemio veniam sibi a lectoribus dari postulat, si homo Romanus Graeci sermonis elegantiam et rerum apte disponendarum artem non planè assequi potuerit. Cui facete respondisse fertur M. Porcius Cato, qui mirari se ait, quid spectans ille veniam hanc flagitaret . . . [*cf. Cornelius Nepos de illustr. viris apud Gellium* 11, 8, 1—5 *et Macrobium Saturn. I praef. Plutarchus in Catone mai.* 12. *et in Apophth. Rom. p.* 199.] Sic in reliqua vita pessima quaeque exempla secutus est Graecorum; nam et voluptatibus deditus et impatiens laboris fuit, ut ex rebus ab eo gestis apparet etc. *Polybius* 40, 6. Postumium, cuius statuam in Isthmo meminisse te dicis . . . *Cicero ad Atticum* 13, 32. 2. Postumius de adventu Aeneae et Lutatius Communium historiarum Boiam Euximi comitis Aeneae nutricem et ab eius nomine Boias vocatas dicunt. *Servius ad Verg. Aen.* 9, 710. 3. Dein

filius eius Ascanius, idem qui Euryleo, omnium Latinorum iudicio rex appellatus etc. . . . Itaque vino ex omni vindemia Iovi publice voto consecratoque, Latini urbe eruperunt fusoque praesidio interfectoque Lauso Mezentium fugam facere coegerunt. Is postea per legatos amicitiam societatemque Latinorum impetravit, ut docet Lucius Caesar lib. 1. itemque Aulus Postumius in eo volumine quod de adventu Aeneae conscripsit atque dedit. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 15. 4. Postumius Albinus annali primo de Bruto: ea causa sese stultum brutumque faciebat, grossulos ex melle edebat. *Macrobius Saturn.* 2, 16.

VI. M. PORCIUS CATO.

1. Post annales pontificum maximorum . . . si aut ad Fabium aut ad eum qui tibi semper in ore est Catonem aut ad Pisonem . . . venias, quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile quam isti omnes? *Cicero de legibus* 1, 2, 6. Origines eius quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent? Amatores huic desunt, sicuti multis iam ante seculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi. *Cicero in Bruto* 17, 66. [Catonis] Origines cum omnibus oratoriis laudibus refertas diceres et Catonem cum Philisto et Thucydide comparares, Brutone te id censebas an mihi probaturum? quos enim ne e Graecis quidem quisquam imitari potest, his tu comparas hominem Tusculanum nondum suspicantem, quale esset copiose et ornate dicere? *Cicero in Bruto* 85, 294. *Idem de Oratore* 2, 12, 52 *sq. supra p.* 251, 2. Cato Romani generis disertissimus paucis absolvit. *Salustius*

Digitized by Google

hist. 1. *supra p.* 206, 3. Verbis quae C. Salustius excerpsit ex Originibus Catonis. *Caesar Augustus ap. Sueton. Octav.* 86. Amavit [Hadrianus] genus dicendi vetustum . . . Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Sallustio Coelium praetulit. *Spartianus Hadriano* 16. Uni M. Porcio me dedicavi atque despondi atque delegavi. Hoc etiam ipsum 'atque' unde putas? ex ipso furor. *M. Aurelius ad Frontonem* 2, 11. *p.* 61 *Rom.* Modo dulce illud incorruptum sit et pudicum Tusculanum et Ionicum, id est Catonis et Herodoti. *Fronto in laudibus fumi.* Historiam [scripsit] verbis Cato multiiugis, Caelius singulis. *Fronto ad Verum p.* 170 *Rom.* Cum lingua Catonis et Enni sermonem patrium ditaverit et nova rerum nomina protulerit. *Horatius arte poet.* 56. 2. Edidit orationes permultas et historias. *Plutarchus Catone mai.* 25. Historias [*non editas puto*] ipse ait sua manu et maioribus litteris conscripsisse, ut filius domi rerum antiquarum et patriarum cognitione institueretur. *Plutarchus Catone mai.* 20. Senex historias scribere instituit. Earum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum populi Romani, secundus et tertius unde quaeque civitas orta sit Italica, (ob quam rem omnes Origines videtur appellasse) in quarto autem bellum Poenicum est primum, in quinto secundum. Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaque bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In isdem exposuit quae in Italia Hispaniisque aut fierent aut viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, nulla [multa?] doctrina. *Cornelius Nepos de lat. histor. vita Catonis* 3. Originum libros quod inscripsit Cato, non satis plenum titulum propositi sui videtur amplexus, quando praegravant ea quae sunt rerum gestarum populi Romani. *Festus lib.* 14. *Originum.* Nunc mea repetet oratio populi origi-

nem; lubenter enim etiam verbo utor Catonis. *Cicero de re publ.* 2, 1, 3. 3. Italia tanta cura ob omnibus dicta est, praecipue a M. Catone, ut iam inveniri non possit quod non veterum auctorum praesumpserit diligentia. *Solinus polyh.* 8. Cato censorius, qui scripsit historias . . . De Italicis etiam urbibus Hyginus plenissime scripsit et Cato in Originibus . . . Italiae disciplina et vita laudatur, quam et Cato in Originibus et Varro in gente populi Romani commemorat. *Servius ad Verg. Aen.* 6, 842. 7, 678. 9, 603. Cato oppidatim statuis ornandus, qui primam Latini nominis subolem et Italicarum originum pueritias inlustrâvit. *Fronto princip. hist.* 4. M. Catonis illud, quod in principio scripsit Originum suarum, semper magnificum et praeclarum putavi: clarorum virorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem extare oportere. *Cicero pro Plancio* 27, 66. Simul ut et otii mei, cuius et Cato reddendam operam putat, apud te ratio constaret. *Iustinus praefat.* 5. Illud verum est M. Catonis oraculum: nihil agendo homines male agere discunt. *Columella* 11, 1. Cato quoque Origines sic inchoat: si ques homines sunt, quos delectat populi res gestas describere. *Servius art. gramm.* 5, 6. *p.* 506. *Pompeius comm. art. Don.* 19, 18 *p.* 254 *Lind.* Cato in Originibus ait: 'si ques sunt populi' et declinavit ques, quium. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 99. P. Scipionem, eum qui primus Africanus appellatus sit, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit fere eius aequalis: numquam se minus otiosum esse quam cum otiosus [numquam se plus agere quam nihil cum ageret,] nec minus solum quam cum solus esset. *Cicero de off.* 3, 1, 1. *de re publ.* 1, 17, 27. 5. In Originibus scriptum reliquit Cato, morem apud maiores multis seculis ante suam aetatem hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent singuli cantitarent ad tibicinem de clarorum virorum laudibus atque virtutibus. *Cicero Tusculan.* 1, 2, 3. 4, 2, 3. *Bruto* 20, 75.

Digitized by Google

de leg. 2, 24, 62. 6. Certum est quod Salustius Crispus [*supra p.* 7, 17] quodque M. Cato et Agellius historici sententiae modo in litteras retulerunt, omnes omnium virtutes tantas esse, quantas videri eas voluerint eorum ingenia, qui unius cuiusque facta descripserint; inde esse, quod Alexander magnus Macedo etc. *Vopiscus in Probo* 1. 7. Multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, negligentia collegii amissa plane et deserta sunt. *Cicero de divin.* 1, 15, 28. 8. Cato Originum libro 1: veteres prosapia [*ae*?] et multa alia apud multos. *Nonius p.* 67, 29. 9. Cato in Originibus ita ait, lauius [*ab aris*?] boves immolatos, priusquam caederentur, profugisse in Siciliam. *Servius ad Verg. Aen.* 10, 541. *cf. Dionys. Hal.* 1, 35. 10. Cato in Originibus hoc dicit, cuius auctoritatem Salustius sequitur in bello Catilinae [*supra p.* 6, 5.] primo Italiam tenuisse quosdam, qui appellabantur Aborigines, hos postea adventu Aeneae Phrygibus iunctos Latinos uno nomine nuncupatos. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 10. Cato in primo Originum: agrum quem Vulsci habuerunt, campestris plerus Aboriginum fuit. *Priscianus* 5, 12, 65. 6, 8, 41. 11. Scriptorum Romanorum doctissimi et in his Porcius Cato, qui Italicarum urbium origines diligentissime conscripsit, et Gaius Sempronius aliique multi Graecos [Aborigines] esse affirmant ex Achaia profectos multis ante bellum Troianum aetatibus. Nec tamen accuratius tradunt vel de natione Graeca cuius fuerint, vel qua ex urbe migraverint, vel de tempore et duce coloniae, vel quibus casibus permoti patrias sedes reliquerint, neque in narratione Graeca tradenda ullius Graeci scriptoris afferunt auctoritatem. Itaque rei veritas quomodo se habeat, incertum est. *Dionysius Halic.* 1, 11. 13. 12. Neque enim prisci Romani sermonis Graeci, Aeolium dico, ignari fuerunt, ut dicunt et Cato de antiquitate Romana et Varro . . . cum Euander et reliqui

Arcades transgressi in Italiam Aeolium sermonem attulerint. *Laur. Lydus de mag.* 1, 5. 13. Cato in primo Originum: Antemnantia [Antemnatium?] veterior est quam Roma. *Priscianus* 6, 15, 80. 14. *De Latino Ulixis et Circes filio locus Servii ad Verg. Aen.* 1, 277. *non est Catonis, certe in ed. Danielis eius nomen non legitur.* 15. At Cato in Origine generis Romani ita docet: suem triginta porculos peperisse in eo loco, ubi nunc est Lavinium, cumque Aeneas ibi urbem condere constituisset propterque agri sterilitatem metueret, per quietem ei visa deorum Penatum simulacra adhortantium ut perseveraret in condenda urbe quam coeperat; nam post annos totidem, quot fetus illius suis essent, Troianos in loca fertilia atque uberiorem agrum transmigraturos et urbem clarissimi nominis in Italia condituros. Igitur Latinum Aboriginum regem, cum ei nunciatum esset multitudinem advenarum classe advectam occupavisse agrum Laurentem, adversum subitos inopinatosque hostes incunctanter suas copias eduxisse; ac priusquam signum dimicandi daret, animadvertisse Troianos militariter instructos, cum sui lapidibus ac sudibus armati, tum etiam veste aut pellibus, quae eis integumento erant, sinistris manibus involutis processissent. Itaque suspenso certamine per colloquium inquisito qui essent quidve peterent, (utpote qui in hoc consilium auctoritate numinum cogebatur, namque extis ac somniis saepe ammonitus erat tutiorem se adversum hostes

Troiam, . . . ut primum venit in Italiam, fecit Aeneas, ut et Livius in primo et Cato in Originibus testantur. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 9. 7, 158.

Cato in Originibus [Anchisen] ad Italiam venisse docet . . . et post Latinum Turnumque et Amatam dicitur excessisse. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 711. 4, 427. 1, 574. Tamen etiam secundum Catonem historiae

Digitized by Google

fore, si copias suas cum advenis coniunxisset) cumque cognovisset Aeneam et Anchisen bello patrio [patria?] pulsos cum simulacris deorum errantes sedem quaerere: amicitiam foedere inisse dato invicem iureiurando, ut communes quoque hostes amicosve haberent. Itaque coeptum a Troianis muniri locum, quem Aeneas ex nomine uxoris suae, Latini regis filiae, quae iam ante desponsata Turno Herdonio fuerat, Lavinium cognominavit. At vero Amatam Latini regis uxorem, cum indigne ferret Laviniam, repudiato Turno consobrino suo, Troiano advenae collocatam, Turnum ad arma concitavisse, eumque mox coacto Rutulorum exercitu tetendisse in agrum Laurentem et adversus eum Latinum pariter cum Aenea progressum inter proeliantes circumventum occisumque. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 12. 13. 16. Primo proelio interemptus Latinus est hoc habet fides: Aeneam cum patre ad Italiam venisse et propter invasos agros contra Latinum Turnumque pugnasse, in quo proelio periit Latinus. *Servius ad Aen.* 1, 271. Cato dicit, iuxta Laurolavinium, cum Aeneae socii praedas agerent, proelium commissum, in quo Latinus occisus est, Turnus fugit. *Servius ad Aen.* 4, 620. Sequenda est potius Livii, Sisennae et Catonis auctoritas . . . Cato enim in Originibus dicit Troianos a Latino accepisse agrum, qui est inter Laurentum et castra Troiana. Hic etiam modum agri commemorat et dicit eum habuisse iugera DCC. *Servius ad Aen.* 11, 316. Aeneas, ut Cato dicit, simul ac venit ad Italiam, Laviniam accepit uxorem, propter quod Turnus iratus tam in Latinum quam in Aeneam bella suscepit, a Mezentio impetratis auxiliis . . . Sed primo bello periit Latinus. *Servius ad Aen.* 6, 760.

in arce [*acie*?] inde ubi Turnus Aeneam vidit superiorem, Mezentii imploravit auxilium. Secundo proelio Turnus occisus est et nihilo minus Aeneas postea non comparuit. Tertio

Digitized by Google

proelio Męzentium occidit Ascanius. Hoc Livius dicit et Cato in Originibus. *Servius ad Aen.* 9, 745. 6, 760. 4, 620. 1, 271. 17. In primo libro Originum Cato . . . ait Mezentium Rutulis imperasse, ut sibi offerrent, quas diis primitias offerebant, et Latinos omnes similis imperii metu ita vovisse: Iuppiter, si tibi magis cordi est nos ea tibi dare potius quam Mezentio, uti nos victores facias. *Macrobius Saturn.* 3, 5. 18. Secundum Catonem . . .

migrasse postea in Ascanium et Mezentium bella, sed eos singulari certamine dimicasse et occiso Mezentio Ascanium [sicut I. Caesar scribit *addit cod. Fuld.*] Iulum coeptum vocari, vel quasi *ἰοβόλον* id est sagittandi peritum, vel a prima barbae lanugine, quam *ἴουλον* Graeci dicunt, quae ei tempore victoriae nascebatur. *Servius ad Aen.* 1, 271. Ut Cato

Igitur Latini Ascanium ob insignem virtutem non solum Iove ortum crediderunt, sed etiam, per diminutionem declinato paululum nomine, primo Iobum [Iovulum?] dein postea Iulum appellarunt; a quo Iulia familia manavit, ut scribunt Caesar libro II et Cato in Originibus. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 15, 5.

dicit . . . Mezentium interemit Ascanius et Laurolavinium tenuit. Cuius Lavinia timens insidias gravida confugit ad silvas et latuit in casa pastoris Tyrrhi . . . et illic enixa est Silvium. Sed cum Ascanius flagraret invidia, evocavit novercam et ei concessit Laurolavinium, sibi vero Albam constituit [Cato ait, triginta annis expletis eum Albam condidisse. *Servius ad Aen.* 1, 273.] Qui quoniam sine liberis periit, Silvio, qui et ipse Ascanius dictus est, suum reliquit imperium . . . Postea Albani omnes reges Silvii dicti sunt ab huius nomine. *Servius ad Aen.* 6, 760. 19. *De Romulo et Remo cum alios tum Porcium Catonem Dionysius Halic.* 1, 79. *secutos esse ait Q. Fabium Pictorem, cf. supra p.* 253, 13. 20. Urbis

Digitized by Google

conditae Graecam temporum rationem Porcius Cato non definit, ceterum cum diligentissimus omnium sit in conscribenda historia antiqua, annis tradit quadringentis triginta duobus posteriorem bello Iliaco fuisse. *Dionysius Hal.* 1, 74. *Eusebius chronico I. Syncellus p.* 193. Conficiuntur igitur ab Aeneae in Italiam adventu ad Romam conditam anni quadringenti triginta novem secundum Catonem maiorem et Varronem. *Laur. Lydus de mag.* 1, 2. 21. Cato Qui urbem, inquit, novam condet, tauro et vacca aret; ubi araverit, murum faciat; ubi portam vult esse, aratrum sustollat et portet et ita portam vocet. *Isidorus orig.* 15, 2, 3. Quem Cato in Originibus dicit morem fuisse: conditores enim civitatis taurum in dextram, vaccam intrinsecus iungebant et incincti ritu Gabino, id est togae parte caput velati parte succincti, tenebant stivam incurvam, ut glebae omnes intrinsecus caderent; et ita sulco ducto loca murorum designabant, aratrum suspendentes circa loca portarum; unde et territorium dictum est quasi terribovium, tritum bobus et aratro. *Servius ad Verg. Aen.* 5, 755. Veteres 'am' pro circum ponere consueverunt, ut Cato in Originibus: oratorum [*aratorum*?] am terminum, id est circum terminum. *Macrobius Saturn.* 1, 14. Pomerium, id est l[ocum pro muro, ut ait] Cato. *Festus lib.* 16 *s. v. posimerium.* 22. M. Cato in Originibus: eodem convenae complures ex agro accessitavere; eo res eorum auxit. *Gellius* 18, 12, 7. 23. Cato ait Larentiam meretricio quaestu locupletatam post excessum suum populo Romano agros Turacem, Semurium, Lutirium et Solinium reliquisse, et ideo sepulcri magnificentia et annuae parentationis honore dignatam. *Macrobius Saturn.* 1, 10. 24. Tuas adversus te Origines revolvam . . . Iam a principio regnante Romulo, cum Capitolio ab Sabinis capto medio in foro signis collatis dimicaretur, nonne intercessu matronarum inter acies duas proelium sedatum est? etc. *Livius* 34, 5, 8.

25. Cato censorius in primo Originum: sed lucus Capenatis [Feroniae.] *Priscianus* 4, 4, 21. 7, 12, 60. 26. Cato in primo Originum: inde est ferme mille passuum. *Gellius* 1, 16, 4. 27. Cato . . . in Originum l. I: propter id bellum coepit Cloelius praetor Albanus; oratores misit Romam cum . . . *Festus lib.* 13 *s. v. oratores.* 28. Cato Originum lib. 1: igitur tertio pedato bellum nobis facere. *Nonius p.* 64, 18. 29. Cato Originum primo Vehes, ait, ligni. *Charisius* 1, 17, 34. 30. Divisit [Servius Tullius] universum agrum in partes, ut Fabius auctor est, XXVI . . . ut Venonius XXXI . . . Cato vero testis utroque locupletior partium numerum non definit. *Dionysius Halic.* 4, 15. *cf. Niebuhr* 1 *p.* 435. 31. Pluria sive compluria . . . dixerunt M. Cato, Q. Claudius etc. *Gellius* 5, 21, 6. Cato Originum secundo: fana hoc loco compluria. *Donatus ad Ter. Phorm.* 4, 3, 6. Cato Originum l. I: fana in eo loco compluria fuere; ea exauguravit, praeterquam quod Termino fanum fuit, id nequitum exaugurari. *Festus lib.* 13 *s. v. nequitum.* 32. Soli pro solius Cato in primo Originum: nam de omni Tusculana civitate soli Lucii Mamilii beneficium gratum fuit. *Priscianus* 6, 7, 36. 6, 16, 82. 33. In secunda quoque Origine M. Cato . . . neque satis, inquit, habuit quod eum in occulto vitiaverat, quin eius famam prostitueret. *Gellius* 17, 13, 4. 34. Cato ait Originum secundo: quescumque Romae regnavissent. *Charisius* 1, 17, 71. *Priscianus* 13, 3, 13. 35. Originum l. II: in maximum decus atque in excelsissimam claritudinem sublimavit. *Festus lib.* 18 *s. v. sublimavit.* 36. Cato in secundo Originum: itaque res uber fuit, ante quam legiones. *Priscianus* 5, 3, 16. 37. Primo pedatu Cato senex: 'in his duobus bellis alteras stipendio agrique parte multati, alteras oppidum vi captum' alteras primo pedatu et secundo, ut [Statilius] Maximus notat, hodieque nostri per Campaniam sic locuntur. *Chari-*

Digitized by Google

sius 2, 14, 188. 38. Cato in secundo: ex sale, qui apud Karthaginiensis fit. *Priscianus* 5, 8, 45. 39. Cato Originum lib. II: si inde ignavis [*in navis* vel *indu navis*?] putidas atque sentinosas commeatum onere [*ponere* vel *onerare*?] volebant. *Nonius p.* 152, 24. 40. Idem in II: qui tantisper nulli rei sies, dum nihil agas' nulli pro nullius; potest tamen hic dativus accipi, nulli rei pro nulli utilitati. *Priscianus* 6, 7, 36. 6, 16, 82. 41. Cato Originum II, cum de Liguribus loqueretur: sed ipsi, unde oriundi sunt exacta memoria, inlitterati mendacesque sunt et vera minus meminere. *Servius ad Verg. Aen.* 11, 715. Ligures autem omnes fallaces sunt, sicut ait Cato in secundo Originum libro. *Servius ad Aen.* 11, 700. 42. In hoc tractu interierunt Boi, quorum tribus CXII fuisse auctor est Cato, item Senones qui ceperunt Romam. *Plinius nat. hist.* 3, 15, 116. 43. Vercellae Libicorum ex Salluvis ortae, Novaria ex Vertacomacoris Vocontiorum hodieque pago, non ut Cato existumat Ligurum, ex quibus Laevi et Marici condidere Ticinum. *Plinius nat. hist.* 3, 17, 124. 44. Cato Originum lib. II: Libyi qui aquatum ut lignatum videntur ire, securim atque solum [*solium* vel *lorum*?] ferunt, gelum crassum excidunt, eum loro conligatum auferunt. *Nonius p.* 208, 3. 45. Orobiorum stirpis esse Comum atque Bergomum et Liciniforum aliquot circa populos auctor est Cato, sed originem gentis ignorare se fatetur . . . In hoc situ interiit oppidum Orobiorum Parra, unde Bergomates Cato dixit ortos, etiamnum prodente se altius quam fortunatius situm. *Plinius nat. hist.* 3, 17, 124 *sq.* 46. Venetos Troiana stirpe ortos auctor est Cato, Cenomanos iuxta Massiliam habitasse in Volcis. *Plinius nat. hist.* 3, 19, 130. 47. Larius est lacus vicinus Alpibus, qui iuxta Catonem in Originibus per sexaginta extenditur [quadraginta tenditur *codex Ursini*] milia. *Servius ad Verg. Georg.* 2, 159. 48. Euganeae

Digitized by Google

gentes, quarum oppida XXXIV enumerat Cato; ex iis Trumpilini . . dein Camuni . . Lepontios et Salassos Tauriscae gentis idem Cato arbitratur. *Plinius nat. hist.* 3, 20, 134. 49. M. Cato Originum secundo: pleraque Gallia duas res industriosissime persequitur, rem militarem et argute loqui. *Charisius* 2, 14, 86. 50. Cato Originum secundo: papaver Gallicanus. *Charisius* 1, 17, 57. 51. M. Cato scribit in libro Originum sic: ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est ultra agrum Picentium. In eo agro aliquotfariam in singula iugera dena cullea vini fiunt. *Varro R. R.* 1, 2, 7. *Columella* 3, 3, 2. 3, 9, 3 *qui* sexcenas urnas vini *habet. Plinius nat. hist.* 14, 4, 52. *Nonius p.* 197, 23. *Anonymus Haupti p.* 76. 52. Ameriam ... Cato ante Persei bellum conditam annis DCCCCLXIII prodit. *Plinius nat. hist.* 3, 14, 114. 53. Cato Originum libro [I. *quidam addunt*] qui Pisas tenuerint ante adventum Etruscorum negat sibi compertum, sed inveniri Tarchonem Tyrrheno oriundum, postquam eorundem sermonem ceperit, Pisas condidisse, cum ante regionem eandem Teutanes quidam Graece loquentes possederint. *Servius ad Verg. Aen.* 10, 179. 54. Intempestas Graviscas accipiamus pestilentes et secundum Plinium in naturali historia et Catonem in Originibus . . . nam, ut ait Cato, ideo Graviscae dictae sunt, quod gravem aerem sustinent. *Servius ad Verg. Aen.* 10, 184. 55. Colonia Falisca, Argis orta, ut auctor est Cato. *Plinius nat. hist.* 3, 5, 51. 56. Capenos dicit Cato Veientum [filios *Cluverius*, iuventutem *Niebuhr addit*] condidisse auxilio regis Propertii, qui eos Capenam, cum adolevissent, miserat. *Servius ad Verg. Aen.* 7, 697. 57. De caprarum velocitate in Originum libro Cato scribit haec: in Sauracti, Fiscello caprae ferae sunt, quae saliunt e saxo pedes plus sexagenos. *Varro de re rustica* 2, 3, 3. 58. Cato sic dixit: et in

Digitized by Google

Italia atras capras lacte album habere. *Charisius* 1, 18, 21. 59. Porcius Cato Sabinorum nomen ait ortum esse a Sabo Sanci filio, qui Sancus eius gentis deus sit et a nonnullis Dius Fidius appelletur. Primam eorum sedem docet fuisse vicum quendam Testrinam nomine, qui non procul ab Amiterno absit; inde profectos Sabinos in agrum invasisse Reatinum, quem tum Aborigines quoque incoluerint, et nobilissimam eorum urbem Cotylias expugnatam tenuisse. Dein e Reatino agro coloniis missis cum multa alia oppida, quae sine muris fuerint, tum Cures quoque condidisse. Abesse Sabinorum terram ab Hadriatico mari circiter stadia ducenta octoginta, a Tyrrheno ducenta quadraginta, in longitudinem patere paulo minus mille stadiis. Est praeterea alia in domesticis Sabinorum historiis tradita narratio haec, venisse illuc Lacedaemoniorum coloniam, quo tempore Lycurgus . . . Spartanis leges condidit etc. *Dionysius Hal.* 2, 49. Cato autem et Gellius a Sabo Lacedaemonio trahere eos originem referunt . . . Sabinorum etiam mores populum Romanum secutum, idem Cato dicit. *Servius ad Verg. Aen.* 8, 638. 60. Tibur, sicut Cato facit testimonium, a Catillo Arcade, praefecto classis Euandri, [conditum.] *Solinus Polyh.* 8. 61. Cato in secundo Originum: in campo Tiburti ubi ordeum demessuit, idem in montibus serit, ubi ordeum idem iterum metit. *Priscianus* 10, 8, 47. *de duodecim vers. Aen.* 7, 132. 62. [Ca]to in Originibus ait, Caeculum virgines aquam petentes in foco invenisse ideoque Vulcani [filium eum ex]istimasse et, quod oculos exiguos haberet, Caeculum appellatum. Hic collecticiis pastoribus [urbem Praene]ste fundavit. *Scholia Veronensia ad Verg. Aen.* 7, 681. Cato dicit: quia is locus montibus praestet, Praeneste oppido nomen dedit. *Servius ad Aen.* 7, 682. 63. Catonem sequitur, qui Albanum montem ab Alba Longa putat dictum. *Servius ad Aen.* 12, 134. 64. Idem

Digitized by Google

in secundo [Originum]: lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Laebius Tusculanus dedicat, dictator Latinus; hi populi communiter: Tusculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Coranus, Tiburtis, Pometinus, Ardeatis, Rutulus. *Priscianus* 4, 4, 21. 7, 12, 60. 65. [Polites,] de quo Cato in Originibus dicit, quod ad Italiam venerit et segregatus ab Aenea condiderit oppidum Politorium a suo nomine. *Servius ad Verg. Aen.* 5, 564. 66. Cato in II [IV *cod. Luth.*] Originum: Marsus hostem occidit prius quam Pelignus, propterea Marrucini vocantur, de Marso detorsum nomen. *Priscianus* 9, 9, 51. 67. Idem in secundo: si quis mortuus est Arpinatis, eius heredem sacra non secuntur. *Priscianus* 4, 4, 21. 7, 12, 60. 68. Non mirum a nulla hunc civitate susceptum; nam licet Privernas esset, tamen quia in Tuscorum iure paene omnis Italia fuerat, generaliter in Metabum omnia odia ferebantur; nam pulsus fuerat a gente Volscorum, quae etiam ipsa Etruscorum potestate regebatur. Quod Cato plenissime executus est. *Servius ad Verg. Aen.* 11, 567. 69. Marcus Cato ... dicit Capuam ab iisdem Tuscis conditam ac subinde Nolam, stetisse autem Capuam antequam a Romanis caperetur annis circiter ducentis sexaginta ... Ego, pace diligentiae Catonis dixerim, vix crediderim etc. *Velleius* 1, 7, 3. 70. Cato Originum l. III: equos respondit: oreas mihi inde, tibi cape flagellum. *Festus lib.* 13 *s. v. oreae.* 71. Interisse Thebas Lucanas Cato auctor est. *Plinius nat. hist.* 3, 11, 98. 72. Thebae Aegyptiae, hodie Diospolis magna dicta, fuerunt olim regni caput, eoque tributa comportabant Libyes, Aegyptii, Aethiopes. Condiderunt Osiris et Isis. Antequam a Persis diruerentur, habuisse eas ait Cato [*Bato*? *Hecataeus*?] vicos triginta tria milia triginta, incolarum septies centena milia, aream dimensam iugerum trium milium et septingentorum, portas centum exornatas, longitudinem stadiorum quadringen-

Digitized by Google

torum. *Porphyrii et aliorum scholia ad Homeri Iliad.* 9, 383. *Stephanus Byzantius s. v. Διὸς πόλις.* 73. Cato Originum tertio: laserpitium pro pulmentario suo habet. In eodem: multo pulmento usi. *Charisius* 1, 17, 37. 74. Philoctetae muro; nam ait Cato a Philocteta, condita iam pridem civitate [Petilia,] murum tantum factum. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 402. 75. Item Cato Originum III: Thesunti [*Acheruntii*?] Tauriani vocantur de fluvio, qui propter fluit. Id oppidum Aurunci primo possederunt, inde Achaei Troia domum redeuntes. In eorum agro fluvii sunt sex, septimus fines Rheginum atque Taurinum dispertit; fluvii nomen est Pecoli [*Facelini*?]. Eo Orestem cum Iphigenia atque Pylade dicunt maternam necem expiatum venisse; et non longa memoria est, cum in arbore ensem viderint, quem Orestes abiens reliquisse dicitur. *Probus in Verg. Bucol. prooemio p.* 4 *Keil. cf. Plinius nat. hist.* 3, 5, 73. *Scholia in Theocritum p.* 805 *Kiessl.* 76. In tertia Origine M. Catonis: haud eos, inquit, eo postremum scribo, quin populi et boni et strenui sient. *Gellius* 17, 13, 3. 77. M. Cato vir in cognoscendis rebus multi studii incerta tamen et incuriose super [lunae solisque defectionibus] opinatus est. Verba Catonis ex Originum quarto haec sunt: non lubet scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumini caligo aut quid obstiterit. *Gellius* 2, 28, 5 *sq.* 78. Mapalia casae Poenicae appellantur . . . Cato Originum libro quarto: mapalia vocantur ubi habitant; ea quasi cohortes rotundae sunt. *Festus l.* 12 *s. v. mapalia.* Cato Originum primo: magalia aedificia quasi coortes rotundas dicunt. *Servius ad Aen.* 1, 425. 79. Tres partes . . . populi, optimatium, regiae potestatis. Cato enim ait de tribus istis partibus ordinatam fuisse Carthaginem. *Servius ad Aen.* 4, 682. 80. Meritavere, saepe meruere dixit Cato [*in historia Po*]enorum IIII Suf[*fetes evocaverunt*

statim om]nis cohortes, omnis [*etiam qui stipendia merit*]averunt. *Festus l.* 13. *s. v. meritavere.* Poeta . . . nomina . . . mutat; nam Sychaeus Sicharbas dictus est, Belus Didonis pater Methres, Carthago Carthada, ut lectum est et in historia Poenorum et in Livio. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 347. Bitias classis Punicae fuit praefectus, ut docet Livius; Iopas vero rex Afrorum unus de procis Didonis, ut Punica testatur historia. *Servius ad Aen.* 1, 742.. 81. M. Cato in Originum quarto: proelium factum depugnatumque pro castris. *Gellius* 11, 3, 2. 82. Legiones nostras scripsit Cato in Originibus in eum saepe locum profectas alacri animo et erecto, unde se numquam redituras arbitrarentur. *Cicero in Catone* 20, 75. *Tuscul.* 1, 42, 101. 83. Pulchrum, dii boni, facinus Graecarumque facundiarum magniloquentia condignum M. Cato in libris Originum de Q. Caedicio tribuno militum scriptum reliquit. Id profecto est ad hanc ferme sententiam. Imperator Poenus in terra Sicilia bello Carthaginiensi primo obviam Romano exercitui progreditur, colles locosque idoneos prior occupat. Milites Romani, uti res nata est, in locum insinuant fraudi et perniciei obnoxium. Tribunus ad consulem venit, ostendit exitium de loci importunitate et hostium circumstantia maturum. Censeo, inquit, si rem servare vis, faciundum ut quadringentos aliquos milites ad verrucam illam (sic enim Cato locum editum asperumque appellat) ire iubeas eamque uti occupent imperes [*Nonius p.* 187, 22.] horterisque; hostes profecto ubi id viderint, fortissimus quisque et promptissimus ad occursandum pugnandumque in eos praevertentur unoque illo negotio sese alligabunt, atque illi omnes quadringenti procul dubio obtruncabuntur. Tu interea, occupatis in ea caede hostibus, tempus exercitus ex hoc loco educendi habebis. Alia nisi haec salutis via nulla est. Consul tribuno respondit, consilium quidem istud aeque providens sibi viderier, sed istos, inquit,

Digitized by Google

milites quadringentos ad eum locum in hostium cuneos quisnam erit qui ducat? Si alium, inquit tribunus, neminem reperis, me licet ad hoc periculum utare, ego hanc tibi et rei publicae animam do. Consul tribuno gratias laudesque agit. Tribunus et quadringenti ad moriendum proficiscuntur. Hostes eorum audaciam demirantur, quorsum ire pergant expectando sunt; sed ubi apparuit ad eam verrucam occupandam iter intendere, mittit adversum illos imperator Carthaginiensis peditum equitumque quos in exercitu viros habuit strenuissimos. Romani milites circumveniuntur, circumventi repugnant. Fit proelium diu anceps. Tandem superat multitudo, quadringenti omnes cum uno perfossi gladiis aut missilibus operti cadunt. Consul interim dum ibi pugnatur se in locos tutos atque editos subducit. Sed quod illi tribuno duci militum quadringentorum divinitus in eo proelio usus venit, non iam nostris sed ipsius Catonis verbis subiecimus: Dii immortales tribuno militum fortunam ex virtute eius dedere. Nam ita evenit, et cum saucius multifariam ibi factus esset, tum vulnus capiti nullum evenit; eumque inter mortuos defatigatum vulneribus atque quod sanguinis vis defluxerat, cognovere, eum sustulere. Isque convaluit, saepeque post illa operam rei publicae fortem atque strenuam perhibuit, illoque facto, quod illos milites subduxit, exercitum ceterum servavit. Sed idem benefactum quo in loco ponas, nimium interest. Leonidas Laco qui simile apud Thermopylas fecit, propter eius virtutes omnis Graecia gloriam atque gratiam praecipuam claritudinis inclutissimae decoravere monumentis, signis, statuis, elogiis, historiis aliisque rebus gratissimum id eius factum habuere. At tribuno militum parva laus pro factis relicta, qui idem fecerat atque rem servaverat. Hanc Q. Caedicii tribuni virtutem M. Cato tali suo testimonio decoravit. *Gellius* 3, 7. 84. M. Cato de Carthaginiensibus ita scripsit: homines defo-

derunt in terram dimidiatos ignemque circumposuerunt, ita interfecerunt. *Gellius* 3, 14, 19. 85. Certe Cato, cum imperatorum nomina annalibus detraxerit, eum [elephantum] qui fortissime proeliatus esset in Punica acie, Surum tradidit vocatum, altero dente mutilato. *Plinius nat. hist.* 8, 5, 11. 86. Cato pluraliter haec Drepana dicit. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 707. 87. M. Cato in quarto Originum eodem in loco ter hoc verbum posuit: compluriens eorum milites mercenarii inter se multi alteri alteros in castris occidere, compluriens multi simul ad hostis transfugere, compluriens in imperatorem impetum fecere. *Gellius* 5, 21, 17. *Nonius p.* 87, 18. 88. Cato in quarto Originum: deinde duoetvicesimo anno post dimissum bellum, quod quattuor et viginti annos fuit, Carthaginienses sextum de foedere decessere. *Nonius p.* 100, 13. *Gellius* 10, 1, 10. 89. Cato in quarto Originum: duo exules lege publica execrati. *Priscianus* 8, 4, 16. 90. Cato tamen os [non ossum vel ossu] protulit in IIII Originum: si quis membrum rupit aut os fregit, talione proximus cognatus ulciscitur. *Priscianus* 6, 13, 69. 91. [Hannibal] Alpes patefecit, . . . quae secundum Catonem et Livium muri vice tuebantur Italiam. *Servius ad Verg. Aen.* 10, 13. 92. Historiam autem et verbum hoc sumpsit Coelius ex Origine M. Catonis, in qua ita scriptum est: igitur dictatorem Carthaginiensium magister equitum monuit: mitte mecum Romam equitatum, die quinti in Capitolio tibi coena cocta erit. *Gellius* 10, 24, 7. *Macrobius Saturn.* 1, 4. M. Cato in quarto Originum: deinde dictator iubet postridie magistrum equitum accersi: mittam te, si vis, cum equitibus. Sero est, inquit magister equitum, iam rescivere. *Gellius* 2, 19, 9. 93. In quarto Originum verba haec sunt: imperator noster, si quis extra ordinem depugnatum ivit, ei multam facit. *Gellius* 11, 1, 6. 94. M. Cato in [*Originibus scripsit: audito tu*]multu

Digitized by Google

Macedoniae, Etruriam, Samnites, Lucanos inter se natinari atque factiones esse. *Festus lib.* 13 *s. v. natinatio.* 95. M. Cato in quinta Origine: exercitum, inquit, suum pransum paratum cohortatum eduxit foras atque instruxit. *Gellius* 15, 13, 5. 96. M. Cato in quinto [primo *alii*] Originum ita scripsit: postridie signis collatis aequo fronte peditatu equitibus atque alis cum hostium legionibus pugnavimus [pugnavit *alii*]. Recto quoque fronte idem Cato eodem in libro dicit. *Gellius* 15, 9, 5. 97. Cato docuit, orator idem et imperator summus. Ipsa subieci Catonis verba . . .: interea unamquamque turmam, manipulum, cohortem temptabam, quid facere possent; proeliis levibus spectabam, cuius modi quisque esset; si quis strenue fecerat, donabam honeste, ut alii idem vellent facere, atque in contione verbis multis laudabam. Interim aliquot pauca castra feci. Sed ubi anni tempus venit, castra hiberna . . . *Fronto ad Verum p.* 184 *Rom.* 98. Valerius Antias supra quadraginta milia hostium caesa eo die scribit. Cato ipse, haud sane detractator laudum suarum, multos caesos ait, numerum non adscribit. *Livius* 34, 15, 9. 99. Graecorum clipei rotundi, ut Cato Originum ait. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 637. 100. Cato in V [II *cod. Luth.*] Originum: quod eorum nemo quisquam quicquam mihi ignoturus est. *Priscianus* 10, 3, 18. 101. Cato Originum lib. V: sed protelo trini boves unum aratrum ducent. *Nonius p.* 363, 9. 102. Civitas Rhodiensis . . . cum amica atque socia populi Romani foret, Persa tamen Philippi filio Macedonum rege, cum quo bellum populo Romano fuit, amico usa est, connixique sunt Rhodienses legationibus Romam saepe missis id bellum inter eos componere. Sed ubi ista pacificatio perpetrari nequivit, verba a plerisque Rhodiensibus in contionibus eorum ad populum facta sunt, ut si pax non fieret Rhodienses regem adversus populum Romanum adiutarent; sed nullum super

ea re publicum decretum factum est. At ubi Perses victus captusque est, Rhodienses pertimuere ob ea, quae compluriens in coetibus populi acta dictaque erant, legatosque Romam miserunt, qui temeritatem quorundam popularium suorum deprecarentur et fidem consiliumque publicum expurgarent. Legati postquam Romam venerunt et in senatum intromissi sunt verbisque suppliciter pro causa sua factis e curia excesserunt, . . . tum M. Cato exurgit . . . orationemque inclutam dixit, quae et seorsum fertur inscriptaque est Pro Rhodiensibus, et in quintae Originis libro scripta est. [Ipsius oratio scripta extat Originum quinto libro inclusa. *Livius* 45, 25, 3] . . . Principii verba haec sunt: Scio solere plerisque hominibus in rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere, atque superbiam atque ferociam augescere [*Gellius* 13, 24, 14] atque crescere. Quod mihi nunc magnae curae est, quod haec res tam secunde processit, ne quid in consulendo advorsi eveniat, quod nostras secundas res confutet, neve haec laetitia nimis luxuriose eveniat. Advorsae res se domant et docent quid opus sit facto, secundae res laetitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo. Quo maiore opere dico suadeoque, uti haec res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus . . . [*cf. Sulpicia satira* 48 *sq.* Paciscendum cum Poenis ipse etiam P. Africanus censuit, quod aemulam Romani imperii urbem servandam existimabat, cuius metu nimia insolentia fortunae atque immoderata licentia coerceretur. Sane Scipionem ita iudicasse Cato paulo post edixit, cum Rhodiensibus adversus Romanorum iram patrocinaretur. *Appianus Punicis* 65.] . . . Atque ego quidem arbitror Rhodienses noluisse nos ita depugnare, uti depugnatum, neque regem Persen vicisse. Non Rhodienses modo id noluere, sed multos populos atque multas nationes idem noluisse arbitror. Atque haud scio, an partim

Digitized by Google

eorum fuerint, qui non nostrae contumeliae causa id noluerint evenire; sed enim id metuere, si nemo esset homo quem vereremur, quidquid luberet faceremus, ne sub solo imperio nostro in servitute nostra essent; libertatis suae causa in ea sententia fuisse arbitror. Atque Rhodienses tamen Persen publice numquam adiuvere. Cogitate, quanto nos inter nos privatim cautius facimus. Nam unusquisque nostrum, si quis advorsus rem suam quid fieri arbitratur, summa vi contra nititur, ne advorsus eam fiat. Quod illi tamen perpessi . . . Ea nunc derepente tanta beneficia ultro citroque, tantam amicitiam relinquemus? Quod illos dicimus voluisse facere, id nos priores facere occupabimus? . . . Qui acerrime advorsus eos dicit, ita dicit, hostis voluisse fieri. Ecquis est tandem, qui vostrorum, quod ad sese attineat, aequum censeat poenas dare ob eam rem, quod arguatur male facere voluisse? Nemo, opinor; nam ego, quod ad me attinet, nolim . . . Quid nunc? ecqua tandem lex est tam acerba, quae dicat: si quis illud facere voluerit, mille minus dimidium familiae multa esto; si quis plus quingenta iugera habere voluerit, tanta poena esto; si quis maiorem pecuum [*Festus lib.* 16 *s. v. pecuum*] numerum habere voluerit, tantum damnas esto. Atqui nos omnia plura [*pluria*? *cf. Gellius* 5, 21, 6] habere volumus, et id nobis impune est. . . . Sed si honorem non aequum est haberi ob eam rem, quod bene facere voluisse quis dicit neque fecit tamen, Rhodiensibus male erit, non quod male fecerunt, sed quia voluisse dicuntur facere? . . . Rhodienses superbos esse aiunt id obiectantes, quod mihi et liberis meis minime dici velim. Sint sane superbi; quid id ad nos attinet? Idne irascimini, si quis superbior est quam nos? . . . Praeterea [in ista oratione Rhodienses] nunc ut optime meritos commendat, nunc tamquam sint innocentes purgat, ne bona divitiaeque eorum expetantur obiurgat, nunc et quasi sit erratum

deprecatur, nunc ut necessarios rei publicae ostentat, nunc clementiae, nunc mansuetudinis maiorum, nunc utilitatis publicae commonefacit. Eaque omnia . . . fortius atque vividius potuisse dici non videntur . . . Commodius autem de his . . . iudicium faciet, qui orationem ipsam Catonis totam acceperit in manus. *Gellius* 7, 3. 103. Item in quinto: urbes insulasque omnis pro agro Illyrio esse. *Gellius* 11, 3, 2. 104. Cato in V Originum: illi polliciti sese facturum omnia. *Priscianus* 9, 7, 39. 105. Cato Originum lib. V: origine fluvium Naronem magnum, pulchrum, pisculentum. *Nonius p.* 151, 6. 106. Pilates lapidis genus, cuius meminit Cato Originum l. V: lapis candidior quam pelastes [*φελλάτης*?] *Festus lib.* 16 *s. v. pilates.* 107. Est scriptum a M. Catone in sexta Origine: itaque ego, inquit, cognobiliorem cognitionem esse arbitror. *Gellius* 20, 5, 13. 108. Ut ait Cato, et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui. *Servius ad Aen.* 1, 730. 109. Cato in Originibus: alae ex lupino lugium... [*legumine*?] *Servius ad Georg.* 1, 75. 110. Hic glis, non glir neque gliris . . . Cato in Originibus ita est locutus. *Charisius* 1, 17, 69. 1, 21, 113. Biber, *τὸ πιεῖν* . . . Cato quoque Originum. *Charisius* 1, 21, 46. 111. De magnitudine Gallicarum succidiarum Cato scribit his verbis: in Italia in scrobes [*Insubres*?] terna atque quaterna milia aulia succidia vere [*habere*?] sus usque adeo pinguitudine crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit neque progredi usquam. Itaque eas si quis quo traicere vult, in plostrum imponit. *Varro de re rustica* 2, 4, 11. 112. M. Cato Originum li. VII: qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos allutaciniatos, ceteri perones. *Festus lib.* 11 *s. v. mulleos.* 113. Qui magistratum petebant, tunicis exutis in solis togis hoc facere solebant, ut Cato tradidit. *Plutarchus quaest. Rom.* 49. 114. Commemorat Cato Originum l. VII

Digitized by Google

mulieres opertas auro purpuraque, arsinea, rete, diadema, coronas aureas, rusceas fascias, galbeas lineas, pallas, redimicula. *Festus lib.* 17 *s. v. ruscum.* Cato ait, deposita veste purpurea feminas usas caerulea, cum lugerent. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 64. 115. Cato in Originibus: mulieres, inquit, nostrae capillum cinere unguitabant, ut rutilus esset crinis. *Charisius* 1, 18, 19. In Catone legitur de matronarum crinibus: flavo cinere unctitabant, ut rutilae essent. *Servius ad Verg. Aen.* 4, 698. 116. Cato [scribit] ideo propinquos feminis osculum dare, ut scirent an temetum olerent. *Plinius nat. hist.* 14, 13, 90. 117. Cato Originum VII: iurum legumque cultores. *Charisius* 1, 18, 1. 1, 20, 136. 118. Cato Originum libris: ne praedia in lubricum dirigerentur, cum tributus exigeretur. *Nonius p.* 229, 9. 119. Socordiam M. Cato pro stultitia posuit *Originum l.* VII. cum ait: .... *ob immensam timiditatem et socordiam causa erat*, ne quid negoti *publici* .... *gereretur.* *Festus lib.* 18 *s. v. socordiam.* 120. Et lib. VII: fluvium Hiberum; is oritur ex Catinatis [*Cantabris*?] magnus atque pulcher, pisculentus. *Nonius p.* 151, 8. 121. M. Cato in libris [III libro *alii*] Originum ... cum de Hispanis scriberet, qui citra Hiberum colunt, verba haec posuit: sed in his regionibus ferrariae argenti fodinae pulcherrimae, mons ex sale mero magnus; quantum demas, tantum adcrescit. Ventus cercius, cum loquare, buccam implet, armatum hominem, plaustrum oneratum percellit. *Gellius* 2, 22, 29. *Apuleius de mundo* 14. 122. M. Cato in Originibus: dotes filiabus suis non dant. *Priscianus* 7, 3, 10. *cf. Strabo* 3, 4, 18. 123. Lusitanis a Ser. Galba praetore contra interpositam, ut existimabatur, fidem interfectis, L. Libone tribuno plebis populum incitante et rogationem in Galbam privilegii similem ferente, summa senectute M. Cato legem suadens in Galbam multa

dixit; quam orationem in Origines suas rettulit paucis ante quam mortuus est diebus an mensibus. *Cicero in Bruto* 23, 89. *de oratore* 1, 53, 227. *Valerius Maximus* 8, 1, 2. Extat oratio in annalibus eius inclusa. *Livius epitome* 49. 124. Cato ex Originum septimo in oratione, quam contra Servium Galbam dixit . . : multa me dehortata sunt huc prodire, anni, aetas, vox, vires, senectus; verum enimvero cum tantam rem peragier arbitrarer. *Gellius* 13, 24, 15. M. Cato de Lusitanis, cum Ser. Galbam accusavit: tamen dicunt deficere voluisse. Ego me nunc volo ius pontificium optime scire; iamne ea causa pontifex capiar? Si volo augurium optime tenere, ecquis me ob eam rem augurem capiat? *Gellius* 1, 12, 17. 125. Servium quidem Galbam miseratione sola, qua non suos modo liberos parvulos in contione produxerat, sed Galli etiam Sulpicii filium suis ipse manibus circumtulerat, elapsum esse, cum aliorum monumentis tum Catonis oratione testatum est. *Quintilianus inst. orat.* 2, 15, 8. Apud Catonem scriptum esse video, nisi pueris et lacrimis usus esset, poenas eum daturum fuisse. *Cicero de oratore* 1, 53, 228. *cf. Bruto* 23, 90. Cato de Galba absoluto . . . dissuadet neve suos neve alienos quis liberos ad misericordiam conciliandam producat neve uxores neve adfines vel ullas omnino feminas. *Fronto epist.* 3, 20 *p.* 85 *Rom.*

VII. L. CASSIUS HEMINA ET ALII CASSII.

1. Saturnum . . . omnes scriptores vetustatis Graeci Romanique hominem prodiderunt. Scit hoc Nepos et Cassius in historia, et Thallus ac Diodorus hoc loquuntur. *Minucius Felix*

Digitized by Google

22, 8. Res eius in Italia gestas memoriae prodiderunt . . . Nepos et Cassius et Varro. *Lactantius institut.* 1, 13, 8. Cassius Severus aut Cornelius Nepos. *Tertullianus apolog.* 10. Legimus apud Cassium Severum, apud Cornelios Nepotem et Tacitum. *Tertullianus ad nationes* 2, 12. 2. Cassius Hemina tradidit, Siculum quendam nomine uxoris suae Clytemestrae condidisse Clytemestrum, mox corrupto nomine Crustumerium dictum. *Servius ad Verg. Aen.* 7, 631. 3. Notum est constitutam . . . Ariciam ab Archilocho Siculo, unde et nomen, ut Cassio Heminae placet, tractum. *Solinus polyh.* 8. 4. Cincius et Cassius aiunt ab Euandro Faunum etc. *supra p.* 259, 22. Eo regnante forte Recaranus quidam Graecae originis, ingentis corporis et magnarum virium pastor, quia erat forma et virtute ceteris antecellens Hercules appellatus, eodem venit. Cumque armenta eius circa flumen Albulam pascerentur, Cacus Euandri servus, nequitiae versutus et praeter cetera furacissimus, Recarani hospitis boves subripuit ac, ne quod esset indicium, aversas in speluncam attraxit. Cumque Recaranus vicinis regionibus peragratis scrutatisque omnibus eiuscemodi latebris desperasset inventurum, utcumque aequo animo dispendium ferens, excedere his finibus constituerat. At vero Euander excellentissimae iustitiae vir postquam rem uti acta erat comperit, servum noxae dedit bovesque restitui fecit. Tum Recaranus sub Aventino Inventori Patri aram dedicavit appellavitque Maximam et apud eam decimam sui pecoris profanavit. Cumque ante moris esset, uti homines decimam fructuum regibus suis praestarent, aequius sibi ait videri deos potius illo honore impartiendos esse quam reges; inde videlicet tractum, ut Herculi decimam profanari mos esset . . . Consecrata igitur ara maxima profanataque apud eam decima, Recaranus, eo quod Carmentis invitata ad id sacrum non affuisset, sanxit ne cui feminae fas esset vesci ex eo quod eidem

arae sacratum esset, atque ab ea re divina feminae in totum remotae. Haec Cassius lib. 1. *Aur. Victor de orig. g. R.* 6. *cfr. Servius ad Verg. Aen.* 8, 190. 203. 5. Hemina hist. lib. I: prudens perplexim [*σχοτεινῶς*] scribit [Tarpeia?] *Nonius p.* 515, 19. 6. Additur etiam a L. Cassio censorio, miraculo magis Aenean patris [*dignitate sanctio*]rem inter hostes intactum properavisse concessisque ei navibus in Italiam navigasse. Idem [*Varro*?] historiarum libro I ait, Ilio capto *Aenean cum dis Pena*tibus umeris inpositis erupisse duosque filios Ascanium et Eurybaten bracchio eius innixos ante ora hostium prae*tergressos*, *data*s etiam ei naves concessumque, ut quas vellet de navibus securus veheret. *Scholia Veronensia ad Verg. Aen.* 2, 717. 7. Cassius Hemina dicit, Samothracas deos eosdemque Romanorum Penates proprie dici *θεοὺς μεγάλους, θεοὺς χρηστούς, θεοὺς δυνατούς.* *Macrobius Saturn.* 3, 4. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 382. 8. Nec omissum sit, Aeneam aestate ab Ilio capto secunda Italicis litoribus appulsum, ut Hemina tradit, sociis non amplius sexcentis in agro Laurenti posuisse castra; ubi dum simulacrum quod secum ex Sicilia advexerat, dedicat Veneri matri, quae Frutis dicitur, a Diomede Palladium suscipit etc. *Solinus polyh.* 8. 9. Histor. Hemina lib. 1: et tum quo irent nesciebant, ilico manserunt. His persuadetur, ilico manerent; pars ilico manent. *Nonius p.* 325, 8. 10. De Homero et Hesiodo inter omnes fere scriptores constitit, aetatem eos egisse iisdem fere temporibus ... Silviis Albae regnantibus, annis post bellum Troianum, ut Cassius in primo annalium de Homero atque Hesiodo scriptum reliquit, plus centum atque sexaginta annis. *Gellius* 17, 21, 3. 11. 'Grunnit porcus' dicimus, veteres grundire dicebant ... hinc quoque Grundiles Lares dictos accepimus, quos Romulus constituisse dicitur in honorem scrofae, quae triginta pepererat porcos. Hoc ita esse affirmat Cassius [He-

Digitized by Google

mina] in secundo historiarum: pastorum vulgus sine contentione consentiendo praefecerunt aequaliter imperio Remum et Romulum, ita ut de regno pararent inter se. Monstrum fit: sus parit porcos triginta, cui rei fanum fecerunt Laribus Grundilibus. *Diomedes I p.* 379. *Nonius p.* 114. 12. Pisces marinos in usu fuisse protinus a condita Roma auctor est Cassius Hemina, cuius verba de ea re subiciam: Numa constituit ut pisces, qui squamosi non essent, ni pollucerent, parsimonia commentus, ut convivia publica et privata coenaeque ad pulvinaria facilius compararentur; ni qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent eaque praemercarentur. *Plinius nat. hist.* 32, 2, 20. 13. Numa instituit deos fruge colere et mola salsa supplicare atque, ut auctor est Hemina, far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset. Id uno modo consecutum statuendo, non esse purum ad rem divinam nisi tostum. Is et Fornacalia instituit etc. *Plinius nat. hist.* 18, 2, 7. 14. Cassius Emina annali lib. II: tunc Marcus praeco primum proletarios armavit. *Nonius p.* 67, 21. *cfr. Gellius* 16, 10, 1. 15. Cassius Servium Tullium fecisse nundinas dicit, ut in urbem ex agris convenirent urbanas rusticasque res ordinaturi. *Macrobius Saturn.* 1, 16. 16. Cassius autem Hemina ait, Tarquinium Superbum, cum cloacas populum facere coegisset et ob hanc iniuriam multi se suspendio necarent, iussisse corpora eorum cruci affigi. Tunc primum turpe habitum est mortem sibi consciscere. *Servius ad Verg. Aen.* 12, 603. 17. Apud Cassium in annalium secundo: ne quis regnum occuparet, si plebs nostra fremere imperia coepisset. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 60. 18. Cassius Emina historiarum libro II: censuit sese regem Porsennam occidere. *Nonius p.* 267, 19. 19. L. Cassius Emina in secundo annalium: idque admiratum esse gavisi. *Priscianus* 9, 9, 47. 20. Cassius similiter: adulatique erant et ab amicis exhortati.

Priscianus 8, 4, 15. 21. Cassius Hemina de censoribus lib. II: et in area in Capitolio signa quae erant, demolivit. *Nonius p.* 346, 22. 22. Cassius Hemina lib. II annali: quae nata sunt, ea omnia denasci aiunt. *Nonius p.* 101, 28. 23. Tuditanus refert . . . decemviros, qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse. Cassius eosdem scribit auctores. *Macrobius Saturn.* 1, 13. 24. Gallis Capitolium obsidentibus sacerdos quidam nomine Dorso, ad perficiendum annuum aliquod sacrificium cum de Capitolio descendisset, sacra manibus gerens per medios hostes seu attonitos miraculo audaciae seu pietatem viri speciemque religionis reveritos in templum Vestae pervenit, servatusque a diis est, quorum cultum ne in periculis quidem deseruisset. Hoc ita factum ait Causius [*Cassius*?] Romanus. *Appianus de reb. Gallicis fragm.* 6. 25. Dies postridianos ad omnia maiores nostri cavendos putarunt, quos etiam atros velut infausta appellatione damnarunt . . . Horum causam Gellius annalium libro XV et Cassius Hemina historiarum libro secundo referunt. Anno ab urbe condita trecentesimo sexagesimo tertio a tribunis militum Verginio, Manlio, Aemilio, Postumio collegisque eorum in senatu tractatum, quid esset propter quod totiens intra paucos annos male esset afflicta res publica; et ex praecepto patrum L. Aquinium haruspicem in senatum venire iussum religionum requirendarum gratia dixisse, Q. Sulpicium tribunum militum ad Aliam adversum Gallos pugnaturum rem divinam dimicandi gratia fecisse postridie idus Quintiles, item apud Cremeram multisque aliis temporibus et locis post sacrificium die postero celebratum male cessisse conflictum. Tunc patres iussisse ut ad collegium pontificum de his religionibus referretur; pontificesque statuisse postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus atros dies habendos, ut hi dies neque proeliares neque puri neque comitiales essent. *Macrobius Saturn.* 1, 16.

Digitized by Google

26. Cassius Hemina in III annalium: in campo Tiburti ubi ordeum demessuerunt. *Priscianus* 10, 8, 47. *de xii vers. Aen.* 7, 132. *cfr. supra p.* 277, 22. 27. Cassius Hemina annalium lib. III: homo mere litterosus. *Nonius p.* 133, 5. 28. Hemina in annos: quicumque propter plebitatem agro publico eiecti sunt. *Nonius p.* 149, 4. 29. Cassius Hemina lib. III [IIII?]: mulier cantabat tibiis Frygiis, et altera cymbalissabat. *Nonius p.* 90, 24. 30. Cassius Hemina ex antiquissimis auctor est, primum e medicis venisse Romam Peloponneso Archagathum Lysaniae filium L. Aemilio M. Livio consulibus anno urbis DXXXV, eique ius Quiritium datum et tabernam in compito Acilio emptam ob id publice. Vulnerarium eum fuisse e re dictum mireque gratum adventum eius initio, mox a saevitia secandi urendique transisse nomen in carnificem et in taedium artem omnesque medicos. *Plinius nat. hist.* 29, 1, 12. 13. 31. Cassius Emina annalem suum quartum hoc titulo inscripsit: bellum Punicum posterior. *Priscianus* 7, 13, 69. 32. Eabus etiam pro eis . . . Hemina protulit in IIII annalium: scriba pontificius, qui cum eabus stuprum fecerat. Dicit enim de Vestalibus. *Priscianus* 7, 3, 11. 33. Utrasque pro utrimque vel utrobique. Hemina historiarum lib. IIII: in Hispania pugnatum bis, utrasque nostri loco moti. *Nonius p.* 183, 23. 34. Hemina annalium lib. IIII: ex Tiberi lacte haurire. *Nonius p.* 483, 4. 35. Cassius Hemina annalium lib. IIII: nemo vicinus consedo. *Nonius p.* 62, 24. 36. Cassius Hemina historiarum lib. IIII: qua fini omnis res atque omnes artes humanitus aguntur. *Nonius p.* 205, 13. 514, 17. 37. Cassius Hemina vetustissimus auctor annalium quarto eorum libro prodidit, Cn. Terentium scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem offendisse arcam, in qua Numa, qui Romae regnavit, situs fuisset. In eadem libros eius repertos P. Cornelio L. f. Cethego, M. Baebio Q. f. Tamphilo consulibus, ad quos a regno Numae

colliguntur anni DXXXV, et hos fuisse e charta, maiore etiamnum miraculo, quod tot infossi duraverunt annis. Quapropter in re tanta ipsius Heminae verba ponam: Mirabantur alii, quomodo illi libri durare potuissent. Ille ita rationem reddebat, lapidem fuisse quadratum circiter in media arca vinctum candelis quoquoversus; in eo lapide insuper libros impositos fuisse, propterea arbitrari eos non computruisse; et libros citratos fuisse, propterea arbitrarier tineas non tetigisse. In his libris scripta erant philosophiae Pythagoricae; eosque combustos a Q. Petilio praetore, quia philosophiae scripta essent. Hoc idem tradit L. Piso [*sic in indice*] censorius primo commentariorum, sed libros septem iuris pontificii totidemque Pythagoricos fuisse; Tuditanus decimo tertio, Numae decretorum fuisse; ipse Varro humanarum antiquitatum sexto, Antias secundo, duos pontificales Latinos, totidem Graecos praecepta philosophiae continentes. Idem tertio ponit, quo comburi eos placuerit. *Plinius nat. hist.* 13, 13, 84—87. 38. Cassius Hemina in IV annali: hos libros si quis nostratis sapiens. *Priscianus* 12, 4, 17. 39. Et alibi Cassius Hemina docet ita: Sinuegiae magalia addenda murumque circum eam. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 425. *Collatis apud Livium* 41, 27, 12 *verbis: et Sinuessam a ga . . . . da viariae in his et clo . . . . um circumducend . ., apud Cassium Sinuessae, apud Livium 'et Sinuessae magalia addenda — murum circumducendum' emendo.* 40. De quartorum ludorum [secularium] anno triplex opinio est. Antias enim et Varro et Livius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino M'. Manilio consulibus post Romam conditam DCV. At Piso censorius et Gn. Gellius, sed et Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat, post annum factos tertium adfirmant, Gn. Cornelio Lentulo L. Mummio Achaico consulibus, id est anno DCIII. In Quindecimvirorum autem commentariis notantur sub anno DCXXVIII M. Aemilio Le-

Digitized by

pido L. Aurelio Oreste consulibus. *Censorinus de die nat.* 17, 11. 41. *Praeterea Cassio Hemina auctore usus est Plinius nat. hist. l. XII, qui est de arboribus.* 42. L. Cassius Longinus, qui Ravilla appellatus est, censor anno p. u. c. DCXXVII. *Frontinus de aquaed.* 8. Historiam et prudentiam iuris publici et antiquitatis iter et exemplorum copiam, si quando opus erit, a viro optimo et istis rebus instructissimo familiari meo Longo [*Longino*?] mutuabor. *Cicero de oratore* 1, 60, 256. *anno p. u. c.* 662. Primum de plebe aedilem curulem . . . nescivimus, neque fuit qui id nobis narraret, praesertim mortuo Longino [Longe *Erf.* Conco *Schol.*] *Cicero pro Plancio* 24, 58 *L. Cassium Longinum irridens.* Mentionem Conci interposuit, qui per illud tempus decesserat, homo curiosus et diligens eruendae vetustatis; nam historicus . . . *Scholia Bobiensia ad Cic. pro Plancio p.* 264 *Orell.* C. Longus veteris disciplinae studiosus. *Diodorus Sic. lib.* 36. 43. *In enumerandis scriptoribus, quibus ad contexendos rerum Romanarum annales usus sit, Eusebius (post Diodorum, ante Phlegontem) Cassium Longinum refert, qui XVIII libris olympiadas CCXXVIII complexus sit. Ergo scripsit is extremis Hadriani temporibus. Eusebius Chronic.* 1, 41.

VIII. L. CALPURNIUS PISO FRUGI ALIIQUE PISONES.

1. Historiis quoque usus sum, quos laudatissimi Romanorum [Latino sermone] scripserunt, Porcius Cato, Fabius Maximus, Valerius Antias, Licinius Macer, Aeliique et Gellii et Calpurnii et ceteri scriptores multi haud ignobiles. Quorum annales persimiles Graece scriptis [*supra p.* 251, 15] materiam mihi praebuerunt uberrimam. *Dionysius Halic.* 1, 7. L. Piso . . . et causas egit et multarum legum aut auctor aut dissuasor fuit; isque et orationes reliquit, quae iam evanuerunt et an-

nales sane exiliter scriptos. *Cicero in Bruto* 27, 106. *cfr. de oratore* 2, 12, 52 *sq. de legibus* 1, 2, 6 [*supra p.* 251.] Extat oratio . . . C. Gracchi, qua in oratione permulta in L. Pisonem turpia ac flagitiosa dicuntur. At in quem virum? qui tanta virtute atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, cum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur. *Cicero pro Fonteio* 13, 29. *Consul fuerat anno p. u. c.* 621, *censor ut videtur a.* 633. *Alius L. Piso censor fuit a.* 704. 2. Italia a vitulis [dicta est,] ut scribit Piso. *Varro de re rustica* 2, 1, 9. Piso ait vitulam victoriam nominari. Cuius rei hoc argumentum profert, quod postridie Nonas Iulias re bene gesta, cum pridie populus a Tuscis in fugam versus sit, unde Populifugia vocantur, post victoriam certis sacrificiis fiat vitulatio. *Macrobius Saturn.* 3, 2. 3. De Sibylla et Prochyta *supra p.* 263, 16. Quartam [Sibyllam] Cimmeriam in Italia, quam Naevius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat. *Varro apud Lactantium institut.* 1, 6, 9. 4. Piso quidem Turnum matruelem Amatae fuisse tradit, interfectoque Latino mortem ipsam sibimet conscivisse. Igitur Aeneam occiso Turno rerum potitum, cum adhuc irarum memor Rutulos bello persequi instituisset, illos sibi ex Etruria auxilium Mezentii regis Agyllaeorum adscivisse ac imploravisse etc. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 13. 14. 5. Post eum regnavit Aremulus Silvius, qui tantae superbiae non adversum homines modo, sed etiam deos fuisse traditur, ut praedicaret se superiorem esse ipso Iove, ac tonante caelo militibus imperaret ut telis clipeos quaterent, dictaretque clariorem sonum se facere. Qui tamen praesenti affectus est poena; nam fulmine ictus raptusque turbine in Albanum lacum praecipitatus est, ut scriptum est Annalium lib. VI et epitomarum Pisonis II. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 18, 2. 3. 6. *De Romulo et Remo cum alios tum Calpur-*

Digitized by Google

nium Pisonem Dionysius Halic. 1, 79 *secutos esse ait Q. Fabium Pictorem, cfr. supra p.* 253, 13. 7. Asylum etiam Romulus imitatus est . . . quem locum deus Lucoris, sicut Piso ait, curare dicitur. *Servius ad Verg. Aen.* 2, 761. 8. Circumeuntes Capitolinum collem Sabinos ac speculabundos, si qua aut vi aut dolo arce potiri possent, cum desuper animadvertisset Tarpeia virgo, praefecti arcis filia, animum cupido incessit, ut Lucius quidem Piso censorius scribit, praeclaro aliquo facinore perpetrato hostes suis tradere inermes. Emissa igitur per ignoratum ceteris posticulum ancilla Tatium Sabinorum regem arcessivit aitque, patrem Capitolio digressum, portarum claves se asservare paratamque esse arcem ei tradere, si pro mercede accepisset, quod cuncti Sabini sinistris manibus gererent. Re probata et tempore ac loco proditionis constituto discedunt . . . Sed nocturno tempore (sic enim Piso censorius tradit) Tarpeia nuntium ad Romulum mittit docetque quid cum Sabinis pacta esset, sed pro eo quod consulto ambigue pepigisset aperte petituram se scuta; quare mitteret idoneos milites, qui facili negotio hostes oppressuri essent armis exutos. Verum is nuntius in castra Sabinorum transfugit regique de consiliis Tarpeiae detulit . . . Itaque virgo accedentes Sabinos ostio recluso intromittit simulque suos quam celerrime, ut in re perdita, fugere iubet . . . Sabini cum mercedem proditionis daturi essent aureas armillas, Tarpeiam Piso ait non ornamenta sed scuta poposcisse. Tum Tatium indignatione talis doli commotum, simul ne religionem violaret, tradidisse quidem puellae arma, sed ita ut acceptis uti non posset; quippe summa virium contentione scutum in virginem proiecisse suosque idem facere iussisse. Ita impetitam undique et oppressam vi et multitudine scutorum occubuisse. Hanc Pisonis narrationem ut veriorem [quam Fabii et Cincii] habeam, movet id quod necem eius secutum est. Nam et sepulcri

honore dignata est quo loco cecidit, in colle urbis sacratissimo, et quotannis ei Romani reddunt inferias, sicut Piso scribit, neutrum facturi, si proditionis convictam habuissent. *Dionysius Halic.* 2, 38—40. 9. In foro lacum Curtium a Curtio dictum constat, et de eo triceps historia; nam et Procilius non idem prodidit quod Piso, nec quod is, Cornelius Stilo secutus . . . Piso in annalibus scribit Sabino bello, quod fuit Romulo et Tatio, virum fortissimum Metium Curtium Sabinum, cum Romulus cum suis ex superiore parte impressionem fecisset, Curtium in locum palustrem, qui tum fuit in foro ante quam cloacae sunt factae, secessisse atque ad suos se in Capitolium recepisse; ab eo lacum invenisse nomen. *Varro de lingua lat.* 5, 148 *sq.* 10. Novensiles Piso deos esse credit novem in Sabinis apud Trebiam [Trebulam?] constitutos. *Arnobius adv. gentes* 3, 38. 11. Cincius mensem nominatum putat a Maia, quam Vulcani dicit uxorem . . . sed Piso uxorem Vulcani Maiestam, non Maiam dicit vocari. *Macrobius Saturn.* 1, 12. 12. Varro Pilumnum et Picumnum infantium deos esse ait, . . . Piso Pilumnum dictum, quia pellat mala infantiae. *Servius ad Verg. Aen.* 10, 76. 13. Dehinc idem Romulus Iovi Feretrio ludos instituit in Tarpeio, quos Tarpeios dictos et Capitolinos Piso tradidit. *Tertullianus de spectac.* 5. 14. Simplicissima suavitate et rei et orationis L. Piso Frugi usus est in primo annali, cum de Romuli regis vita atque victu scriberet. Ea verba quae scripsit haec sunt: eundem Romulum dicunt ad coenam vocatum ibi non multum bibisse, quia postridie negotium haberet. Ei dicunt: Romule, si istuc omnes homines faciant, vinum vilius sit. Is respondit: immo vero carum, si quantum quisque volet bibat; nam ego bibi quantum volui. *Gellius* 11, 14. 15. [Porta] Ianualis dicta ab Iano, et ideo ibi positum Iani signum et ius institutum a Pompilio, ut scribit in annalibus Piso, ut sit

Digitized by Google

aperta semper, nisi cum bellum sit nusquam. Traditum est memoriae, Pompilio rege fuisse opertam et post Tito Manlio consule, bello Carthaginensi primo confecto, eodem anno opertam et apertam. *Varro de lingua lat.* 5, 165. 16. Vetus fama Etruriae est . . . [fulmen] evocatum et a Porsina suo rege. Et ante eum a Numa saepius hoc factitatum in primo annalium suorum tradidit L. Piso gravis auctor, quod imitatum parum rite Tullum Hostilium ictum fulmine. *Plinius nat. hist.* 2, 53, 140. 17. *De relictis a Numa libris cfr. supra p.* 294, 11. 18. Obiit Numa non repentina aut inopinata morte, sed paulatim senectute et leni infirmitate confectus, ut scripsit Piso. *Plutarchus in Numa* 21, 3. 19. L. Piso primo annalium auctor est, Tullum Hostilium regem ex Numae libris eodem quo illum sacrificio Iovem caelo devocare conatum, quoniam parum rite quaedam fecisset, fulmine ictum. *Plinius nat. hist.* 28, 2, 14. 20. Pueros istos [L. Tarquinium Superbum et Arruntem Tarquinium] non filios, sed nepotes Tarquinii fuisse scribo, L. Pisonem Frugi secutus; ille enim in annalibus libris hoc tradidit solus. *Dionysius Halic.* 4, 7. *cfr. supra p.* 254. 21. Servium Tullium tradit Lucius Piso in primo annalium libro, ut habitantis in urbe multitudinis numerum cognosceret, quot homines singulis annis nascerentur, quot morerentur et quot virilem togam sumerent, statuisse, quantus nummus pro singulis persolvendus esset a cognatis; in aerarium Ilithyiae quam Romani Iunonem Lucinam dicunt, pro natis; in Veneris quam Libitinam appellant aerarium in luco situm, pro defunctis; in Iuventae pro togam virilem sumentibus. Hac ratione quotannis comperiebat, quantus esset civium numerus et quinam eorum aetatem haberent militarem. *Dionysius Halic.* 4, 15. 22. *De impensis aedificandi templi Iovis Capitolini cfr. supra p.* 254, 24. 23. Piso historiarum primo: cuius unius praemio multorum allicuit animos.

Digitized by Google

Priscianus 10, 1, 3. 24. Piso Frugi in II annalium: quodcumque deliquisset, ignosciturum affirmabat. *Priscianus* 10, 3, 18. 25. Apud Pisonem in secundo annalium verba haec sunt: L. Tarquinium collegam suum, quia Tarquinio nomine esset, metuere, eumque orat uti sua voluntate Roma incontendat [*Roma concedat*?] *Gellius* 15, 29, 2. 26. Cloeliae statuam equestrem . . . primam cum Coclitis publice dicatam crediderim, . . . nisi Cloeliae quoque Piso traderet ab iis positam, qui una obsides fuissent, redditis a Porsina, honorem. *Plinius nat. hist.* 34, 6, 29. 27. Iidem coronas ex auro dedere et civibus. Quis primus donatus sit ea, non inveni equidem, quis primus donaverit a L. Pisone traditur. A. Postumius dictator apud lacum Regillum castris Latinorum expugnatis ei, cuius maxime opera capta essent, hanc coronam ex praeda dedit. *Plinius nat. hist.* 33, 2, 38. 28. In Sacrum montem secessisse . . . Ea frequentior fama est, quam cuius Piso auctor est, in Aventinum secessionem factam esse. *Livius* 2, 32, 3. 29. Tum primum tributis comitiis creati tribuni sunt; numero etiam addito tres, perinde ac duo antea fuerint, Piso auctor est. Nominat quoque tribunos C. Siccium, L. Numitorium, M. Duellium, Sp. Icilium, L. Maecilium. *Livius* 2, 58, 1 *sq.* 30. *De Sp. Maelio a Servilio Ala occiso supra p.* 260 *sq.* 31. Lectisternium tunc primum Romae factum etc. Piso censorius in annalibus hoc etiam adicit, servis, quos in vinculis domini habuissent, solutis, magna advenarum multitudine urbem pervagante, patentibus dies noctesque ianuis domorum et introeuntibus quicumque vellent, neminem tamen aut de rebus furto ablatis aut de ulla iniuria accepta conquestum esse, quamquam festi dies vinique largior usus multam licentiam atque violentiam afferre solerent. *Dionysius Halic. XII. in excerptis ab Angelo Maio editis, nova collect. t.* 2 *p.* 470. 32. Creati consules L. Postumius Ti. Minucius.

Digitized by Google

Hos consules Piso Q. Fabio et P. Decio suggerit, biennio exempto, quo Claudium Volumniumque et Cornelium cum Marcio consules factos tradidimus. Memoriane fugerit in annalibus digerendis, an consulto binos consules falsos ratus transcenderit, incertum est. *Livius* 9, 44, 3 *sq.* 33. Quod res videbatur memoratu digna, quam fecisse Cn. Flavium Anci [*Cnei*?] filium aedilem curulem L. Piso in tertio annali scripsit, eaque res perquam pure et venuste narrata a Pisone, locum istum totum huc ex Pisonis annali transposuimus: Cneius, inquit, Flavius patre libertino natus scriptum faciebat, isque in eo tempore aedili curuli apparebat, quo tempore aediles subrogantur; eumque pro tribu aedilem curulem renuntiaverunt. At aedilis [*At ille*?] qui comitia habebat, negat accipere neque sibi placere, qui scriptum faceret eum aedilem fieri. Cn. Flavius Anci filius dicitur tabulas posuisse, scriptu sese abdicasse; isque aedilis curulis factus est. Idem Cn. Flavius Anci filius dicitur ad collegam venisse visere aegrotum, et in conclave postquam introivit, adolescentes ibi complures nobiles sedebant contemnentes eum, assurgere ei nemo voluit. Cn. Flavius Anci filius aedilis id arrisit, sellam curulem iussit sibi afferri, eam in limine apposuit, ne quis illorum exire posset, utique ii omnes inviti viderent sese in sella curuli sedentem. *Gellius* 6, 9. 34. In eum annum cum Q. Fabium consulem non petentem omnes dicerent centuriae, ipsum auctorem fuisse Macer Licinius ac Tubero tradunt differendi sibi consulatus in bellicosiorem annum; eo anno maiori se usui rei publicae fore urbano gesto magistratu. Ita nec dissimulantem quid mallet, nec petentem tamen aedilem curulem cum L. Papirio Cursore factum. Id ne pro certo ponerem, vetustior annalium auctor Piso effecit, qui eo anno aediles curules fuisse tradit Cn. Domitium Cn. f. Calvinum et Sp. Carvilium Q. f. Maximum. Id credo cognomen errorem in

aedilibus fecisse, secutamque fabulam mixtam ex aediliciis et consularibus comitiis, convenientem errori. *Livius* 10, 9, 10—13. 35. Contra Hieronem regem CCXX naves effectas diebus XLV tradit L. Piso. *Plinius nat. hist.* 16, 39, 192. 36. Elephantos ... Roma vidit plurimos anno DII victoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Poenis captos. CXLII fuere aut ut quidam CXL ... Verrius eos pugnasse in circo interfectosque iaculis tradit ... L. Piso inductos dumtaxat in circum atque, ut contemptus eorum increscerent, ab operariis hastas praepilatas habentibus per circum totum actos. Nec quid deinde iis factum sit auctores explicant, qui non putant interfectos. *Plinius nat. hist.* 8, 6, 17. 37. L. Piso tradit Papirium Masonem, qui primus in monte Albano triumphavit de Corsis, myrto coronatum ludos circenses spectare solitum. Avus maternus Africani sequentis hic fuit. *Plinius hist. nat.* 15, 29, 126. 38. Ita nocte ac die bina castra hostium expugnata ductu L. Marcii. Ad triginta septem milia hostium caesa auctor est Claudius etc. *supra p.* 263 *sq.* Valerius Antias una castra Magonis capta tradidit, septem milia caesa hostium; altero proelio eruptione pugnatum cum Hasdrubale, decem milia occisa, quattuor milia trecentos triginta captos. Piso quinque milia hominum, cum Mago cedentes nostros effuse sequeretur, caesa ex insidiis scribit. Apud omnes magnum nomen Marcii ducis est. Et verae gloriae eius etiam miracula addunt, flammam ei contionanti fusam e capite sine ipsius sensu cum magno pavore circumstantium militum. Monumentumque victoriae eius de Poenis usque ad incensum Capitolium fuisse in templo clipeum Marcium appellatum cum imagine Hasdrubalis. *Livius* 25, 39, 12—17. 39. Nequeo mihi temperare quominus unum exemplum antiquitatis afferam, ex quo intelligi possit apud populum etiam de culturis agendi morem fuisse, qualiterque defendi soliti sint illi

Digitized by Google

viri. C. Furius Chresimus e servitute liberatus cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet quam ex amplissimis vicinitas, in invidia magna erat ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quam ob rem a Sp. Albino curuli die dicta, metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit et adduxit filiam validam atque, ut ait Piso, bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. Postea dixit: veneficia mea, Quirites, haec sunt, nec possum vobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes meas vigiliasque et sudores. Omnium sententiis absolutus itaque est. *Plinius nat. hist.* 18, 6, 41—43. 40. Triclinia aerata abacosque et monopodia Cn. Manlium Asia devicta primum invexisse triumpho suo, quem duxit urbis anno DLXVI, L. Piso auctor est. *Plinius nat. hist.* 34, 3, 14. 41. Ab Aquileia ad duodecimum lapidem deletum oppidum etiam invito senatu a M. Claudio Marcello L. Piso auctor est. *Plinius nat. hist.* 3, 19, 131. 42. Nostri maiores, quod naturale seculum quantum esset exploratum non habebant, civile ad certum modulum annorum centum statuerunt. Testis est Piso, in cuius annali septimo scriptum est sic: Roma condita anno quingentesimo septimo [*DC septimum*?] accipit seculum his consulibus, qui proximi sunt consules, M. Aemilius M.' f. Lepidus, C. Popillius iterum absens. *Censorinus de die nat.* 17, 13. 43. Lucius Piso prodidit, M. Aemilio C. Popillio iterum consulibus a censoribus P. Cornelio Scipione M. Popillio statuas circa forum eorum qui magistratum gesserant, sublatas omnis, praeter eas quae populi aut senatus sententia statutae essent; eam vero quam apud aedem Telluris statuisset sibi Sp. Cassius, qui regnum affectaverat, etiam conflatam a censoribus. *Plinius nat. hist.* 34, 6, 30. 44. Romae in Capitolio in capite bis bello Persei

enata palma victoriam triumphosque portendit; hac tempestatibus prostrata eodem loco ficus enata est M. Messalae C. Cassii censorum lustro. A quo tempore pudicitiam subversam Piso gravis auctor prodidit. *Plinius nat. hist.* 17, 25, 245. *cfr. Festus lib.* 18 *s. v. Religionis.* 45. Piso ille Frugi in annalibus suis queritur adolescentes peni deditos esse. *Cicero ad fam.* 9, 22, 2. 46. *De quartorum ludorum secularium anno cfr. supra p.* 294, 28. 47. *Praeterea L. Pisone auctore usus est Plinius nat. hist. lib.* 12. 14. 29. 36. *qui libri sunt de arboribus, de vino, de medicina, de lapidibus.* 48. Gaius quidam Piso vir historicus tradit, Marium post coenam cum amicis ambulantem de suis ab initio rebus sermones conferre coepisse et frequenti fortunae vicissitudine commemorata hoc addidisse, non esse prudentis fortunae se etiamnum committere. Hinc valere iussis qui aderant, in morbum incidisse et postquam septem dies continuos decubuisset, mortuum. *Plutarchus in Mario* 45, 4.

IX. CN. GELLIUS ALIIQUE GELLII.

1. Res Romanas [Latino sermone] laudati scriptores memoriae tradiderunt Porcius Cato, Fabius Maximus, Valerius Antias, Licinius Macer Aeliique et Gellii et Calpurnii aliique multi haud ignobiles. *Dionysius Halic.* 1, 7. M. Cato . . . in oratione, quam pro L. Turio contra Cn. Gellium dixit. *Gellius* 14, 2, 21. Cn. Gellius *inscriptum in denariis apud Eckhel. Doctr. nummorum t.* 5 *p.* 223. L. Gellius . . . nec erat indoctus nec tardus ad excogitandum nec Romanarum rerum immemor. *Cicero in Bruto* 47, 174. 2. Agellius historiarum lib. 1: et quod bubo in columna aedis Iovis sedens

Digitized by Google

conspectus est. *Nonius p.* 194, 5. Certum est quod Salustius Crispus quodque M. Cato et Agellius historici etc. *supra p.* 269. 3. Repertores litterarum etc. *supra p.* 259. Litteras semper arbitror Assyrias fuisse, sed alii apud Aegyptios a Mercurio, ut Gellius, alii apud Syros repertas volunt; utique in Graeciam intulisse e Phoenice Cadmum sedecim numero, quibus Troiano bello Palamedem adiecisse quattuor hac figura ΘΞΦΧ, totidem post Simonidem melicum ZΗΨΩ . . Gellio Dokius Caeli filius lutei aedificii inventor placet, exemplo sumpto ab hirundinum nidis . . Auri metalla et conflaturam Cadmus Phoenix [invenit . .] aut Sol Oceani filius, cui Gellius medicinae quoque inventionem ex melle assignat . . Mensuras et pondera Phidon Argivus aut Palamedes, ut maluit Gellius. *Plinius nat. hist.* 7, 56, 192—198. *In indice auctorum ad Plinii n. h. lib. VII Gn. Gellius refertur.* 4. Cacus habitavit locum cui Salinae nomen est, ubi Trigemina nunc porta. Hic, ut Gellius tradit, cum a Tarchone Tyrrheno, ad quem legatus venerat missu Marsyae regis socio Megale Phryge, custodiae foret datus, frustratus vincula et unde venerat redux, praesidiis amplioribus occupato circa Vulturnum et Campaniam regno, dum etiam ea attrectare auderet quae concesserant in Arcadum iura, duce Hercule, qui tunc forte aderat, oppressus est. Megalen Sabini receperunt, disciplinam augurandi ab eo docti. *Solinus Polyh.* 2. Gellianus auctor est lacu Fucino haustum Marsorum oppidum Archippe, conditum a Marsya duce Lydorum [Archippen a Marsya rege Lydorum *Solin.*] *Plinius nat. hist.* 3, 12, 108. *Solinus Polyh.* 8. 5. Gentem Marsorum serpentibus illaesam esse, nihil mirum. A Circes filio genus ducunt et de avita potentia deberi sibi sentiunt servitium venenorum, ideoque venena contemnunt. Caelius [Gellius?] Aeetae tres filias dicit, Angitiam, Medeam et Circen; Circen Circaeos insedisse montes, carminum maleficiis varias imaginum facies mentientem;

Digitized by Google

Angitiam vicina Fucino occupavisse ibique salubri scientia adversus morbos resistentem, cum dedisset hominem vivere, deam habitam; Medeam ab Iasone Buthroti sepultam, filiumque eius Marsis imperasse. *Solinus Polyh.* 8. *cfr. Diodorus Sic.* 4, 56. 6. Interim Lavinia ab Aenea gravida relicta metu veluti insecuturi se Ascanii in silvam profugit ad magistrum patrii pecoris Tyrrhum, ibique enixa est puerum, qui a loci qualitate Silvius est dictus. At vero vulgus Latinorum existimans clam ab Ascanio interfectam, magnam ei invidiam conflaverat usque eo, ut armis quoque ei vim denunciaret. Tum Ascanius iureiurando se purgans cum nihil apud eos proficeret, petita dilatione ad inquirendum iram praesentem vulgi aliquantulum fregit, pollicitusque est se ingentibus praemiis cumulaturum eum qui sibi Laviniam investigasset. Mox recuperatam cum filio in urbem Lavinium reduxit dilexitque honore materno. Quae res rursum ei magnum favorem populi conciliavit, ut scribunt Caius Caesar et Sex. Gellius in origine gentis Romanae. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 16. 7. Cato autem et Gellius a Sabo Lacedaemonio etc. *supra p.* 277, 17. Sabinarum raptum quidam factum scribunt anno regnantis Romuli primo, at Gn. Gellius anno quarto, quod magis probabile. *Dionysius Halic.* 2, 31. 8. Gellius in secundo Deabus, inquit, supplicans. Et in eodem: multitudo puerorum iam erat ex raptabus. Et in tertio: capite cum aliis paucabus consilium. *Charisius* 1, 17, 6. 9. Id perite dictum intelliget qui leget Cn. Gellii annalem tertium, in quo scriptum est Hersiliam, cum apud T. Tatium verba faceret pacemque oraret, ita precatam esse: Neria Martis, te obsecro pacem dare, uti liceat nuptiis propriis et prosperis uti, quod de tui coniugis consilio contigit uti nos itidem integras raperent, unde liberos sibi et suis posteris et patriae pararent. De tui, inquit, coniugis consilio, Martem scilicet significans ...

Digitized by Google

Inibi autem animadvertendum est quod Gellius Neria dicit per A litteram, non Nerio neque Nerienes. *Gellius* 13, 22, 13—16. 10. Numa rex fetiales instituit. Quorum utrum ab Aequiculis exemplum mutuatus sit, ut nonnulli existimant, an ab Ardeatium civitate, ut scribit Gellius, compertum non habeo. *Dionysius Halic.* 2, 72. 11. Liberos Numa reliquit, ut plerique sunt auctores, filios quattuor unamque filiam, quorum adhuc superstes est posteritas, ut vero Gn. Gellius tradit, solam filiam, ex qua natus est Ancus Marcius, qui tertius ab illo regnavit. *Dionysius Halic.* 2, 76. 12. Venit igitur Tarquinius Priscus Romam Anco Marcio regnante anno, ut Gellius refert, eius regni primo, ut Licinius octavo . . . Nono Anci anno magister equitum ad bellum Latinum a rege missus est, sicut consentiens uterque scriptor ait. *Dionysius Halic.* 4, 6. 13. [Ad lacum Regillum] Licinius et Gellius, plane incuriosi eorum quae vel fieri possint vel probabilia videantur, ipsum regem Tarquinium commemorant ex equo pugnasse ac vulneratum, hominem paene nonaginta annos natum. *Dionysius Halic.* 6, 11. 14. T. Geganio Macerino P. Minucio consulibus . . . ad frumentum coemendum in Siciliam missi sunt . . . In ea insula tum per singula oppida tyranni dominabantur, quorum nobilissimus fuit Gelo Dinomenis filius, . . . non Dionysius Syracusanus, ut Licinius et Gellius aliique multi Romanorum scriptores retulerunt, nullam temporum rationem habentes et quidquid forte occurrebat temere comprobantes. Namque haec in Siciliam legatio traiecit . . . septimo decimo post reges exactos anno, ut et illi et reliqui fere omnes consentientes auctores sunt etc. *Dionysius Halic.* 7, 1. 15. Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Caelius [produnt:] Cum bello Latino etc. *supra p.* 255, 4. 16. Et in quinto: puellabus. Et in septimo: pro duabus pudicabus. *Charisius* 1, 17, 6. 17. Dies postridianos ad

omnia maiores nostri cavendos putarunt, quos etiam atros velut infausta appellatione damnarunt . . . Horum causam Gellius annalium libro quinto decimo et Cassius Hemina etc. *supra p.* 292, 18. 18. Nec me fugit Gellium scribere, senatum decresse ut aedes Saturni fieret, eique rei L. Furium tribunum militum praefuisse. *Macrobius Saturn.* 1, 8. 19. Cn. Vellius [Gellius?] in annalibus: postquam tempestas sedavit, Atherbal taurum immolavit. *Gellius* 18, 12, 6. 20. Gellius tamen lib. XXXIII Calvariaeque eius, inquit, ipsum ossum expurgarunt inauraveruntque. *Charisius* 1, 21, 160. 1, 17, 7. *cfr. Priscianus* 7, 8, 37 *ubi est* XXX *et* expurgaverunt. *cfr. Livius* 23, 24, 12. 21. Post annum vicesimum secundum legis Orchiae Fannia lex lata est anno post Romam conditam secundum Gellii opinionem DLXXXVIII. *Macrobius Saturn.* 2, 13. 22. De quartorum ludorum [secularium] anno etc. *supra p.* 294, 26. 23. At cum nulla causa cogente quid tale dicitur, tunc nimirum confitendum est de errore, ut idem Gellius in nonagesimo septimo: portabus, et mox: oleabus. *Charisius* 1, 17, 6. 24. Gellius vero regerum et lapiderum [dixit pro regum et lapidum.] *Charisius* 1, 17, 7. [Fori] tabulata navium et semper pluraliter, quamvis Gellius fora navium neutraliter dixerit. *Charisius* 1, 17, 33. Verba quaedam ex Naevio poeta et Cn. Gellio non usitate collocata. *Gellius* 8, 14. Gellius annalium deliquium solis et deliquionem dicit. *Servius ad Verg. Aen.* 4, 390.

X. FABIUS MAXIMUS SERVILIANUS.

1. Res Romanas [Latino sermone] laudati scriptores memoriae tradiderunt Porcius Cato, Fabius Maximus etc. *supra p.*

Digitized by Google

304, 19. *Videtur is esse Q. Fabius Maximus Servilianus Cn. Servilii Caepionis filius natura, Q. Fabii Maximi adoptione, consul a. u.* 612. *Sed errare puto Valerium Maximum* 6, 1, 5. *cfr. Quintilianus Declam.* 3, 17 *et Orosius* 5, 16. 2. Fabius Maximus annalium primo: tum Aeneas aegre patiebatur in eum devenisse agrum macerrimum litorosissimumque. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 7. 3. . . . Servilianus historiarum scriptor *Pelopem, quod umerum candidum habuerit*, eburnum appellatum tradidit. *Scholia Veronensia ad Verg. Georg.* 3, 7. 4. Fabius Maximus Servilianus pontifex in libro duodecimo negat oportere atro die parentare, quia tunc quoque Ianum Iovemque praefari necesse est, quos nominari atro die non oportet. *Macrobius Saturn.* 1, 16. *Praecesserat apud Macrobium locus e Gellii et Cassii Heminae annalibus excerptus, cfr. supra p.* 292, 15; *sequitur locus e Q. Claudii annalium quinto relatus.* 5. Fabius Maximus: amitti quam apisci. *Priscianus* 8, 4, 16.

XI. C. SEMPRONIUS TUDITANUS.

1. Caius Tuditanus cum omni vita atque victu excultus atque expolitus, tum eius elegans est habitum etiam orationis genus. *Cicero Bruto* 25, 95. *Est is* C. Sempronius C. f. C. n. Tuditanus, *qui consul a.* 625 *de Iapudibus triumphavit: Fasti triumphales, Plinius nat. hist.* 3, 19, 129. 2. Scriptorum Romanorum doctissimi et in his Porcius Cato . . . et Gaius Sempronius etc. *supra p.* 269, 20. 3. At vero Caesar et Sempronius aiunt, Caietae cognomen fuisse non nomen, ex eo scilicet inditum quod eius consilio impulsuque matres Troianae taedio longi navigii classem ibidem incenderint, Graeca scili-

cet appellatione *ἀπὸ τοῦ καίειν*, quod est incendere. Inde ad eam Italiae oram, quae ab arbusto eiusdem generis Laurens appellata est, Latino regnante pervectum cum patre Anchise filioque etc. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 10, 4. 4. Nundinarum originem quidam Romulo assignant, quem communicato regno cum T. Tatio sacrificiis et sodalitatibus institutis nundinas quoque adiecisse commemorant, sicut Tuditanus affirmat. *Macrobius Saturn.* 1, 16. 5. Quidam non duo tribunos plebis, ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos tum esse, singulos ex singulis classibus. Sunt tamen, qui eundem illum duorum numerum quem Cicero ponant, inter quos Tuditanus et Pomponius Atticus Liviusque noster. Idem hic et Tuditanus adiciunt, tres praeterea ab illis duobus collegas creatos esse. Nomina duorum, qui primi creati sunt, haec traduntur: L. Sicinius L. f. Velutus, L. Albinius C. f. Paterculus. *Asconius ad Cic. pro Cornelio p.* 76 *Orell.* 6. Quando autem primo intercalatum sit varie refertur . . . Tuditanus refert libro tertio magistratuum decemviros, qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse. *Macrobius Saturn.* 1, 13. 7. Quod satis celebre est de Atilio Regulo, id nuperrime legimus scriptum in Tuditani libris: Regulum captum ad ea, quae in senatu Romae dixit suadens ne captivi cum Carthaginiensibus permutarentur, id quoque addidisse, venenum sibi Carthaginienses dedisse, non praesentarium sed eiusmodi quod mortem in diem proferret, eo consilio ut viveret quidem tantisper, quoad fieret permutatio, post autem grassante sensim veneno contabesceret . . . Tuditanus autem somno diu prohibitum atque ita vita privatum refert; idque ubi Romae cognitum est, nobilissimos Poenorum captivos liberis Reguli a senatu deditos et ab his in armario muricibus praefixo destitutos eademque insomnia cruciatos interisse. *Gellius* 6, 4. 8. Grandem quoque pecuniae vim in triumpho

Digitized by Google

T. Quintii Flaminini translatam Tuditanus scribit, auri infecti pondo tria milia septingenta tredecim, argenti quadraginta tria milia ducenta septuaginta, aureos nummos Philippeos quattuordecim milia quingentos quattuordecim; praeterea mille talenta, quae Philippus debebat. *Plutarchus in Flaminino* 14. 9. *De Numae libris cfr. supra p.* 294, 13. 10. Praetor etsi collega consulis est, neque praetorem neque consulem iure rogare potest, ut quidem nos a superioribus accepimus aut ante haec tempora servatum est, et ut in commentario tertio decimo C. Tuditani patet, quia imperium minus praetor, maius habet consul, et a minore imperio maius aut maior collega rogari iure non potest. *Messala apud Gellium* 13, 15, 4. 11. Tuditano *usus est Plinius n. h.* 12, *qui liber est de arboribus.*

XII. C. FANNIUS M. F.

1. Nam post annales pontificum maximorum . . . si aut ad Fabium . . . aut ad Fannium etc. *supra p.* 251, 11. Alter autem C. Fannius M. filius, C. Laelii gener, et moribus et ipso genere dicendi durior . . . Eius omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest, quae neque nimis est infans neque perfecte diserta. *Cicero Bruto* 26, 101. 31, 118. C. Fannium et Q. Scaevolam generos Laelii, doctos adulescentes iam aetate quaestorios. *Cicero de Re publica* 1, 12, 18. Salustius . . . cum aliis historiographis singula tradidisset in libro primo historiarum, Catoni brevitatem . . . Fannio vero veritatem. *Victorinus expos. in rhet. Cic. I p.* 57 *Orell.* 2. C. Fannius in I annalium: cum in vita agenda didicimus, multa quae impraesentiarum bona videntur post [*mala*?] inventa et multa amplius alius modi atque ante visa essent. *Priscianus* 13, 3, 12.

Gaius Fannius: 'haec apiscuntur' passive. *Priscianus* 8, 4, 15. 3. C. Fannius in VIII annali Drepanum modo, modo Drepana appellat. *Scholia Veronensia ad Verg. Aen.* 3, 707. 4. Biber τὸ πιεῖν G. Fannius annalium octavo: domina eius ubi ad villam venerat, iubebat biber dari. *Charisius* 1, 21, 46. 5. Prima Tiberii Gracchi militia sub minore Scipione in Africa fuit . . . primusque omnium murum hostium ascendit, ut Fannius testatur, qui se quoque una cum Tiberio ascendisse atque eius virtutis participem fuisse ait. *Plutarchus Tib. Graccho* 4. 6. Insignis in Hispania C. Fannii virtus extitit, qui C. Laelii gener in Fabii Serviliani castris militabat. *Appianus Hispan.* 67. 7. Vide quaeso, L. Libo, ille qui de Ser. Galba, Censorinone et Manilio, an T. Quinctio M'. Acilio consulibus tribunus pl. fuerit. Conturbat enim me epitome Bruti Fanniana an Bruti epitoma Fannianorum. Scripsi quod erat in extremo, idque ego secutus hunc Fannium, qui scripsit historiam, generum esse scripseram Laelii; sed tu me γεωμετρικῶς refelleras, te autem nunc Brutus et Fannius. Ego tamen de bono auctore Hortensio sic acceperam, ut apud Brutum est. Hunc igitur locum expedies. *Cicero ad Atticum* 12, 5, 3. *Idem M. Brutus epitomas Coelii et Polybii conscripsit, cfr. Cicero ad Att.* 13, 8. *Plutarchus in Bruto* 4. 8. Q. Metelli [Macedonici] et aliae sunt orationes, et contra Tib. Gracchum exposita est in C. Fannii annalibus. *Cicero in Bruto* 21, 81. 9. Aegre tulisse P. Rupilium fratris repulsam consulatus, scriptum apud Fannium est; sed tamen transisse videtur modum, quippe qui ob eam causam a vita recesserit. *Cicero Tusculan.* 4, 17, 40. 10. Dissimulatione, quam Graeci εἰρωνείαν vocant; quam ait etiam in Africano fuisse Fannius, idque propterea vitiosum in illo non putandum, quod idem fuerit in Socrate. *Cicero Acad. prior.* 2, 5, 15. Fannius in annalibus suis Africanum hunc Aemilianum . . . Graeco verbo appellat εἴρωνα. *Cicero de ora-*

Digitized by Google

tore 2, 67, 270. Ut ait in historia sua C. Fannius. *Cicero in Bruto* 87, 299.

XIII. VENNONIUS.

1. Nam post annales pontificum maximorum . . . si aut ad Fabium . . . aut ad Venonium venias etc. *supra p.* 251, 11. 2. Fabius Pictor lib. I et Vennonius solito institutoque egressam [Iliam, Vestalem] virginem etc. *supra p.* 252, 25. 3. Divisit [Servius Tullius] universum agrum in partes, ut Fabius auctor est XXVI . . . [*supra p.* 253, 30] ut Venonius tradidit in XXXI tribus, ita ut cum urbanis tribubus expletus fuerit iam tum XXXV tribuum numerus, qui etiamnum usque ad haec nostra tempora permanet. Cato vero testis utroque locupletior partium numerum non definit. *Dionysius Halic.* 4, 15. *cfr. Niebuhr* 1 *p.* 435. 4. Ac moleste fero Vennoni historiam me non habere. *Cicero ad Atticum* 12, 3.

XIV. L. COELIUS ANTIPATER.

1. Vetustior Sisenna fuit Caelius. *Velleius* 2, 9, 6. Fannii autem aetate coniunctus Antipater paulo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas sine nitore ac palaestra, sed tamen admonere reliquos potuit ut accuratius scriberent. *Cicero de legibus* 1, 2, 6. Paululum se erexit et addidit historiae maiorem sonum vocis vir optimus Crassi familiaris Antipater. Ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt. Est, inquit Catulus, ut dicis;

Digitized by Google

sed iste ipse Caelius neque distinxit historiam varietate locorum neque verborum collocatione et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus, sed ut homo neque doctus neque maxime aptus ad dicendum sicut potuit dolavit; vicit tamen, ut dicis, superiores. *Cicero de oratore* 2, 13, 54. *anno* 662. L. Caelius Antipater scriptor, quemadmodum videtis, fuit ut temporibus illis luculentus, iuris valde peritus, multorum etiam ut L. Crassi [*nati anno* 614] magister. *Cicero in Bruto* 26, 102. Fuit eodem tempore et Coelius Antipater; qui historias conscripsit, sed plus eloquentiae quam scientiae iuris operam dedit; etiam L. Crassus etc. *Pomponius in Digestis* 1, 2, 2, 40. Historiam scripsere . . . verbis Cato multiiugis, Caelius singulis. *Fronto ad Verum p.* 170 *Rom.* Epitomen Bruti Caelianorum velim mihi mittas. *Cicero ad Atticum* 13, 8. *cfr. supra p.* 312, 21. 'Subinde' Nepos de illustribus viris lib. II, sed et Brutus et Coelius frequenter eo usi sunt. *Charisius* 2, 14, 225. Hadrianus . . . Sallustio Coelium praetulit *supra p.* 267, 4. Coelius *et* Coilius *scribitur id nomen in nummis.* 2. [Cavendum est] ne verba traiciamus aperte, quo melius aut cadat aut volvatur oratio; quod se L. Coelius Antipater in prooemio belli Punici nisi necessario facturum negat. O virum simplicem qui nos nihil celat, sapientem qui serviendum necessitati putet. Sed hic omnino rudis . . . Et hic quidem, qui hanc a Laelio [L. Aelio?] ad quem scripsit, cui se purgat, veniam petit, et utitur ea traiectione verborum et nihilo tamen aptius explet concluditque sententias. *Cicero in oratore* 69, 230. 3. Coelius: 'ex scriptis eorum, qui veri arbitrantur' passive. *Priscianus* 8, 4, 18. Nobiliore. Comparativa Plinius E putat ablativo finiri, . . . tamen ait per I: locutos quippe fastos omnes et libros a Fulvio Nobiliori scripta retulisse. *Charisius* 1, 21, 159. *Hertz* Iunius, *Fabricius* Caelius *supplent et* locatos *vel* publicatos *emendant, sed fortasse sic legendum:*

Digitized by Google

veteres tamen ait per I locutos, quippe — scriptum retulisse. 4. Herculi etiamnunc Graeco ritu rem divinam faciunt, et Cylius [Coelius *Kramer*, Caecilius *vel* Acilius *alii*] Romanorum historicus hoc argumento ad probandam originem Romae Graecam utitur, quod in ea patria sacra Herculi Graeco ritu fierent. *Strabo* 5, 3, 3. *cfr. supra p.* 263, 2. 5. Mamertini appellati sunt hac de causa etc. Cuius historiae auctor est Alfius [Caelius *Nipperdey*] libro primo belli Carthaginiensis. *Festus lib.* 13 *s. v. Mamertini.* 6. Caelius in I: neque ipsi eos alii modi esse atque Hamilcar dixit, ostendere possunt aliter. *Priscianus* 13, 3, 12. 7. Caelius in I: antequam Barcha perierat, alii rei causa in Africam missus [Hasdrubal? *cfr. supra p.* 258] *Priscianus* 13, 3, 12. 8. Caelius in I: qui intellegunt, quid faciant dissentiuntur. *Priscianus* 8, 6, 32. 9. Caelius in I: qui cum iis ita foedus icistis. *Priscianus* 10, 3, 17. 10. 'Saguntinorum' Coelius, 'Saguntium' Salustius, ut Paulus in Coelii hist. libro primo notat. *Charisius* 1, 21, 191. 11. 'Satis' pro aecus est. Coelius historiarum primo: commodum est, satis videtur. Nec enim pro sufficienti, inquit Paulus, accipi debet sed pro pari et aequo. *Charisius* 2, 14, 204. 12. 'Dii' pro die seu diei Lucani. Paulus . . . legendum esse definit, idque in Coeli historia*rum* I *extar*e deprehendes. *Charisius* 1, 21, 72. 13. Coelius in primo: illis facilius est bellum tractare, h. e. diu trahere. *Grammaticus Endlicheri p.* 173. 14. Caelius annali lib. I: cum iure sine periculo bellum geri poteratur. *Nonius p.* 508, 25. 15. Caecilius [Caelius] in annalium lib. I: legati quo missi sunt, veniunt, dedicant mandata. *Nonius p.* 280, 6. 16. Hoc item [somnium] in Sileni, quem Caelius sequitur, Graeca historia est, (is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est) Hannibalem, cum cepisset Saguntum, visum esse in somnis a Iove in deorum concilium vocari; quo cum venisset, Iovem impe-

ravisse ut Italiae bellum inferret, ducemque ei unum e concilio datum; quo illum utentem cum exercitu progredi coepisse; tum ei ducem illum praecepisse ne respiceret; illum autem id diutius facere non potuisse elatumque cupiditate respexisse; tum visam beluam vastam et immanem, circumplicatam serpentibus, quacumque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere; et eum admiratum quaesisse de deo, quodnam illud esset tale monstrum; et deum respondisse vastitatem esse Italiae, praecepisseque ut pergeret protinus; quid retro atque a tergo fieret ne laboraret. *Cicero de divin.* 1, 24, 49. 17. 'Longe' pro longitudine . . . Coelius historiarum primo: duodecies centena mil. passuum longe. *Charisius* 2, 14, 96. Alpis in longitudinem decies centena milia passuum patere a supero mari ad inferum Coelius tradit. *Plinius nat. hist.* 3, 19, 132. 18. Miror ambigi quanam Alpes transierit, et vulgo credere Poenino . . . transgressum, Coelium per Cremonis iugum dicere transisse; qui ambo saltus etc. *Livius* 21, 38, 7. 19. Raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem; neque enim illud fugerim dicere, ut Caelius: qua tempestate Poenus in Italiam venit. *Cicero de oratore* 3, 38, 153. 20. Coelius in primo historiarum: dextimos in dextris scuta iubet habere. *Priscianus* 3, 4, 22. 21. Servati consulis decus Coelius ad servum natione Ligurem delegat. Malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores et fama obtinuit. *Livius* 21, 46, 10. 22. Coelius auctor est Magonem cum equitatu et Hispanis peditibus flumen [Padum] extemplo transnasse, ipsum Hannibalem per superiora Padi vada exercitum traduxisse, elephantis in ordinem ad sustinendum impetum fluminis oppositis. Ea peritis amnis eius vix fidem fecerint etc. *Livius* 21, 47, 4. 23. Coelius historiarum I: Sempronius Lilybaeo celocem in Africam mittit visere locum, ubi

Digitized by Google

exercitum exponat. *Charisius* 2, 14, 100. 24. Coelius annali libro I: primum malo publico gratias singulatim nomina. *Nonius p.* 176, 9. 25. C. Flaminium Caelius religione neglecta cecidisse apud Trasimenum scribit cum magno rei publicae vulnere. *Cicero de deorum nat.* 2, 3, 8. Addidit Coelius eo tempore ipso, cum hoc calamitosum fieret, tantos terrae motus in Liguribus, Gallia compluribusque insulis totaque in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factae sint terraeque desederint fluminaque in contrarias partes fluxerint atque in amnes mare influxerit. *Cicero de divin.* 1, 35, 78. 26. Omnium prope annales Fabium dictatorem adversus Hannibalem rem gessisse tradunt; Coelius etiam eum primum a populo creatum dictatorem scribit. Sed et Coelium et ceteros fugit etc. *Livius* 22, 31, 8. 27. Coelianum illud ex libro historiarum secundo: si vis mihi equitatum dare et ipse cum cetero exercitu me sequi, die quinti Romae in Capitolium curabo tibi coena sit cocta [coenam coctam *Macrob.*] Et historiam autem et verbum hoc sumpsit Coelius ex Origine M. Catonis etc. *cfr. supra p.* 282, 22. *Gellius* 10, 24, 6. *Macrobius Saturn.* 1, 4. 28. Romam legatos missos a Campanis in quibusdam annalibus invenio, postulantes ut alter consul Campanus fieret, si rem Romanam adiuvari vellent. Indignatione orta summoveri a curia iussos esse missumque lictorem, qui ex urbe educeret eos atque eo die manere extra fines Romanos iuberet. Quia nimis compar Latinorum quondam postulatio erat Coeliusque et alii id haud sine causa praetermiserant scriptores, ponere pro certo sum veritus. *Livius* 23, 6, 6 *sqq.* 29. Caecilius [Coelius?]: nullae nationi tot, tantas, tam continuas victorias tam brevi spatio datas arbitror quam vobis. *Priscianus* 6, 1, 5. *cfr. Livius* 23, 11, 12. 30. Caelius Troianum Capyn condidisse Capuam tradidit eumque Aeneae fuisse sobrinum. *Servius ad Verg. Aen.* 10, 145.

31. Coelius libro tertio seri avenam ostendit. *Servius ad Verg. Georg.* 1, 77. 32. Nucerum [pro nucum] Coelius dixit. *Charisius* 1, 17, 7. *cfr. Livius* 23, 19, 12. 33. Subnixa Petilia muro] quia imposita est excelso muro, ut Coelius historicus ait. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 402. 34. Caelius annali lib. III: imperator conclamat de medio auelitatis [*ut velites*?] in sinistro cornu removeantur, Gallis non dubitatim immittantur. *Nonius p.* 98, 29. 35. Calva, ... licet Caelius et Varro calvariam dicant. *Caper de orthogr. p.* 2243 *P. cfr. supra p.* 308, 9. 36. Caelius de Cumano Apolline ait: est in fano signum Apollinis ligneum, altum non minus pedes XV. *Servius ad Verg. Aen.* 6, 9. 37. Tertio et quarto consul, non tertium quartumque; idque in principio libri [*quarti*?] Coelium scripsisse. *Gellius* 10, 1, 3. *cfr. Livius* 24, 9, 7. 38. Caelius apud nos in Averno ait etiam folia subsidere. *Plinius nat. hist.* 31, 2, 21. 39. Caelius in IIII: custodibus discessis multi interficiuntur. *Priscianus* 9, 9, 49. 40. Coelius: Maurusii, qui iuxta Oceanum colunt. *Servius ad Verg. Aen.* 4, 206. 41. Ad lucum Feroniae pergit ire ... Coelius Romam euntem ab Ereto devertisse eo Hannibalem tradit, iterque eius ab Reate Cutiliisque et ab Amiterno oriditur; ex Campania in Samnium, inde in Pelignos pervenisse praeterque oppidum Sulmonem in Marrucinos transisse, inde Albensi agro in Marsos, hinc Amiternum Forulosque vicum venisse. *Livius* 26, 11, 10 *sqq.* 42. Caelius historiarum: delinquere frumentum, Sardiniam hostes tenere. *Servius ad Verg. Aen.* 4, 390. 43. Saturi] locus Tarenti, quem Caelius in quinto libro historiarum dicit nomen accepisse a Satura puella, quam Neptunus compressit. *Scholia Leidensia ad Verg. Georg.* 2, 197. 44. De Marcelli morte variant auctores ... Ut omittam alios, C. Laelius [Caelius?] triplicem gestae rei ordinem edit: unam traditam fama, alteram scriptam

Digitized by Google

laudatione filii, qui rei gestae interfuerit, tertiam quam ipse pro inquisita ac sibi comperta affert. Ceterum ita fama variat ut tamen plerique loci speculandi causa castris egressum, omnes insidiis circumventum tradant. *Livius* 27, 27, 13 *sq.* 45. Coelius in V: morbosum factum, ut ea quae oportuerint facta non sint. *Priscianus* 8, 14, 77. 46. Caelius in V: nullius alius rei nisi amicitiae eorum causa. *Priscianus* 6, 7, 36. 6, 16, 82. 7, 5, 20. 13, 3, 12. 47. Caelius annali libro V: at aliquam huic bello finem facere. *Nonius p.* 205, 12. 48. Eisdem diebus naves onerariae Poenorum ad octoginta circa Sardiniam ab C. Octavio, qui provinciae praeerat, captae; eas Coelius frumento misso ad Hannibalem commeatuque onustas, Valerius praedam Etruscam Ligurumque montanorum captivos Carthaginem perportantes tradit . . . Prope Iunonis Laciniae templum aestatem Hannibal egit. *Livius* 28, 46, 14. 49. Redeamus ad somnia. Hannibalem Caelius scribit, cum columnam auream quae esset in fano Iunonis Laciniae auferre vellet, dubitaretque utrum ea solida esset an extrinsecus inaurata, perterebravisse; cumque solidam invenisset statuissetque tollere, ei secundum quietem visam esse Iunonem praedicere ne id faceret, minitarique, si fecisset, se curaturam ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret; idque ab homine acuto non esse neglectum; itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam et eam in summa columna collocavisse. Hoc item in Sileni, quem Caelius sequitur, Graeca historia est, (is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est) Hannibalem etc. *cfr. supra p.* 315, 30. Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Caelius [produnt:] Cum bello Latino etc. *supra p.* 255, 4. Caius vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eundem Caelium est, sibi in somnis quaesturam petenti Tiberium fratrem visum esse dicere, quam vellet cunctaretur, tamen eodem sibi leto

quo ipse interisset esse pereundum. Hoc, antequam tribunus plebi C. Gracchus factus esset, et se audisse scribit Caelius et dixisse multis. Quo somnio quid inveniri potest certius? *Cicero de divinat.* 1, 24, 48 *sq.* 1, 26, 55 *sq.* Coelius etiam certus Romanae historiae auctor sermonem de ea re ad suas aures illo adhuc vivo pervenisse scribit. *Valerius Max.* 1, 7, 6. 50. Quantum militum in Africam transportatum sit, non parvo numero inter auctores discrepat . . . Coelius ut abstinet numero, ita ad immensum multitudinis speciem auget: volucres ad terram delapsas clamore militum, aitque tantam multitudinem conscendisse naves, ut nemo mortalium aut in Italia aut in Sicilia relinqui videretur. *Livius* 29, 25, 1 *sqq.* 51. Prosperam navigationem sine terrore ac tumultu fuisse permultis Graecis Latinisque auctoribus credidi. Caelius unus, praeterquam quod non mersas fluctibus naves, ceteros omnes caelestes maritimosque terrores, postremo abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Aegimurum, inde aegre correctum cursum exponit, et prope obrutis navibus, iniussu imperatoris scaphis haud secus quam naufragos, milites sine armis cum ingenti tumultu in terram evasisse. *Livius* 29, 27, 13 *sqq.* *cfr. Livius* 30, 24, 9. 52. Coelius annali libro VI: omnes simul terram cum classi accedunt, navibus atque scafis egrediuntur, castra metati signa statuunt. *Nonius p.* 137, 16. 53. Caelius anavi [*ann. VI*?] ipse cum coetera copia pedetemtim sequitur. *Nonius p.* 29, 10. 54. Equites . . . cum ipso duce Hannone interclusi atque interfecti sunt . . . Coelius quidem et Valerius captum etiam Hannonem tradunt. *Livius* 29, 35, 2. 55. Caelius annali lib. VI: [*senatus*?] consulto non paucies arcessitum. *Nonius p.* 157, 18. 56. Caelius annali lib. VII: ipse regis eminus equo ferit pectus; avorsum congenuclat percussus, deiecit dominum. *Nonius p.* 89, 4. *cfr. Silius Ital.* 17, 136. *Laur. Lydus de mensibus* 4, 63.

Digitized by Google

57. Coelius annali lib. VII: duos et septuaginta lictoris domum deportavisse fascis, qui ductoribus hostium ante soluerint ferri. *Nonius p.* 508, 32. *cfr. Livius* 30, 28, 7. 58. Coelius Antipater lib. VII: res pub. amisso exfundato pulcherrimo oppido. *Nonius p.* 108, 9. 59. Topper significare ait Artorius . . . fortasse; sic Coelius l. VII: ita uti sese quisque vobis studeat aemulari in statu fortunae rei publicae eadem re gesta, topper nihilo minore negotio acto gratia minor esset. *Festus lib.* 13 *s. v. topper. Coe*lius historiarum . . . *conci*tantur ocissime. *Festus lib.* 13 *s. v. ocius.* 60. Caelius in VII: consuetudine uxoris, indulgitate liberum. *Scholia Leidensia ad Verg. Georg.* 2, 345. 61. Lucius Caelius: ubi senatus intellexit populum depeculari. *Priscianus* 8, 4, 19. 62. Caelius: tantum bellum suscitare conari adversarios contra bellosum genus? *Nonius p.* 80, 32. 63. Nepos Cornelius auctor est . . . multoque ante eum Caelius Antipater vidisse se [hominem *addit Capella*], qui navigasset ex Hispania in Aethiopiam commercii gratia. *Plinius nat. hist.* 2, 67, 169. *Marcianus Capella* 6, 621. 64. *Praeterea* Caelio *auctore Plinius nat. hist.* 36, *qui est de lapidibus, usum se ait in indice. At ex eodem indice apparet Antipatrum, quem auctorem de duobus Antiochi elephantis* 8, 5, 11 *citavit, Graecum scriptorem esse.* 65. *Alia fragmenta Coelio tribui solita reperies relata ad Gellium et ad Quadrigarium. Alia manifesto M. Coelii oratoris sunt.* Coelianum excerptum quod misisti *apud Frontonem p.* 21 *Rom. dubitat Maius utrum de historico an de oratore intelligat. Idem dubitare debebat de verbis misere laceris:* Coelius, mean . . . factum meandro duplici . . . lana est qualis a Melibea . . . ut velum. *Scholia Veronensia ad Verg. Aen.* 5, 251. *Sed ad nostrum pertinere videtur hic locus:* In verbis eligendis conlocandisque . . . [industriosi fuerunt] oratorum post homines natos unus omnium M. Porcius eiusque frequens sectator C. Sallustius, poetarum

maxime Plautus, multo maximeque Ennius, eumque studiose aemulatus L. Coelius, nec non Naevius etc. *Fronto epist.* 4, 3 *p.* 95 *Rom.*

XV. CLODIUS LICINUS ALIIQUE CLODII.

1. Ecce autem successere huic bello [Antipatro] Clodius, Asellio: nihil ad Caelium, sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam. *Cicero de legibus* 1, 2, 6. 2. Hunc Pleminium Clodius Licinius [Licinus?] in libro tertio rerum Romanarum refert ludis votivis, quos Romae Africanus iterum consul faciebat, conatum per quosdam, quos pretio corruperat, aliquot locis urbem incendere, ut frangendi carceris fugiendique haberet occasionem; patefacto dein scelere delegatum in Tullianum ex senatus consulto. *Livius* 29, 22, 10. *cfr. Livius* 34, 44, 6 *sqq.* 3. Claudius rerum Romanarum lib. XII: quinque pristis navigium ea forma a marina belua dicta est. *Nonius p.* 535, 25. *fortasse Quadrigarii est.* 4. Licinius [Licinus?] rerum Romanarum libro XXI: deligata ad patibulos; deligantur et circumferuntur, cruci defiguntur. *Nonius p.* 221, 11. *fortasse Macri est.* 5. Est etiam de Numae regis temporibus ingens dissensio, quamquam familiarum origines ad hunc ultimum usque deductae volunt accuratissimae videri. Sed Clodius quidam in censura [ἐλέγχῳ] temporum (sic enim ferme is liber inscriptus est) veteres illos libellos in Gallicis urbis calamitatibus interisse ait et qui nunc ferantur ab iis confictos, qui gratum nonnullis facturi erant intrusis eorum nominibus in nobilissimas ab antiquitate gentes nihil ad se pertinentes. *Plutarchus in Numa* 1, 1. 6. Ante Caesaris tempora Tigurini Pisonis et Cassii exercitum interceptum sub

Digitized by Google

iugum miserant, ut in annalibus libris placet Claudio Paulo [Publio Clodio?] *Appianus de reb. Gallicis* 3. 7. Bonam deam ... Sextus Clodius in eo libro, quem Graece scripsit, refert Fauni uxorem fuisse; quae quia contra morem decusque regium clam vini ollam ebiberat et ebria facta erat, virgis myrteis a viro usque ad mortem caesam. Postea vero cum eum facti sui paeniteret et desiderium eius ferre non posset, divinum illi honorem detulisse. Idcirco in sacris eius obvolutam vini amphoram poni. Faunam igitur Fatuam, Bona quae dicitur dea ... myrteis caesam virgis, quod marito nesciente seriam meri ebiberit plenam S. Clodius indicat sexto de diis Graeco, signumque monstrari, quod cum ei divinam rem mulieres faciunt, vini amphora constituatur obtecta, nec myrteas fas sit inferre verbenas, sicut suis scribit in causalibus Butas. *Arnobius adv. gentes* 5, 18.

Lactantius institut. 1, 22, 11. *De S. Clodio M. Antonii triumviri magistro cfr. Suetonius de rhetor.* 5. *Praeterea innotuerunt Clodius Tuscus Sinnii Capitonis familiaris, P. Clodius Quirinalis Arelatensis rhetor, alii. Clodii cuiusdam commentarios quattuor Servius ad Verg. Aen.* 1, 56. 180. 2, 229 *citavit.*

XVI. SEMPRONIUS ASELLIO.

1. Ecce autem successere huic bello [Antipatro] Clodius, Asellio: nihil ad Caelium, sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam. *Cicero de legibus* 1, 2, 6. 2. A. Sempronius Asellio praetor ... in foro occisus est. *Livius epit.* 74. *Appianus b. Civ.* 1, 54. *a.* 665. 3. Cum non per

annos, sed per dies singulos res gestae scribuntur, ea historia Graeco vocabulo ἐφημερὶς dicitur, cuius Latinum interpretamentum scriptum est in libro Sempronii Asellionis primo; ex quo libro pluria verba adscripsimus, ut simul ibidem quid ipse inter res gestas et annales esse dixerit, ostenderemus: Verum inter eos, inquit, qui annalis relinquere voluissent, et eos qui res gestas a Romanis perscribere conati essent, omnium rerum hoc interfuit. Annales libri tantum quod factum quoque anno gestum sit, ea demonstrabant, id est quasi qui diarium scribunt, quam Graeci ἐφημερίδα vocant. Nobis non modo satis esse video, quod factum esset id pronuntiare, sed etiam quo consilio quaque ratione gesta essent demonstrare. Paulo post idem Asellio in eodem libro: Nam neque alacriores ad rem publicam defendundam neque segniores ad rem perperam faciundam annales libri commovere quicquam possunt. Scribere autem bellum initum quo consule et quo confectum sit et quis triumphans introierit et eo libro quae in bello gesta sint iterare, non praedicare aut interea quid senatus decreverit aut quae lex rogatiove lata sit, neque quibus consiliis ea gesta sint: id fabulas pueris est narrare, non historias scribere. *Gellius* 5, 18, 7—9. 4. Asellio in III historiarum adverbialiter sine que extulit: ut fieri solet plerum, ut in victoria mitior mansuetiorque fiat. *Priscianus* 5, 12, 65. 5. Sempronius Asellio hist. lib. IIII: ut maior invidia Lepido glisceretur. *Nonius p.* 481, 4. *cfr. Appianus de reb. Hisp.* 83. 6. Legebam Sempronii Asellionis veteris scriptoris quartum ex historia librum, in quo de P. Africano Pauli filio ita scriptum est: nam se patrem suum audisse dicere L. Aemilium Paulum, nimis bonum imperatorem signis collatis decertare nisi summa necessitudo aut summa ei occasio data esset. *Gellius* 13, 3, 6. *cfr. Appianus de reb. Hisp.* 87. 7. In libro Sempronii Asellionis rerum gestarum quinto [liberos pro uno filio filiave]

Digitized by Google

positum esse offendimus. Is Asellio sub P. Scipione Africano tribunus militum ad Numantiam fuit resque eas quibus gerendis ipse interfuit conscripsit. Eius verba de Tiberio Graccho tribuno plebi, quo in tempore interfectus in Capitolio est, haec sunt: nam Gracchus domo cum proficiscebatur, numquam minus terna aut quaterna milia hominum sequebantur. Atque inde infra de eodem Graccho ita scripsit: orare coepit id quidem, ut se defenderent liberosque suos; eum quem virile secus tum in eo tempore habebat, produci iussit populoque commendavit prope flens. *Gellius* 2, 13. 8. Is Crassus a Sempronio Asellione et plerisque aliis historiae Romanae scriptoribus traditur habuisse quinque rerum bonarum maxima et praecipua: quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod iuris consultissimus, quod pontifex maximus. Is cum in consulatu obtineret Asiam provinciam et circumsidere oppugnareque Leucas pararet, opusque esset firma atque procera trabe qua arietem faceret, quo muros eius oppidi quateret, scripsit ad magistrum ἀρχιτέκτονα Moleattensium [*Mylassensium*?] sociorum amicorumque populi Romani, ut ex malis duobus quos apud eos vidisset, uter maior esset eum mittendum curaret. Tum magister ἀρχιτέκτων comperto quam ob rem malum desideraret, non uti iussus erat maiorem, sed quem esse magis idoneum aptioremque faciendo arieti facilioremque portatu existimabat, minorem misit. Crassus eum vocari iussit, et cum interrogasset, cur non quem iusserat misisset, causis rationibusque quas dictitabat spretis vestimenta detrahi imperavit virgisque multum cecidit; corrumpi atque dissolvi officium omne ratus, si quis ad id quod facere iussus est non obsequio debito, sed consilio non desiderato respondeat. *Gellius* 1, 13, 10—13. 9. Sempronius Asellio tertio decimo rerum gestarum ita scripsit: facta sua spectari oportere, non dicta, si minus facundiosa essent. *Gellius* 4, 9, 12.

Digitized by Google

10. Sempronius Asellio in libro rerum gestarum quarto decimo Crepidarium, inquit, cultellum rogavit a crepidario sutore. *Gellius* 13, 21, 8. *cfr. Appianus b. Civ.* 1, 36. 11. 'Secus' pro post Sempronius Asellio historiarum libro decimo quarto: ne possent aut rationes [stationes?] facere hoc secus; id est non multo post. *Charisius* 2, 14, 226. 12. Artificiose . . . Asellio quoque rerum Romanarum quadragesimo [XI?]: tam pulchrum opus tamque artificiose factum passus est dirui; ubi Fl. Caper: quamvis artificiosus dici non possit, ut malitiosus. *Charisius* 2, 14, 31. 13. Asellio historiarum tritarum [VIII: triariorum *Masvic.*] quartum signum accedebat, sive pilatim sive passim iter facere volebat. *Servius ad Verg. Aen.* 12, 121.

XVII. CN. AUFIDIUS.

1. Equidem e Cn. Aufidio praetorio erudito homine oculis capto saepe audiebam, cum se lucis magis quam utilitatis [consulatus?] desiderio moveri diceret. *Cicero de finibus* 5, 19, 54. Pueris nobis Cn. Aufidius praetorius et in senatu sententiam dicebat nec amicis deliberantibus deerat, et Graecam scribebat historiam et videbat in litteris. *Cicero Tusculan.* 5, 38, 112. Cn. Aufidius . . . nostra memoria summa senectute Orestem adoptavit. *Cicero pro domo sua* 13, 35. *In Asia propraetore fuit a.* 647 *fere,* ὑπὸ Γναΐου Αὐφιδίου Γναΐου υἱοῦ τοῦ ἀντιστρατήγου, *ut est in Boeckhiano Corpore inscriptionum t.* 1, *n.* 2349 b. *Distinguendus a T. Aufidio Asiae propraetore itemque ab Aufidio Basso historico.* 2. Aremulum Silvium . . . Aufidius sane in epitomis et Domitius lib. I non fulmine ictum, sed terrae motu prolapsum, simul cum eo regiam, in Albanum lacum tradunt. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 18, 4.

Digitized by Google

XVIII. M. AEMILIUS SCAURUS.

1. De Scauro et Rutilio breviter licet dicere, quorum neuter summi oratoris habuit laudem et uterque in multis causis versatus erat . . . In Scauri oratione sapientis hominis et recti gravitas summa et naturalis quaedam inerat auctoritas . . . Huius et orationes sunt et tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius acta sane utiles, quos nemo legit . . . Ipse etiam Fufidius in aliquo patronorum numero fuit. *Cicero in Bruto* 29. Ne tunc quidem omnes senatores [anulos] habuere, utpote cum memoria avorum multi praetura quoque functi in ferreo consenuerint, sicut . . . multi [tradunt] L. Fufidium illum, ad quem Scaurus de vita sua scripsit. *Plinius nat. hist.* 33, 1, 21. M. Aemilius M. f. L. n. Scaurus Cos. de Galleis Karneis. *Fasti triumphales ad a.* 639. *Censor fuit a.* 645. *Anno aetatis LXXII accusatus est a Q. Vario a.* 664, *cfr. Asconius ad Cic. pro Scauro p.* 22 *Orell.* Plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati sunt, nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. *Tacitus Agricola* 1, 1. 2. M. Scaurus quantulam a patre hereditatem acceperit, in primo libro eorum quos de vita sua scripsit, refert. Ait enim sibi decem sola mancipia, totumque censum quinque atque triginta milium nummum relictum. *Valerius Max.* 4, 4, 11. 3. Scaurus de vita sua: 'in agrum hostium veni, pilatim exercitum duxi,' id est stricttim et dense. *Servius ad Verg. Aen.* 12, 121. 4. Sino, sini . . . Scaurus de vita sua III: proelium non sini fieri. *Diomedes I p.* 371 *P.* 5. Fictus et fixus. Scaurus de vita sua Sagittis, inquit, confictus. *Diomedes I p.* 373 *P.* 6. Scaurus de vita sua tertio poteratur etiam sicut possitur dictitat. *Diomedes I p.* 381 *P.* 7. Scaurus lib. III: vectigalium se minus fructos. *Charisius* 1, 21, 230. 8. Universi quoque

Digitized by Google

exercitus notabilis saepe fuit continentia, sicuti eius qui sub M. Scauro meruit. Namque memoriae tradidit Scaurus pomiferam arborem, quam in pede castrorum fuerat complexa metatio, postero die abeunte exercitu intactis fructibus relictam. *Frontinus strategem.* 4, 3, 13.

XIX. P. RUTILIUS RUFUS.

1. De Scauro et Rutilio breviter licet dicere, quorum neuter summi oratoris habuit laudem et uterque in multis causis versatus erat . . . Rutilius autem in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est . . . idem magnum munus de iure respondendi sustinebat. Sunt eius orationes ieiunae, multa praeclara de iure, doctus vir et Graecis litteris eruditus, Panaetii auditor, prope perfectus in Stoicis. *Cicero in Bruto* 29. 30. Rutilium Rufum, qui harum rerum historiam scripsit, illo tempore tribunum militum Scipio iussit etc. *Appianus de reb. Hisp.* 88. *cfr. Cicero de Rep.* 1, 11, 17. *a.* 620. Lucilius sub P. Africano Numantino bello eques militaverat . . . historiarum auctor iam tum Sisenna erat iuvenis, sed opus belli civilis Sullanique post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisenna fuit Caelius, aequalis Sisennae Rutilius Claudiusque Quadrigarius et Valerius Antias. *Velleius* 2, 9. *qui quae de Rutilio scripta legerat cum Sisennae rebus confudisse videtur. Consul Rutilius fuit a. u.* 649. P. Rutilius vir summae innocentiae, quoniam legatus Q. Mucii proconsulis a publicanorum iniuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est *a. u.* 662. *Livius epit.* 70. *cfr. Dio Cassius fragm.* 97 *Bekker.* Apud Romanos Apicius quidam luxuria

Digitized by Google

famosissimus fuit; est autem hic Apicius, quo auctore exilio damnatus est Rutilius, qui Romanam historiam Graeco sermone edidit. *Posidonius apud Athenaeum dipnosoph.* 4, 66. Rutilius Rufus, qui patriam historiam scripsit. *Athenaeus* 6, 108. Aurelius Opilius . . . Rutilium Rufum damnatum in Asiam secutus ibidem Smyrnae simul consenuit. *Suetonius de gramm.* 6. In vivis erat Rutilius a. 676, *cfr. Cicero in Bruto* 22, 85. *de Rep.* 1, 8, 13. *de deor. nat.* 3, 32, 80. 2. Rutilius scribit Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die intermisso rure ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent, et ut scita atque consulta frequentiore populo referrentur, quae trinundino die proposita a singulis atque universis facile noscebantur; unde etiam mos tractus etc. *Macrobius Saturn.* 1, 16. *De iure civili cum Rutilius auctor citetur quater ab Ulpiano in Digestis, semel a Gaio et in fragmento de Empto et vendito, fieri potest ut locus hic non ad historias referendus sit.* 3. [M. Claudio Marcello Q. Fabio Labeone consulibus] Scipionem et Polybius et Rutilius hoc anno mortuum scribunt. Ego neque his neque Valerio assentior etc. *Livius* 39, 52, 1. 4. Erant isti philosophi Carneades ex Academia, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus . . . ipsi seorsum quisque ostentandi gratia magno conventu hominum dissertaverunt. Tum admirationi fuisse aiunt Rutilius et Polybius philosophorum trium sui cuiusque generis facundiam. Violenta, inquiunt, et rapida Carneades dicebat, scita et teretia Critolaus, modesta Diogenes et sobria. *Gellius* 7, 14, 9 *sq.* 5. Famosus apud Romanos etiam Sittius fuit propter luxuriam et mollitiem, ut Rutilius dicit. *Athenaeus dipnosoph.* 12, 12. 6. Ut Rutilius tradi, verax alioquin homo ac probus sed cui privatae cum Mario inimicitiae intercesserant, sextum consulatum multa per tribus sparsa pecunia adeptus est simulque id redemit, ut submoto Metello

Valerium Flaccum administrum magis quam collegam haberet. *Plutarchus in Mario* 28, 3. 7. In castro quod Caenon dicitur in secretas quasdam Mithridatis litteras incidit [Pompeius a. 689] . . . In his repertam quoque Theophanes ait Rutilii orationem, qua is ad interficiendos per Asiam Romanos regem incitavisset. Verum hanc plerique calumniam existimant ab Theophane fictam, qui Rutilium odio haberet, vel quod sui plane dissimilis fuisset vel Pompeii gratia, cuius ille patrem [*exanimatum a.* 667] in historiis pessimum fuisse hominem demonstraverat. *Plutarchus in Pompeio* 37. 8. Plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati sunt, nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. *Tacitus Agricola* 1, 1. 9. P. Rutilius Rufus de vita sua libro primo: Pompeius [A. f.?] elaboravit uti populum Romanum nosset eumque artificiose salutaret. *Charisius* 2, 14, 31. 10. Constanti; sed enim P. Rutilius de vita sua II Animo, inquit, constante. *Charisius* 1, 21, 59. 11. Familiare recte P. Rutilius de vita sua libro tertio: pro Lucio familiare veniebam. *Charisius* 1, 21, 102. 12. Vectigalium . . . P. quoque Rutilius de vita sua IV. *Charisius* 1, 21, 230. 13. Orbi pro orbe Ciceronem . . . sed et Publium Rutilium de vita sua quinto 'ex orbi terrarum' et frequenter *antiquos* ita locutos Plinius eodem libro sexto notat. *Charisius* 1, 21, 166, 14. Aedile, non aedili, P. Rutilius de vita sua quinto. *Charisius* 1, 21, 18. 15. Sino sini, ut P. Rutilius de vita sua: quod si me invitum abire sinisset. *Diomedes I p.* 371 *P.* 16. Ostendor, ostentus . . . P. Rutilius de vita sua: uni una ostenta est. *Diomedes I p.* 372 *P.* 17. Lecticae sive plutei lecti, de quibus Satilius [Rutilius?] Rufus de vita sua Primum, inquit, consuetudine imperatorum ipse pro lectis lecticis utebatur. *Isidorus orig.* 20, 11, 4. *cfr. Appianus de reb. Hisp.* 85.

Digitized by Google

XX. Q. LUTATIUS CATULUS.

1. Iam Q. Catulus non antiquo illo more, sed hoc nostro ... eruditus. Multae litterae, summa non vitae solum atque naturae, sed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam Latini sermonis integritas; quae perspici cum ex orationibus eius potest, tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis misit ad A. Furium poetam familiarem suum; qui liber nihilo notior est quam illi tres de quibus ante dixi Scauri. Tum Brutus: mihi quidem nec iste notus est nec illi ... numquam enim in manus inciderunt. *Cicero in Bruto* 35, 132. *Catulus de Cimbris triumphavit a.* 653, *extinctus est a.* 667. *Carminum eius* (*de quibus Plinius epist.* 5, 3, 5) *servarunt V disticha Cicero et Gellius.* Magis ac magis et gratia et cura artis [grammaticae] increvit, ut ne clarissimi quidem viri abstinuerint quominus et ipsi aliquid de ea scriberent, ... pretia vero grammaticorum tanta, ut constet Lutatium Daphnidem ... septingentis milibus nummum a Q. Catulo emptum ac brevi manumissum. *Suetonius de gramm.* 3. *cfr. Plinius nat. hist.* 7, 39, 128. 2. In pugna prope Vercellas cum Cimbris committenda ... Catulus milites habuit viginti milia trecentos, Marius triginta duo milia. Atque is aciem instruxit ita, ut in medium acceptis Catuli legionibus suos dextra sinistraque collocaret, tum productis longe cornibus pugnandi initium fecit consilio, quemadmodum Sulla qui ei proelio interfuit scriptum reliquit, tali ut victoria sui exercitus fieret propria et Catulus a certamine excluderetur ... Eadem rerum expositione referunt Catulum uti, questum de Marii in se malignitate. *Plutarchus Mario* 25, 2. 3. Romani corporibus ita exercitatis et ad labores obduratis erant, ut in tanto aestu factoque inter currendum impetu neminem ex his vel

sudantem vel anhelantem conspiceres, sicuti Catulum ipsum cum laudatione militum scripsisse dicunt. *Plutarchus Mario* 27, 4. 4. Nox, quod ut Catulus ait omnia, nisi interveniat sol, pruina obriguerint, quod nocet, nox. *Varro de L. L.* 6, 6. 5. Lutatius vero [Ianum geminum esse vult] Solem, propterea quod utriusque simul ianuae potestatem habeat, et orientis et occidentis. *Laur. Lydus de mensibus* 4, 2. 6. Apollo dicitur Musagetes, quia Musarum [dux *addit Keil*] existimetur, ut Lutatius in primo communis historiae ait: qui deorum [*quod earum?*] curam egerat. *Probus ad Verg. Georg.* 3, 293. 7. Postumius de adventu Aeneae et Lutatius Communium historiarum Boiam etc. *supra p.* 265, 25. 8. At vero Lucatius non modo Antenorem, sed etiam ipsum Aeneam proditorem patriae fuisse tradit. Cui cum a rege Agamemnone etc. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 9, 2. 9. Navibus egressum in litore accubuisse, consumptoque quod fuerat cibi, crustam etiam de farreis mensis, quas sacratas secum habebat, comedisse. Tum Anchisa coniiciente illam esse miseriarum errorisque finem (quippe meminerat Venerem sibi aliquando praedixisse, cum in externo litore esurie compulsi sacratas mensas invasissent, illum condendae sedis fatalem locum fore) scrofam etiam incientem cum e navi produxissent, ut eam immolarent, et se ministrorum manibus eripuisset, recordatum Aeneam, quod aliquando ei responsum esset urbi condendae quadrupedem futuram ducem: cum simulacris deorum Penatium prosecutum atque illum, ubi illa procubuit enixaque est porculos triginta, ibidem auspicatum, postque Lavinium dixit, ut scribit Caesar lib. I et Lucatius lib. II. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 11. 10. Nec tamen amisso socero Aeneas Rutulis obsistere desiit, namque et Turnum interemit. Hostibus fusis fugatisque victor Lavinium se cum suis recepit consensuque omnium Latinorum rex declaratus est, ut scribit Lucatius

Digitized by Google

lib. III. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 13, 6 *sq.* 11. Igitur regnante Latino Silvio etc. *supra p.* 260, 14. 12. Cincio Romam duodecima olympiade placet conditam, Pictori octava, Nepoti et Lutatio opinionem Eratosthenis et Apollodori comprobantibus olympiadis septimae anno secundo. *Solinus polyh.* 2. 13. Tubilustrium, *Nefastus Priore parte, Feriae* Marti. Hic dies appellatur ita, quod in atrio sutorio tubi lustrantur quibus in sacris utuntur. *Q.* Lutatius *Catulus* quidem clavam eam ait esse in ruina Palatii incensi a Gallis repertam, qua Romulus urbem inauguraverit. *Verrius Flaccus in Fastis Praenestinis ad X Kal. Apr.* 14. Lacus Curtius . . . Cornelius et Lutatius scribunt eum locum esse fulguritum et ex senatus con. septum esse; id quod factum esset a Curtio consule, quoi M. Genucius fuit collega, Curtium appellatum. *Varro de L. L.* 5, 150. 15. Lutatius lib. IIII dicit Cumanos incolas a parentibus digressos Parthenopen urbem condidisse, dictam a Parthenope Sirena, cuius corpus etiam *nunc tumulo conditum Neapoli viseretur.* Postquam ob locorum ubertatem amoenitatemque magis coeptum sit frequentari, veritos ne Cymaeam desererent, inisse consilium Parthenopen diruendi. Post etiam pestilentia affectos ex responso oraculi urbem restituisse sacraque Parthenopes cum magna religione suscepisse, nomen autem Neapoli ob recentem restitutionem imposuisse. *Philargyrius ad Verg. Georg.* 4, 564.

XXI. L. LICINIUS LUCULLUS.

Lucullus iuvenis, cum apud Hortensium oratorem et Sisennam historicum aliquando sermo ex ioco in serium conversus esset, facta cum illis sponsione dicitur professus esse,

bellum se Marsicum vel carmine vel soluta oratione Latine aut Graece, prouti sorte iuberetur, esse conscripturum. Graecum sermonem sorte datum apparet, quippe extat Graeca quaedam eius historia belli Marsici. *Plutarchus in Lucullo* 1, 3. *anno* 666. Commentarium consulatus mei Graece compositum misi ad te; in quo si quid erit, quod homini Attico minus Graecum eruditumque videatur, non dicam quod tibi, ut opinor Panhormi, Lucullus de suis historiis dixerat, se quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et *σόλοικα* dispersisse. Apud me si quid erit eiusmodi, me imprudente erit et invito. *Cicero ad Atticum* 1, 19, 10. Sulla rerum a se gestarum commentarios ad Lucullum inscripsit, praefatus illum historiam melius concinnaturum ac dispositurum. *Plutarchus in Lucullo* 1, 2. 4, 3. *in Sulla* 6, 2.

XXII. L. CORNELIUS SULLA.

1. L. Sulla rerum gestarum libro II ita scripsit: P. Cornelius, cui primum cognomen Sullae impositum est, flamen Dialis captus. *Gellius* 1, 12, 16. 2. L. Sulla rerum gestarum libro secundo: quo si fieri potest ut etiam nunc nostri vobis in mentem veniat, nosque magis dignos creditis quibus civibus quam hostibus utamini, quique pro vobis potius quam contra vos pugnemus: neque nostro neque maiorum nostrorum merito nobis id contingit. *Gellius* 20, 6, 3. 3. Deinde Sulla Marium sibi iratum sentiens ad Catulum se contulit et maximis quibusque rebus ab eo praefectus adversus Inalpinas gentes multa prospera proelia fecit. Ingruente etiam commeatus inopia, curam eius rei suscipiens tantam effecit copiam, ut et Catuli militibus annonam largam praestaret et insuper

Digitized by Google

Marianos sublevaret. Qua re se Mario gravem dolorem creavisse scribit. *Plutarchus in Sulla* 4. 4. In pugna prope Vercellas cum Cimbris etc. *supra p.* 331, 20. 5. Sed postquam proelii initium factum est, Marius, ut Sulla scribit, malignitatis dignas poenas dedit. Quippe ingenti pulveris vi prospectum exercituum obscurante Marium ait, ut primum ad faciendum impetum ordines impulit, ab hostibus aberrasse et incerto per campos itinere multum tempus vagatum; in Catulum autem fortunam barbaros impegisse, ut illius et illius militum, in quibus Sulla ait se fuisse, huius victoriae opera maxime esset. Ceterum et calorem Romanis adiumento fuisse et solem Cimbrorum oculis adversum. *Plutarchus Mario* 26, 3. 6. In petitione praeturae Sulla repulsam tulit, cuius rei culpam in populum reiicit. Ait enim, cum suam cum Boccho amicitiam cognitam habuissent, maluisse ab se splendidas venationes bestiarum ex Africa advectarum exhiberi ideoque alios praetores fecisse, ut ipse aedilitatem petere cogeretur. At veram repulsae causam Sulla confessus non est etc. *Plutarchus Sulla* 5, 1. 7. Namque in commentariis suis scriptum reliquit, ea quae pro tempore temere aggressus esset, secundiora sibi diligenter consultis consuevisse evenire. Item alio loco ad fortunam sese melius quam ad bellum ab natura institutum dicit, plus fortunae quam virtuti tribuens omninoque se fortunae mancipans. Neque minus etiam eius concordiae qua cum Metello socero coniunctus erat causam divinae cuidam fortunae attribuit; qui cum multum negotiorum visus esset facessere, lenissimum sibi in consulatu collegam fuisse. Lucullum etiam in commentariis, quos ei inscripsit, admonet ne quid tam certum et stabile duceret quam quod per somnium numen sibi imperaret [*cfr. Plutarchus Lucullo* 23, 4.] Praeterea cum ad Sociale bellum cum exercitu mitteretur, vastum prope Lavernium terrae hiatum scribit extitisse atque

ex eo ignem emersisse flammamque lucidam prorupisse in caelum; tum vates respondisse, cum vir bonus aspectu insignis imperio potiretur, impendentes procellas ab urbe depulsurum. Hunc se ipsum fuisse ait Sulla, conspicuum enim esse rutilo capilli colore, neque virtutem vereri post tantas res tamque praeclare gestas sibi tribuere. *Plutarchus in Sulla* 6, 2 *sq.* 8. In Sullae scriptum historia videmus, quod te inspectante factum est, ut cum ille in agro Nolano immolaret ante praetorium, ab infima ara subito anguis emergeret; cum quidem C. Postumius haruspex oraret illum ut in expeditionem exercitum educeret; id cum Sulla fecisset, tum ante oppidum Nolam florentissima Samnitium castra cepit. *Cicero de divin.* 1, 33, 72. 2, 30, 65. 9. Scripsit et Sulla dictator ab exercitu se quoque donatum [corona obsidionali] apud Nolam legatum bello Marsico, idque etiam in villa sua Tusculana, quae fuit postea Ciceronis, pinxit. *Plinius nat. hist.* 22, 6, 12. 10. Ipse Sulla in commentariis suis negat se confugisse ad Marium, sed abstractum, cum sententia sua comprobare noluisset Sulpicii leges, compulsumque inter nudos inimicorum gladios in Marii domum, donec obsecutus illorum voluntati rediret in forum et ferias remitteret. *Plutarchus Mario* 35, 1. 11. Ipse Sulla in commentariis suis refert primum omnium M. Teium [Ateium?] in summum enixum, cum feriens occurrentem sibi hostem obiectu galeae ensem fregisset, non cessisse tamen loco, sed restitisse imperterritum . . . Athenas igitur expugnavit, ut ipse in commentariis scriptum reliquit, Calendis Martiis. *Plutarchus Sulla* 14. 12. Prope Elateam collem occupant e media planitie prominentem fertilem arboribusque consitum, ad cuius radices aquarum abundantia erat. Philoboeotum appellant, eiusque naturam ac situm mirifice laudat Sulla. *Plutarchus Sulla* 16, 1. 13. Romanorum militum Sulla scribit XIV primum desideratos fuisse, sed ex eo

Digitized by Google

numero duos sub vesperam revertisse. *Plutarchus Sulla* 19, 3. 14. De Trophonio . . . Iam facta ad Chaeroneam pugna Q. Titius haud ignobilis, per Graeciam negotiari solitus, ut ipse Sulla in decimo commentariorum libro refert, venit nuntians, praedicere Trophonium alteram paucisque diebus post futuram pugnam ac victoriam. Post hunc Salvenius quidam ex praetoria cohorte retulit, qualem exitum Italicis rebus deus significaret. Uterque eadem de divino oraculo commemorabat, visum enim deum Iovi Olympio et pulchritudine et magnitudine similem. *Plutarchus Sulla* 17, 1. 15. Archelaum honorifice habuit et aegrotantis non secus egit curam, ac si legatus aut collega foret. Unde rumores orti non optima fide pugnatum ad Chaeroneam esse praemiumque proditionis hoc Archelao dari; quemadmodum non alia de causa unus omnium Mithridatis amicorum captivorum Aristio tyrannus veneno necatus esset, quippe Archelao invisus; sed maxime quod data erant Cappadoci decem milia iugerum agri Euboici, idemque ab Sulla socius et amicus populi Romani appellatus. Quae omnia ipse Sulla in commentariis suis relata diluit. *Plutarchus Sulla* 23, 1. 16. Sulla in Italiam traiecit, ut ipse ait, adversus quindecim partium adversarum duces cohortesque quadringentas quinquaginta profecturus, aperte deo victoriam ei ostendente. Namque Tarentum appulsus et statim sacrificans vidit in capite iecoris figuram coronae laureae lemniscorumque inde dependentium . . . Norbano celeriter fugato et Capuam compulso factum esse ait, ut milites per oppida non dispergerentur, sed coniuncti adversariorum contemnerent numerum ampliorem. Item Silvii ait accurrisse servum Pontii fanaticum, qui diceret a Bellona se iussum victoriam illi nuntiare; ceterum ni maturaret, Capitolium deflagraturum; idque factum esse pridie Nonas Quintiles, quem quidem diem ille praedixisset. *Plutarchus Sulla* 27. 17. In

eo proelio [ad Sacriportum] Sulla dicit suorum tres tantum et viginti desideratos, hostium vero viginti milia caesa esse, octo milia capta. *Plutarchus Sulla* 28, 3. 18. Sylla in XXI rerum suarum: 'ad summam perniciem rem publicam perventurum esse' pro perventum ire. *Priscianus* 9, 7, 39. 19. Sulla non modo praevidit mortem suam, sed quodam modo scripsit. Libro enim vicesimo secundo commentariorum suorum biduo priusquam decederet operam postremo dederat, testatus Chaldaeos praedixisse sibi, in fatis esse ut vita bene peracta in summo felicitatis fastigio obiret. Item narrat filiolum ante Metellam mortuum sibi per somnium visum, veste obsoleta accedentem ad patrem et monentem ut missis curis secum iret ad matrem Metellam, ut cum ea in quiete et otio degeret. *Plutarchus Sulla* 37, 1. 20. Sulla rerum a se gestarum commentarios ad Lucullum inscripsit etc. *supra p.* 334, 12. 21. Cornelius Epicadus L. Cornelii Syllae dictatoris libertus calatorque in sacerdotio augurali filioque eius Fausto gratissimus fuit; quare numquam non utriusque se libertum edidit. Librum autem, quem Sylla novissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit. *Suetonius de grammat.* 12. *Eundem Epicadum grammaticum norunt Charisius* 1, 18, 40. *Maximus Victorinus de carm. her. p.* 1957 *P. Macrobius Saturn.* 1, 11.

XXIII. L. VOLTACILIUS PILATUS.

L. Voltacilius Pilatus [*sic cod. Periz. in elencho, idem in ordine* L. Otacilius Pilutus, *alii aliter*] servisse dicitur atque etiam ostiarius vetere more in catena fuisse, donec ob ingenium et studia litterarum manumissus accusanti patrono sub-

Digitized by Google

scripsit. Deinde rhetoricam professus Gn. Pompeium Magnum docuit patrisque eius res gestas nec minus ipsius compluribus libris exposuit, primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam. *Suetonius de rhetor.* 3. Vultacilius Plautus [Plotus *alii*] Latinus rhetor Cn. Pompei libertus et doctor scholam Romae aperuit. *Hieronymus in chronico ad a.* 673. *p.* 364 *Mai. Alius est M. Otacilius Pitholaus apud Macrobium Saturn.* 2, 2 *et Suetonium Caesare* 75.

XXIV. Q. CLAUDIUS QUADRIGARIUS.

1. Vetustior Sisenna fuit Caelius, aequalis Sisennae Rutilius Claudiusque Quadrigarius et Valerius Antias. *supra p.* 328, 20. Historiam scripsere . . . Claudius lepide, Antias invenuste, Seisenna longinque. *Fronto ad Verum p.* 170 *Rom.* 2. Haec verba ex Q. Claudii primo annali . . . notavi, quem librum legimus biduo proximo superiore: . . . Postquam nuntiatum est, inquit, ut pugnatum esset in Gallos, id civitas graviter tulit . . . Sole, inquit, occaso . . . Cum iis, inquit, consermonabatur . . . Cominius, inquit, qua escenderat descendit atque verba Gallis dedit . . . Putabant, inquit, eos qui foris atque qui in arce erant, inter se commutationes et consilia facere . . . Nam Marcus, inquit, Manlius, quem Capitolium servasse a Gallis supra ostendi, cuiusque operam cum M. Furio dictatore apud Gallos cumprime fortem atque exsuperabilem res publica sensit, is et genere et vi et virtute bellica nemini concedebat . . . Simul, inquit, forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, confidentia pariter praecellebat; ut facile intelligeretur magnum viaticum ex se atque in

se ad rem publicam evertendam habere . . . Tanta, inquit, sanctitudo fani est, ut numquam quisquam violare sit ausus. *Gellius* 17, 2. 3. Bellatum cum Gallis eo anno [*a. u.* 387] circa Anienem flumen auctor est Claudius, inclutamque in ponte pugnam, qua T. Manlius Gallum, cum quo provocatus manus conseruit, in conspectu duorum exercituum caesum torque spoliavit, tum pugnatam. Pluribus auctoribus magis adducor ut credam etc. *Livius* 6, 42, 6. 4. [Eam pugnam] Q. Claudius primo annalium purissime atque illustrissime simplicique et incompta orationis antiquae suavitate descripsit. Quem locum ex eo libro Favorinus philosophus cum legeret, non minoribus quati afficique animum suum motibus pulsibusque dicebat, quam si ipse coram depugnantis eos spectaret. Verba Q. Claudii [verba ex historia Claudii Quadrigarii *in indice*] . . . adscripsi: Cum interim Gallus quidam nudus praeter scutum et gladios duos torque atque armillis decoratus processit, qui et viribus et magnitudine et adolescentia simulque virtute ceteris antistabat. Is maxime proelio commoto atque utrisque summo studio pugnantibus manu significare coepit, utrimque quiescerent. Pugnae facta pausa est extemplo. Silentio facto cum voce maxima conclamat, si qui secum depugnare vellet, uti prodiret. Nemo audebat propter magnitudinem atque immanitatem facies. [Corruptos autem quosdam libros repperi, in quibus 'faciei' scriptum est, illo quod ante scriptum erat, oblitterato. Meminimus etiam in Tiburti bibliotheca invenire nos in eodem Claudii libro scriptum utrumque 'facies' et 'facii'. Sed 'facies' in ordine scriptum fuit, et contra per I geminum 'facii'. *Gellius* 9, 14, 3.] Deinde Gallus irridere coepit atque linguam exertare. Id subito perdolitum est cuidam T. Manlio summo genere nato, tantum flagitium civitati accidere, e tanto exercitu neminem prodire. Is, ut dico, processit neque passus est virtutem Romanam a Gallo

Digitized by Google

turpiter spoliari; scuto pedestri et gladio Hispanico cinctus contra Gallum constitit. Metu magno ea congressio in ipso ponte utroque exercitu inspectante facta est. Ita ut ante dixi, constiterunt: Gallus sua disciplina scuto proiecto cantabundus, Manlius animo magis quam arte confisus scutum scuto percussit atque statum Galli conturbavit. Dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet, Manlius iterum scutum scuto percutit atque de loco hominem iterum deiecit; eo pacto ei sub Gallicum gladium successit atque Hispanico pectus hausit; dein continuo humerum dexterum eodem concessu incidit neque recessit usquam, donec subvertit, ne Gallus impetum icti haberet. Ubi eum evertit, caput praecidit, torquem detraxit, eamque sanguinulentam sibi in collum inponit [*Nonius p.* 228, 10.] Quo ex facto ipse posterique eius Torquati sunt cognominati. *Gellius* 9, 13. 5. Aras] quod ibi Afri et Romani foedus inierunt et fines imperii sui illic esse voluerunt . . . Claudius Quadrigarius I annalium: apud aras, quae vocabantur Neptuniae. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 112. 6. [Q. Claudius primo annali] Ea, inquit, dum fiunt, Latini subnixo animo ex victoria inerti consilium ineunt. *Gellius* 17, 2, 4. *Nonius p.* 405, 28. 7. Collaudatis Fundanis consul litterisque Romam missis, in officio Fundanos esse, ad Privernum flexit iter. Prius animadversum in eos qui capita coniurationis fuerant a consule scribit Claudius, ad trecentos quinquaginta ex coniuratis vinctos Romam missos, eamque deditionem ab senatu non acceptam, quod egentium atque humilium poena defungi velle Fundanum populum censuerint. *Livius* 8, 19, 13 *sq.* 8. Q. Claudius in primo annalium . . .: persuadenti cuidam adolescenti Lucano, qui apprime summo genere gnatus erat, sed luxuria et nequitia pecuniam magnam consumpserat. *Gellius* 7, 11, 7. Claudius Quadrigarius in primo annali: ea Lucani ubi resciverunt, sibi per fallacias verba

data esse. *Gellius* 2, 19, 7. *cfr. Livius* 8, 27. 9. [Q. Claudius primo annali] Convalles, inquit, et arboreta magna erant. *Gellius* 17, 2, 25. 10. Claudius primo: prius hisce auctoribus [*ductoribus*?] inde reticula galearia. *Nonius p.* 222, 2. 11. Itaque non, ut vulgo credunt Claudiusque etiam scribit, foedere pax Caudina, sed per sponsionem facta est. *Livius* 9, 5, 2. 12. [Q. Claudius primo annali] Domus, inquit, suas quemque ire iubet et sua omnia frunisci. [*cfr. Nonius p.* 113, 8] . . . Cum tantus, inquit, arrabo penes Samnites populi Romani esset (arrabonem dixit sexcentos obsides.) *Gellius* 17, 2. 13. Idem Quadrigarius in eodem libro . . : id ubi rescierunt propinqui obsidum, quos Pontio traditos supra demonstravimus, eorum parentes cum propinquis capillo passo in viam provolarunt. *Gellius* 2, 19, 8. 14. [Q. Claudius primo annali] Arma, inquit, plerique abiciunt atque inermi illatebrant sese. *Gellius* 2, 19, 3. *cfr. Nonius p.* 129, 23. *ubi* atque inhermis in latebras se inlatebrant *scribitur*. 15. In primo annali Quadrigarii scriptum est, C. Pontium Samnitem a dictatore Romano sex horarum indutias postulasse. *Gellius* 1, 25, 6. 16. [Q. Claudius primo annali] Sese, inquit, ne id quoque, quod tum suaderet, facturum esse . . . Et Romani, inquit, multis armis et magno commeatu praedaque ingenti copiantur. *Gellius* 17, 2. *cfr. Nonius p.* 87, 6. 17. [Q. Claudius annali primo] Nos, inquit, in medium relinquemus . . . Nihil sibi, inquit, divitias opus esse . . . Miserrimas, inquit, vitas exegerunt, et Hic mimus [*nimiis*?] in otiis, inquit, consumptus est . . . Nam haec, inquit, maxime versatur deorum iniquitas, quod deteriores sunt incolumiores, neque optumum quemquam inter nos sinunt diurnare. *Gellius* 17, 2. *cfr. Nonius p.* 100, 19. 18. Quadrigarius annalium lib. I: cum non possetur decerni, utrius putaretur victoria esse. *Nonius p.* 508, 17. 19. Quadrigarius annali lib. II: his desubito

Digitized by Google

utrisque nuntiatur ipsorum copias adesse. *Nonius p.* 517, 21. 20. Q. Claudius in II annalium: conprensare suos quisque, sevire, [*saviare*?] amplexare. *Priscianus* 8, 4, 26. 21. Quadrigarius annali lib. II: et qui ibi erant, non ignaviter putando [*potando*?] eum diem pro meliore habuerunt. *Nonius p.* 514, 10. 22. Quadrigarius annali lib. II: inde postquam aliquantum recessit, offendit montem * loca munita res omnes habere, quae militibus opus sunt, ligna, aquam, pabulum. *Nonius p.* 359, 5. 23. Quadrigarius annali lib. II: eo consules propere exercitum redducunt. *Nonius p.* 154, 33. 24. Postumium auctor est Claudius etc. *supra p.* 256, 24. 25. Claudius quoque Quadrigarius annali tertio: senatus autem de noctu convenire, noctu multa domum dimitti. *Macrobius Saturn.* 1, 4. 26. Quadrigarius in tertio annalium ita scripsit: ibi occiditur mille hominum. *Gellius* 1, 16, 1. *Macrobius Saturn.* 1, 5. 27. Quadrigarius annali lib. III: adeo memorari vix potestur, ut omnes simul suum quisque negotium adorti essent. *Nonius p.* 508, 30. 28. Quadrigarius annalium lib. III: Fabius de nocte coepit hostibus castra simulare obpugnare, eum hostem delectare, dum collega id caperet quod captabat. *Nonius p.* 97, 33. 29. Quadrigarius annali lib. III: et ita rebus praeclariter gestis Romam reverterunt. *Nonius p.* 516, 11. 30. Quadrigarius annali libro III [V *alii*]: is ubi Dacium [*Decium*?] cognovit et patria eum recordavit. *Nonius p.* 475, 26. *cfr. Freinsheim suppl. Liv.* 12, 32. 31. Cum Pyrrhus rex in terra Italia esset et unam atque alteram pugnas prospere pugnasset, satisque agerent Romani, et pleraque Italia ad regem descivisset, tum Ambraciensis quispiam regis Timochares Pyrrhi amicus ad Fabricium consulem furtim venit ac praemium petivit, et si de praemio conveniret, promisit regem venenis necare, idque facile factu esse dixit, quoniam filius suus pocula in convivio

regi ministraret. Eam rem Fabricius ad senatum scripsit. Senatus legatos ad regem misit mandavitque ut de Timochare nihil proderent, sed monerent uti rex circumspectius ageret atque a proximorum insidiis salutem tutaretur. Hoc ita uti diximus, in Valerii Antiatis historia scriptum est. Quadrigarius autem in libro tertio non Timocharem, sed Niciam adisse ad consulem scripsit; neque legatos a senatu missos, sed a consulibus; et regem populo Romano laudes atque gratias scripsisse, captivosque omnis quos tum habuerit vestivisse et reddidisse. Consules tum fuerunt C. Fabricius et Q. Aemilius. Litteras, quas ad regem Pyrrhum super ea causa miserunt, Claudius Quadrigarius scripsit fuisse hoc exemplo: Consules Romani salutem dicunt Pyrrho regi. Nos pro tuis iniuriis continuo animo tenui [strenui?] commoti inimiciter, tecum bellare studemus. Sed communis exempli et fidei ergo visum est uti te salvum velimus, ut esset quem armis vincere possemus. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui sibi a nobis praemium peteret, si te clam interfecisset. Id nos negavimus velle, neve ob eam rem quicquam commodi expectaret, et simul visum est ut te certiorem faceremus, ne quid eiusmodi si accidisset, nostro consilio civitates putarent factum, et quod nobis non placet pretio aut praemio aut dolis pugnare. Tu nisi caves, iacebis. *Gellius* 3, 8. 32. Hanc Q. Caedicii tribuni virtutem M. Cato tali suo testimonio decoravit [*cfr. supra p.* 281, 31.] Claudius autem Quadrigarius annali tertio non Caedicio nomen fuisse ait, sed Laberio. *Gellius* 3, 7, 21. *cfr. Frontinus strat.* 1, 5, 15. 4, 5, 10. In CL. quoque Quadrigarii tertio annali libro verba haec esse dixit: dum ii conciderentur, hostium copias ibi occupatas futurum. *Gellius* 1, 7, 9. 33. Quadrigarius annali lib. IIII: item gaudium atque aegritudinem alternatim sequi. *Nonius p.* 76, 11. 34. Quadrigarius annali lib. IIII: sed circiter horas duas gravi proelio

Digitized by Google

urserunt, deinde in fugam sunt coniecti. *Nonius p.* 418, 2. 35. 'Cancer cancri' quod neutrum etiam invenitur, sed quando morbum significat. Claudius in IIII historiarum: ut viderent ne respueret verminaret litteris adivalis [verminare ad ulceris cliva, cis *God. Hermann*] quod verminatum ne ad cancer pervenerit. *Priscianus* 6, 8, 43. *Casaubonus et Gronovius Claudio Caesari tribuunt.* 36. Quadrigarius quarto: inter venas saxi [abstrusum, latentem et quasi divinitus absconditum.] *Servius ad Verg. Georg.* 1, 135. 37. Quadrigarius annalium lib. V: et dicerent castra facta esse, atque hos cohortarent uti maturarent. *Nonius p.* 472, 17. 38. Ante diem quoque quartum Kalendas vel Nonas vel Idus tamquam inominalem diem plerique vitant . . . Nihil nos super ea re scriptum invenimus, nisi quod Q. Claudius annalium quinto cladem illam pugnae Cannensis vastissimam factam dicit ante diem quartum Nonas Sextiles. *Gellius* 5, 17. *Macrobius Saturn.* 1, 16. 39. Quadrigarius in sexto annali: Artorius'Taureae dextrum humerum sauciat atque ita resilivit. *Priscianus* 8, 9, 51. 40. Super huiusmodi patris atque filii officio . . . posuimus verba ipsa Quadrigarii ex annali eius sexto transcripta: Deinde facti consules Sempronius Gracchus iterum, Q. Fabius Maximus, filius eius qui priore anno erat consul. Ei consuli pater proconsul obviam in equo vehens venit neque descendere voluit, quod pater erat; et quod inter eos sciebant maxima concordia convenire, lictores non ausi sunt descendere iubere. Ubi iuxta venit, tum consul ait: quid postea? Lictor ille qui apparebat cito intellexit, Maximum proconsulem descendere iussit. Fabius imperio paret et filium collaudavit, cum imperium quod populi esset retineret. *Gellius* 2, 2. *cfr. Livius* 24, 44, 10. 41. In sexto annali eiusdem verba haec sunt: paene factum est, quin castra relinquerent atque cederent hosti. *Gellius* 17, 13, 6. 42. Quadrigarius annali lib. VI: ne nos ad certa-

tionem censeas haec incepisse. *Nonius p.* 267, 21. 43. Quadrigarius annali lib. VI: aliquantisper pugnato nihil promovet Poenus. *Nonius p.* 511, 25. 44. Libro septimo Claudius: animos eorum habentia inflarat. *Nonius p.* 119, 32. 45. Si Valerio quis credat omnium rerum immodice numerum augenti, quadraginta milia hostium eo die sunt caesa, capta (ibi modestius mendacium est) quinque milia septingenti, signa militaria ducenta undequinquaginta. Claudius quoque duo et triginta milia hostium caesa scribit, capta quattuor milia et trecentos. Nos . . Polybium secuti sumus etc. *Livius* 33, 10, 8 *sqq. cfr. Orosius* 4, 20. *Plutarchus Flaminino* 9. 46. Valerius Antias quaternum milium pondo argenti vectigal in decem annos inpositum regi tradit, Claudius in annos triginta quaterna milia pondo et ducentum, praesens viginti milia pondo. Idem nominatim adiectum scribit, ne cum Eumene Attali filio (novus is tum rex erat) bellum gereret . . . Adicit Antias Valerius Attalo absenti Aeginam insulam elephantosque dono datos, et Rhodiis Stratoniceam Cariaeque alias urbes quas Philippus tenuisset, Atheniensibus insulas datas Lemnum, Imbrum, Delum, Scyrum. *Livius* 33, 30, 8 *sqq.* 47. In eo proelio supra quadraginta milia hominum caesa Valerius Antias scribit, octingenta septem signa militaria capta et carpenta septingenta triginta duo et aureos torques multos, ex quibus unum magni ponderis Claudius in Capitolio Iovi donum in aede positum scribit. *Livius* 33, 36, 13. 48. Claudius, qui bis pugnatum in Olympo monte scribit, ad quadraginta milia hominum auctor est caesa; Valerius Antias, qui magis inmodicus in numero augendo esse solet, non plus decem milia. *Livius* 38, 23, 8. 49. Claudius auctor est ad quindecim milia Thraecum praecedenti ad exploranda loca agmen Muttini Numidae occurrisse; quadringentos equites fuisse Numidas, paucos elephantos; Muttinis filium per medios hostis

Digitized by Google

cum centum quinquaginta delectis equitibus perrupisse; eundem mox, cum iam Muttines in medio elephantis collocatis, in cornua equitibus dispositis manum cum hoste conseruisset, terrorem ab tergo praebuisse; atque inde turbatos equestri velut procella hostis ad peditum agmen non accessisse. *Livius* 38, 41, 12 *sq.* 50. Quadrigarius annali lib. VIII: in eo loco populus murmurari coepit. *Nonius p.* 478, 6. 51. Item quod nos 'suspicatur' [*auspicatur*?] veteres 'ospicatur' dixerunt. Claudius octavo historiarum Flacco ospicatur ait. *Diomedes I p.* 378 *P.* 52. Claudius nihil responsum [Rhodiensibus] auctor est; tantum senatus consultum recitatum, quo Caras et Lycios liberos esse iuberet populus Romanus, litterasque extemplo ad utramque gentem * sciret indicatum mitti. Qua audita re principem legationis, cuius magniloquentiam vix curia paulo ante ceperat, corruisse. *Livius* 44, 15, 1 *sq.* 53. Praeterea animadvertimus Quadrigarium in octavo annalium particula 'quin' usum esse obscurissime. Ipsius verba posuimus: Romam venit, vix superat quin triumphus decernatur. *Gellius* 17, 2, 5. 54. Cum Metellus praetor Achaeos Boeotiosque coniunctos duobus bellis, hoc est primo apud Thermopylas, iterum in Phocide vicisset, quorum priore bello occisa esse viginti milia, secundo septem milia caesa Claudius historicus refert: Valerius Antias in Achaia pugnatum et viginti milia Achaeorum cum duce suo Diaeo cecidisse confirmat. Polybius etc. *Orosius* 5, 3. 55. Eodem tempore trecenti Lusitani cum mille Romanis in quodam saltu contraxere pugnam, in qua septuaginta Lusitanos, Romanos autem trecentos viginti cecidisse Claudius refert. Et cum victores Lusitani sparsi ac securi abirent, unus ex iis longe a ceteris segregatus, cum a circumfusis equitibus pedes ipse deprehensus unius eorum equo lancea perfosso ipsius equitis ad unum gladii ictum caput desecuisset, ita omnes metu perculit,

Digitized by Google

ut prospectantibus cunctis ipse contemptim atque otiosus abscederet. *Orosius* 5, 4. 56. Claudius in VIIII [VIII *alii*] annali: qui prior bellum, quod cum his gestum erat, meminissent. Idem in eodem: ubi decreverunt, commemorant Graccho foedus prior Pompeianum non esse servatum. *Priscianus* 7, 13, 69. *cfr. Freinsheim suppl. Liv.* 55, 16. 57. Claudius: Herius [heri *vel* erius *alii*] recedens vesperi Numantinis incidit. *Scholia ad Statii Theb.* 8, 1. 58. Ante Caesaris tempora Tigurini etc. *supra p.* 322, 27. 59. Memini Quadrigarium in undecimo [undevicesimo *alii*] faciem pro statura totiusque corporis figura dixisse. *Gellius* 13, 29, 7. 60. Claudius rerum Romanarum lib. XII etc. *supra p.* 322, 14. 61. Verba sunt Claudii Quadrigarii ex annalium eius XIII: contione dimissa Metellus in Capitolium venit cum multis mortalibus; inde cum domum proficiscitur, tota civitas eum reduxit. Cum is liber eaque verba a Frontone, nobis ei ac plerisque aliis assidentibus, legerentur etc. *Gellius* 13, 28. *cfr. Freinsheim suppl. Liv.* 69, 62. 62. 'Grunnit porcus' dicimus, veteres grundire dicebant . . . Claudius annalium XV: grundibat graviter pecus suillum. *Diomedes I p.* 379 *P.* Claudius lib. XVI agni grundibant grumiter pecus suillum. *Nonius p.* 465, 3, *ubi* annali: grundibat graviter *legendum est.* 63. Claudius annalibus lib. XVI: equae hinnibundae inter se spargentes terram calcibus. *Nonius p.* 122, 14. 64. In duodevicesimo [duodecimo *alii*] annali eiusdem Quadrigarii principium libri sic scriptum: si pro tua bonitate et nostra voluntate tibi valetudo suppetit, est quod speremus deos bonis bene facturum. *Gellius* 1, 7, 9. 65. Claudius Quadrigarius in duodevicesimo annalium tradit, cum obsideretur Grumentum et iam ad summam desperationem ventum esset, duos servos ad hostem transfugisse et operae pretium fecisse. Deinde urbe capta passim discurrente victore, illos per nota itinera

Digitized by Google

ad domum in qua servi erant praecucurrisse et dominam suam ante se egisse, quaerentibus quaenam esset, dominam et quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci professos esse. Eductam deinde extra muros summa cura celasse, donec hostilis ira consideret. Deinde ut satiatus miles cito ad Romanos mores rediit, illos quoque ad suos redisse et dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit utrumque e vestigio illa. *L. Seneca de benef.* 3, 23. *cfr. Macrobius Saturn.* 1, 11. 66. Q. Claudius [Quadrigarius *addit index*] in undevicesimo [duodevicesimo *alii*] annali, cum oppidum a Metello proconsule oppugnari, contra ab oppidanis desuper e muris propugnari describeret, ita scripsit: Sagittarius cum funditore utrimque summo studio spargunt fortissime. Sed sagittam atque lapidem deorsum an sursum mittas, hoc interest; nam neutrum potest deorsum versum recte mitti, sed sursum utrumque optime. Quare milites Metelli sauciabantur multo minus et quod maxime opus erat, a pinnis hostis defendebant facillime funditores. *Gellius* 9, 1, 1. 8. 67. Quadrigarius in annali undevicesimo verba haec posuit: C. Mari, ecquando te nostrum et rei publicae miserebitur? *Gellius* 20, 6, 11. 68. . et Q. Claudium in libro undevicesimo C. Marium creatum septimo consulem dixisse. *Gellius* 10, 1, 3. 69. Antonius Iulianus rhetor . . . si annalem, inquit, undevicesimum Q. Claudii legisses optimi et sincerissimi scriptoris, docuisset te profecto . . . In eo igitur libro scriptum inveni, cum oppugnaret L. Sulla in terra Attica Piraeeum et contra Archelaus regis Mithridati praefectus ex eo oppido propugnaret, turrim ligneam defendendi gratia structam, cum ex omni latere circumplexa igni foret, ardere non quisse, quod alumine ab Archelao oblita fuisset. Verba Quadrigarii ex eo libro haec sunt: Tum Sulla conatus est et tempore magno eduxit copias, ut Archelai turrim unam quam ille interposuit ligneam incenderet. Venit,

accessit, ligna subdidit, submovit Graecos, ignem admovit. Satis sunt diu conati, numquam quiverunt incendere; ita Archelaus omnem materiam obleverat alumine; quod Sulla atque milites mirabantur. Et postquam non succendit, reduxit copias. *Gellius* 15, 1. 70. Quadrigarius annali lib. XXI: crudeliter ille, nos misericorditer; avariter ille, nos largimur. [*largiter*?] *Nonius p.* 510, 19. 71. Q. Claudius in vicesimo primo annali insolentius paulo hac figura est ita usus: enim cum partim copiis hominum adolescentium placentem sibi. Itemque Claudii in vicesimo tertio annali verba haec sunt: sed idcirco me fecisse; quod utrum negligentia partim magistratuum, an avaritia, an calamitate populi Romani evenisse dicam, nescio. *Gellius* 10, 13, 4. 72. Sullae etiam et Marii adolescentis maximum tunc proelium apud Sacriportum fuit, in quo de exercitu Marii caesa sunt viginti quinque milia, sicut Claudius scribit. *Orosius* 5, 20. *cfr. supra p.* 338, 1. 73. Rubellius Blandus et Quadrigarius historici dicunt Gargarum flumen vocari in finibus Thurinis. *Ad illud* fuisse oppidum mediocre, quod Garga nunc vicus est, quem Troes obscuri centum quinquaginta ignoto et incerto duce insederunt, scilicet nomine a vertice Idaeo translato, a quo civitas etiam in finibus Troicis Gargara appellatur. *Servius ad Verg. Georg.* 1, 103. *cfr. Aristoteles mirab. auscult.* 108 *p.* 36 *Parad. West.* 74. Pluria sive compluria ... dixerunt M. Cato, Q. Claudius etc. *Gellius* 5, 21, 6. 75. Quadrigarius annalibus: exercitu instructo pedetemtim milites ducere coepit. *Nonius p.* 29, 8. 76. Quadrigarius annalium: facite exempla eorum, ut vos cum illis congermanescere sciatur. *Nonius p.* 90, 17. 77. Quadrigarius annali: ita per sexennium vagati Ampolam [*Apuliam*?] atque agrum Campanum, quod his per militem licebat, expolabatur [*exspoliabantur*? *Galli*?] *Nonius p.* 480, 14. 78. Quadrigarius: agrum Nolanum populare coeperunt. *No-*

Digitized by Google

nius p. 471, 20. 79. Claudius annalium: pluvia imbri lutus erat multus. *Nonius p.* 212, 17. 80. Claudius: pugna acriter commissa multis utrimque interitis. *Priscianus* 9, 9, 49. 81. *Clodii cuiusdam Censuram temporum Quadrigario derogavimus supra p.* 322, 22. *Fuit illud βιβλιον, opusculum; cfr. Suetonius de gramm.* 8.

XXV. VALERIUS ANTIAS.

1. Res Romanas [Latino sermone] laudati scriptores memoriae tradiderunt Porcius Cato, Fabius Maximus, Valerius Antias etc. *supra p.* 304, 19. Aequalis Sisennae Rutilius Claudiusque Quadrigarius et Valerius Antias. *cfr. supra p.* 328, 21. Historiam [scripsit] Antias invenuste. *Fronto ad Verum p.* 170 *Rom. Huius praenomen nusquam reperitur, ne apud Gellium quidem* 5, 21, 6. *qui* pluria sive compluria, *inquit*, . . . dixerunt M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Aelius, P. Nigidius, M. Varro. *De cognomine Priscianus* 5, 4, 22 inveniuntur, *inquit*, alia quoque propria in formam gentilium prolata, ut Antias historicus. *Quod cum omnes declinarint* Antiate, *mirum est Verrium Flaccum ab Aurelio Victore de orig. g. R. in indice dici* Antiate . . . maluit dicere quam Antia. *Plutarchus tamen bis Ἀντίαν protulit.* L. Valerius Antias *quidam a Livio* 23, 34, 9 *ad a.* 539 *commemoratur.* 2. Post eum Silvius Procas rex Albanorum duos filios Numitorem et Amulium aequis partibus heredes instituit. Tum Amulius in una parte regnum tantummodo, in altera totius patrimonii summam atque omnem paternorum bonorum substantiam posuit fratrique Numitori, qui maior natu erat, optionem dedit, ut ex his utrum mallet eligeret. Numitor cum privatum omne cum facultatibus

regno praetulisset, Amulius regnum obtinuit. Quod ut firmissime possideret, Numitoris fratris sui filium in venando interimendum curavit; tum etiam Rheam Silviam eius sororem sacerdotem Vestae fieri iussit simulato somnio, quo ammonitus ab eadem dea esset ut id fieret; cum re vera ita faciundum sibi existimaret, periculosum ducens, ne quis ex ea nasceretur, qui avitas persequeretur iniurias, ut scribit Valerius Antias lib. I. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 19. *cfr. Plutarchus Romulo* 3, 2. *Paulus Diaconus hist. misc. I.* 3. At vero Valerius tradit pueros ex Rhea Silvia natos Amulium regem Faustulo servo necandos dedisse, sed eum a Numitore exoratum ne pueri necarentur, Accae Larentiae amicae suae nutriendos dedisse, quam mulierem eo quod pretio corpus esset vulgare solita, Lupam dictam. Notum quippe ita appellari mulieres quaestum corpore facientes, unde et eiusmodi loci in quibus hae consistunt lupanaria dicta. Cum vero pueri liberalis disciplinae capaces facti essent, Gabiis Graecarum Latinarumque litterarum ediscendarum gratia commoratos, Numitore avo clam omnia subministrante. Itaque ut primum adolevissent, Romulum indicio educatoris Faustuli comperto qui sibi avus, quae mater fuisset, quidve de ea factum esset, cum armatis pastoribus Albam protinus perrexisse, interfectoque Amulio Numitorem avum in regnum restitutum. Romulum autem a virium magnitudine appellatum (nam Graeca lingua ῥώμην virtutem dici certum est,) alterum vero Remum dictum, videlicet a tarditate; quippe talis naturae homines ab antiquis remores dicti. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 21. *cfr. Plutarchus Romulo* 6, 1. 4. Acca Larentia corpus in vulgus dabat pecuniamque emeruerat ex eo quaestu uberem. Ea testamento, ut in Antiatis historia scriptum est, Romulum regem, ut quidam autem alii tradiderunt, populum Romanum bonis suis heredem fecit. Ob id meritum a flamine Quirinali sacrificium

Digitized by Google

ei publice fit et dies e nomine eius in fastos additus. *Gellius* 6, 7, 5 *sqq.* Fl. Caper de Latinitate Miror, inquit, id dixisse Tironem, [sua aetate coepisse dici adverbium novissime] cum Valerius Antias libro secundo Mater cum novissime aegrotasset, inquit, vovisse fertur. *Charisius* 2, 14, 134. *cfr. Gellius* 10, 21. 5. Celeres dicti sunt, ut plerique scribunt, a celeritate ministerii . . . ut vero Valerius Antias ait, id nomen a praefecto suo habent. *Dionysius Halic.* 2, 13. 6. Raptas tradunt alii non plus triginta numero ab iisque curias appellatas, Valerius autem Antias quingentas viginti septem, Iuba sescentas octoginta tres virgines fuisse scribunt. *Plutarchus Romulo* 13, 4. 7. Iulius Modestus de feriis . . . Antias, inquit, Agonaliorum repertorem Numam Pompilium refert. *Macrobius Saturn.* 1, 4. 8. Quando autem primo intercalatum sit varie refertur. Et Macer quidem Licinius eius rei originem Romulo assignat, Antias libro secundo Numam Pompilium sacrorum causa id invenisse contendit. *Macrobius Saturn.* 1, 13. 9. In secundo Antiatis libro . . . talis perscripta est fabula. Numam illum regem, cum procurandi fulminis scientiam non haberet essetque illi cupido noscendi, Egeriae monitu castos duodecim iuvenes apud aquam celasse cum vinculis, ut cum Faunus et Martius Picus ad id locorum venissent haustum (nam illis aquandi sollemne iter huc fuit) invaderent, constringerent, colligarent. Sed quo res fieri expeditius posset, regem pocula non parva mero vino mulsoque complesse circaque accessus fontis insidiosam venturis opposuisse fallaciam. Illos more de solito bibendi appetitione correptos ad hospitia nota venisse. Sed cum liquoribus odoratis offendissent fragrantia pocula, vetustioribus anteposuisse res novas, invasisse aviditer, dulcedine potionis captos hausisse plus nimio, obdormivisse factos graves. Tum bis senos incubuisse sopitis, iniecisse madidatis vincla, expergitosque illos statim perdocuisse regem, quibus

ad terras modis Iuppiter posset et sacrificiis elici, et accepta regem scientia rem in Aventino fecisse divinam, elexisse ad terram Iovem ab eoque quaesisse ritum procurationis et morem. Iovem diu cunctatum Expiabis dixe capite fulgurita; regem respondisse: caepicio; Iovem rursus: humano; retulisse regem: sed [*scilicet*?] capillo; deum contra: animalia; [anima *scribunt et* menae *vel* piscis *addunt*] subiecisse Pompilium. Tunc ambiguis Iovem propositionibus captum extulisse hanc vocem: decepisti me Numa, nam ego humanis capitibus procurari constitueram fulgurita, non capillo caepicio; quoniam me tamen tua circumvenit astutia, quem voluisti habeto morem, et his rebus quas pactus es procurationem semper suscipies fulguritorum. *Arnobius adv. gentes* 5, 1. *cfr. Plutarchus Numa* 15, 3. 10. Antias auctor est duodecim libros pontificales, duodecim Graecos praecepta philosophiae continentes in arca fuisse repositos. *Plutarchus Numa* 22, 3. Adicit Antias Valerius Pythagoricos fuisse. *Livius* 40, 29, 8. Antias secundo, duos pontificales etc. *supra p.* 294, 15. 11. Ancum praenomen Varro a Sabinis translatum putat, Valerius Antias scribit, quod cubitum vitiosum habuerit, qui Graece ἀγκών vocatur. *Incertus de nominibus post Valerium Maximum, cfr. Maii Nova collectio t.* 3 *p.* 91. 12. Repentinos existere ignes et in aquis et in corporibus etiam humanis, Trasimenum lacum arsisse totum, Servio Tullio dormienti in pueritia ex capite flammam emicuisse, L. Marcio in Hispania interemptis Scipionibus contionanti et milites ad ultionem exhortanti arsisse simili modo Valerius Antias narrat. *Plinius nat. hist.* 2, 107, 241. Nascitur igitur Servius, dormientisque pueruli caput visum est quasi fulgure ardere. Antias vero non ita rem narravit, sed cum uxor Servii [Tarquinii Prisci *puto scripserat Antias, cfr. Dionysius Halic.* 4, 7] Gegania morti proxima esset, ipsum praesente matre oppressum solli-

Digitized by Google

citudine ac maerore recubuisse dormientisque faciem mulieribus flamma collucere visam. *Plutarchus de fortuna Rom.* 10. 13. Intercidit . . . Praeterea auctor est Antias oppidum Latinorum Apiolas captum a L. Tarquinio rege, ex cuius praeda Capitolium is inchoaverit. *Plinius nat. hist.* 3, 5, 70. *cfr. Dionys. Halic.* 3, 50. 14. Difficile ad fidem est in tam antiqua re quot pugnaverint ceciderintque exacto affirmare numero; audet tamen Antias Valerius concipere summas. Romanos cecidisse in Hernico agro quinque milia ac ducentos; ex praedatoribus Aequorum, qui populabundi in finibus Romanis vagabantur, ab A. Postumio consule duo milia et quadringentos caesos; ceteram multitudinem praedam agentem, quae inciderit in Quinctium, nequaquam pari defunctam esse caede. Interfecta inde quattuor milia et exequendo subtiliter numerum ducentos ait et triginta. *Livius* 3, 5, 12 *sq.* 15. Eosdem consules insequenti anno refectos, Iulium tertium Virginium iterum, apud Macrum Licinium reperio. Valerius Antias et Q. Tubero M. Manlium et Q. Sulpicium consules in eum annum edunt. Ceterum in tam discrepante editione et Tubero et Macer libros linteos auctores profitentur; neuter tribunos militum eo anno fuisse traditum a scriptoribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubie sequi linteos placet, et Tubero incertus veri est. *Livius* 4, 23, 1 *sqq.* 16. Valerio Maximo, ut Antias tradidit, inter alios honores domus quoque publice aedificata est in Palatio, cuius exitus quo magis insignis esset, et in publicum versus declinaretur, hoc est extra privatum aperiretur. *Asconius ad Cic. in Pisonem p.* 13 *Orell.* 17. Valerius Antias in sexto annalium: hoc senatus consultum prior factum est. *Priscianus* 7, 13, 69. 18. Cum Pyrrhus rex etc. *supra p.* 343, 26. 19. Ita institutum esse ut centesimo quoque anno fierent; id cum Antias aliique historici auctores sunt, tum Varro etc. Primos

enim ludos seculares exactis regibus, post Romam conditam annis CCXLV a Valerio Publicola institutos esse *Valerius Antias ait*, at XVvirorum commentarii anno CCLXXXXVIIII M. Valerio Spurio Verginio coss. *Secundi ludi, ut Antias quidem vult, M. Popillio IIII. M. Valerio Corvo coss. facti sunt* anno post urbem conditam octavo et quadringentesimo, ut vero in commentariis XVvirorum scriptum est anno CCCC et decimo M. Valerio Corvino II C. Poetelio coss. Tertii ludi fuerunt Antiate Livioque auctoribus P. Claudio Pulchro L. Iunio Pullo coss. *anno DV, aut ut in libris XVvirorum scriptum est* anno quingentesimo duodevicesimo P. Cornelio Lentulo C. Licinio Varo coss. *Censorinus de die nat.* 17. 20. Ita nocte ac die etc. *supra p.* 302, 16. L. Marcio in Hispania etc. *supra p.* 354, 25. 21. Aeque et alia inter auctores discrepant . . . Scorpiones maiores minoresque ad sexaginta captos scripserim, si auctorem Graecum sequar Silenum; si Valerium Antiatem, maiorum scorpionum sex milia, minorum tredecim milia: adeo nullus mentiendi modus est. Ne de ducibus quidem convenit; plerique Laelium praefuisse classi, sunt qui M. Iunium Silanum dicant; Arinen praefuisse Punico praesidio deditumque Romanis Antias Valerius, Magonem alii scriptores tradunt. *Livius* 26, 49. [P. Africanus superior] virginem tempestivam forma egregia nobilis viri Hispani filiam captam perductamque ad se patri inviolatam reddidit . . . His ego versibus credo adductum Valerium Antiatem adversum ceteros omnes scriptores de Scipionis moribus sensisse, et eam puellam captivam non redditam patri scripsisse, contra quam nos supra diximus, sed retentam a Scipione atque in deliciis amoribusque ab eo usurpatam. *Gellius* 6, 8. 22. Eisdem diebus etc. *supra p.* 319, 10. 23. Equites . . . cum ipso duce Hannone etc. *supra p.* 320, 26. 24. Haec per nuntios acta magis equidem crediderim (et ita pars maior auctores sunt) quam ipsum

Digitized by Go

Syphacem, ut Antias Valerius prodit, in castra Romana ad conloquium venisse. *Livius* 30, 3, 6. 25. Idem consul [Cn. Servilius] cum Hannibale in agro Crotoniensi conflixit. Obscura eius pugnae fama est. Valerius Antias quinque milia hostium caesa ait; quae tanta res est, ut aut impudenter ficta sit aut neglegenter praetermissa. *Livius* 30, 19, 11. 26. Valerius Antias primo proelio victum eum [Hannibalem] a Scipione, quo duodecim milia armatorum in acie sint caesa, mille et septingenti capti, legatum cum aliis decem legatis tradit in castra ad Scipionem venisse. *Livius* 30, 29, 7. 27. Valerius Antias intrasse saltum Villium tradit, quia recto itinere nequiverit, omnibus ab rege insessis; secutum vallem, per quam mediam fertur Aous amnis; ponte raptim facto in ripam, in qua erant castra regia, transgressum acie conflixisse; fusum fugatumque regem castris exutum; duodecim milia hostium eo proelio caesa, capta duo milia et ducentos et signa militaria centum triginta duo, equos ducentos triginta; aedem etiam Iovi in eo proelio votam, si res prospere gesta esset. Ceteri Graeci Latinique auctores, quorum quidem ego legi annales, nihil memorabile a Villio actum integrumque bellum insequentem consulem T. Quinctium accepisse tradunt. *Livius* 32, 6, 5 *sqq.* 28. Si Valerio quis credat etc. *supra p.* 346, 4. 29. Valerius Antias quaternum etc. *supra p.* 346, 11. 30. In eo proelio etc. *supra p.* 346, 20. 31. M. Helvio . . . Celtiberi agmine ingenti ad oppidum Illiturgi occurrerunt. Viginti milia armatorum fuisse Valerius scribit; duodecim milia ex his caesa, oppidum Illiturgi receptum et puberes omnis interfectos. *Livius* 34, 10, 1 *sq.* 32. Valerius Antias etc. *supra p.* 283, 17. 33. P. Africanus ille superior . . . passus est tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari] . . . Factum id esse autem Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt aediles curules Atilius

Serranus, T. Scribonius Libo, et id eos fecisse iussu censorum Sex. Aelii Paeti, C. Cornelii Cethegi. Et videtur in hac oratione hunc quidem auctorem secutus Cicero [*a. u.* 689] dixisse passum esse Scipionem secerni a cetero consessu spectacula senatorum. *Asconius ad Cic. pro Cornelio p.* 69 *Orell. cfr. Livius* 34, 54. 34. Valerius Antias et in Siciliam navigasse delectus causa C. Flaminium scribit et ex Sicilia Hispaniam petentem tempestate in Africam delatum vagos milites de exercitu P. Africani sacramento rogasse; his duarum provinciarum delectibus tertium in Hispania adiecisse. *Livius* 35, 2, 8. 35. Quid si Antiati Valerio credamus sexaginta milia militum fuisse in regio [Antiochi] exercitu scribenti, quadraginta inde milia cecidisse, supra quinque milia capta cum signis militaribus ducentis triginta? *Livius* 36, 19, 12. 36. Dedicavit eam [aedem Matris Magnae Idaeae] M. Iunius Brutus, ludique ob dedicationem eius facti, quos primos scenicos fuisse Antias Valerius est auctor Megalesia appellatos. *Livius* 36, 36, 4. 37. P. Cornelius consul cum Boiorum exercitu signis collatis egregie pugnavit. Duodetriginta milia hostium occisa Antias Valerius scribit, capta tria milia et quadringentos, signa militaria centum viginti quattuor, equos mille ducentos triginta, carpenta ducenta quadraginta septem; ex victoribus mille quadringentos octoginta quattuor cecidisse. Ubi ut in numero scriptori parum fidei sit, quia in augendo eo non alius intemperantior est etc. *Livius* 36, 38, 6. 38. M. Fulvio Nobiliore et Cn. Manlio Volsone consulibus Valerius Antias auctor est rumorem celebrem Romae fuisse et paene pro certo habitum, recipiendi Scipionis adulescentis causa consulem L. Scipionem et cum eo P. Africanum in conloquium evocatos regis et ipsos comprehensos esse, et ducibus captis confestim ad castra Romana exercitum ductum eaque expugnata et deletas omnes copias Romanorum esse. Ob haec Aetolos sustu-

Digitized by

lisse animos et abnuisse imperata facere, principesque eorum in Macedoniam et in Dardanos et in Thraeciam ad conducenda mercede auxilia profectos. Haec qui nuntiarent Romam A. Terentium Varronem et M. Claudium Lepidum ab A. Cornelio propraetore ex Aetolia missos esse. Subtexit deinde fabulae huic, legatos Aetolos in senatu inter cetera hoc quoque interrogatos esse, unde audissent imperatores Romanos in Asia captos ab Antiocho rege et exercitum deletum esse. Aetolos respondisse, ab suis legatis se qui cum consule fuerint certiores factos. Rumoris huius quia neminem alium auctorem habeo, neque adfirmata res mea opinione sit nec pro vana praetermissa. *Livius* 37, 48. 39. Valerius Antias ad quattuor milia captivorum, quia belli minas timuerunt, ex tota insula [Creta] reddita scripsit, eamque causam Fabio, cum rem nullam aliam gessisset, navalis triumphi impetrandi ab senatu fuisse. *Livius* 37, 60, 6. 40. Claudius qui bis etc. *supra p.* 346, 25. 41. P. Scipioni Africano ut Valerius Antias auctor est, duo Q. Petillii diem dixerunt etc. *Livius* 38, 50, 5. [Africano mortuo] L. Scipio et A. Hostilius legatus et C. Furius damnati, quo commodior pax Antiocho daretur, Scipionem sex milia pondo auri, quadringenta octoginta argenti plus accepisse quam in aerarium retulerit; A. Hostilium octoginta pondo auri, argenti quadringenta tria; Furium quaestorem auri pondo centum triginta, argenti ducenta. Has ego summas auri et argenti relatas apud Antiatem inveni. In L. Scipione malim equidem librarii mendum quam mendacium scriptoris esse in summa auri atque argenti etc. *Livius* 38, 55, 6 *sqq.* L. Scipioni Asiatico P. Scipionis Africani superioris fratri C. Minucius Augurinus tribunus plebei multam irrogavit eumque ob eam causam praedes poscebat. Scipio Africanus fratris nomine ad collegium tribunorum provocabat petebatque ut virum consularem triumphalemque a collegae

vi defenderent. Octo tribuni cognita causa decreverunt. Eius decreti verba quae posui, ex annalium monumentis exscripta sunt etc. Post hoc decretum cum Augurinus tr. pl. L. Scipionem praedes non dantem prendi et in carcerem duci iussisset, tum Ti. Sempronius Gracchus tribunus pl. . . . [intercessit] atque ita decretum ex tabula recitavit etc. Valerius autem Antias contra hanc decretorum memoriam contraque auctoritates veterum annalium post Africani mortem intercessionem istam pro Scipione Asiatico factam esse a Ti. Graccho dixit; neque multam irrogatam Scipioni, sed damnatum eum peculatus ob Antiochinam pecuniam, quia praedes non daret, in carcerem duci coeptum, atque ita intercedente Graccho exemptum. *Gellius* 7, 19. *Omnia haec in unum annum* 567 *p. u. c. Antias congesserat habuitque Livium obsequentem, donec is ad a.* 571 *de Africani morte* neque Valerio adsentior *inquit et* Antiatem auctorem refellit. *Livius* 39, 52, 1—6. 42. L. Scipio ludos eo tempore, quos bello Antiochi vovisse sese dicebat, ex collata ad id pecunia ab regibus civitatibusque per dies decem fecit. Legatum eum post damnationem et bona vendita missum in Asiam ad dirimenda inter Antiochum et Eumenem reges certamina Valerius Antias est auctor. Tum collatas ei pecunias congregatosque per Asiam artifices, et quorum ludorum post bellum, in quo votos diceret, mentionem non fecisset, de iis post legationem demum in senatu actum. *Livius* 39, 22, 8 *sqq.* 43. Q. Naevius . . . si Antiati Valerio credere libet, ad duo hominum milia damnavit. *Livius* 39, 41, 6. 44. Valerius Antias, ut qui nec Catonis orationem legisset et fabulae tantum sine auctore editae credidisset, aliud argumentum, simile tamen et libidine et crudelitate, peragit. Placentiae famosam mulierem, cuius amore deperiret [L. Quinctius Flamininus,] in convivium arcessitam scribit. Ibi iactantem sese scorto inter cetera retulisse quam

Digitized by Google

acriter quaestiones exercuisset et quam multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos securi percussurus esset. Tum illam infra eum accubantem negasse umquam vidisse quemquam securi ferientem et pervelle id videre. Hic indulgentem amatorem unum ex illis miseris attrahi iussum securi percussisse. *Livius* 39, 43. *cfr. Plutarchus Flaminino* 18. 45. Hannibalem hoc anno [*a.* 571] Antias Valerius decessisse auctor est, legatis ad eam rem ad Prusiam missis praeter T. Quinctium Flamininum, cuius in ea re celebre est nomen, L. Scipione Asiatico et P. Scipione Nasica. *Livius* 39, 56, 7. 46. Adicit Antias etc. *supra p.* 354, 16. 47. Insignis nota fuit . . . et Cn. Fulvii, qui frater germanus et ut Valerius Antias tradit, consors etiam censoris erat. *Livius* 41, 27, 2. 48. Attalum regis Eumenis fratrem legatum venisse Romam Valerius Antias his consulibus scribit ad deferenda de Perseo crimina indicandosque apparatus belli. Plurium annales et quibus credidisse malis ipsum Eumenem venisse tradunt. *Livius* 42, 11, 1. 49. De Eumene rege longe diversa tradunt, si Valerio Antiati credas. Nec classe adiutum ab eo praetorem esse, cum saepe eum litteris arcessisset, tradit, nec cum gratia ab consule profectum in Asiam, indignatum quod ut iisdem castris tenderet permissum non fuerit; ne ut equites quidem Gallos quos secum adduxerat relinqueret, impetrari ab eo potuisse; Attalum fratrem eius et remansisse apud consulem et sinceram eius fidem aequali tenore egregiamque operam in eo bello fuisse. *Livius* 44, 13, 12 *sqq.* 50. Summam omnis captivi auri argentique translati [in triumpho Aemilii Pauli] sestertium milies ducenties fuisse Valerius Antias tradit; quae haud dubie maior aliquanto summa ex numero plaustrorum ponderibusque auri, argenti generatim ab ipso scriptis efficitur. *Livius* 45, 40, 1. 51. Sestertium ducenties ex ea praeda [in triumpho Anicii] redactum esse

auctor est Antias, praeter aurum argentumque quod in aerarium sit latum; quod quia unde redigi potuerit non apparebat, auctorem pro re posui. *Livius* 45, 43, 8. 52. De quartorum ludorum etc. *supra p.* 294, 25. 53. Cum Metellus praetor etc. *supra p.* 347, 19. 54. Probus Valerium Antiatem libro historiarum XXII [XII *alii*] speponderant scripsisse adnotavit verbaque eius haec posuit: Tib. Gracchus, qui quaestor C. Mancino in Hispania fuerat, et ceteri qui pacem speponderant. *Gellius* 7, 9, 12. *cfr. Freinsheim suppl. Liv.* 56, 3. 55. Idem [Valerius Antias libro] XXII: quod novissime nobiscum foedus fecissent. *Fl. Caper apud Charisium* 2, 14, 134. 56. In Valerii Antiatis quarto et vicesimo [annali libro] . . scriptum: si hae res divinae factae riteque perlitatae essent, haruspices dixerunt omnia ex sententia processurum esse. *Gellius* 1, 7, 10. 57. Peposci quoque, non poposci Valerius Antias libro annalium quadragesimo quinto scriptum reliquit: denique Licinius tribunus plebi perduellionem ei diem dicit et comitiis diem a M. Marcio praetore peposcit. *Gellius* 7, 9, 9. 58. In ea pugna [Cimbrorum cum Cn. Mallio et Q. Caepione a. u. 649] M. Aurelius consularis captus atque interfectus est, duo filii consulis caesi. Octoginta milia Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata, quadraginta milia calonum atque lixarum interfecta Antias scribit. Ita ex omni penitus exercitu decem tantummodo homines, qui miserum nuntium ad augendas miserias reportarent, superfuisse referuntur. *Orosius* 5, 16. *cfr. Livius epit.* 67. 59. Antias quidem [auctor est] heredes L. Crassi oratoris [*mortui a.* 663] multa etiam triclinia aerata vendidisse. *Plinius nat. hist.* 34, 3, 14. 60. Adultus pro adolitus . . . Antias in LXXIIII: eo omnes hostiae, vituli XXVII coniecti et ita omnia adulta sunt. *Priscianus* 9, 10, 53. 61. Valerius Antias in libro historiarum septuagesimo quinto verba haec scripsit: deinde

Digitized by Google

funere locato ad forum descendidit. *Gellius* 7, 9, 17. 62. *Praeterea* Antiate *vel* Valerio Antiate *auctore usus est Plinius nat. hist. lib.* 12. 21. 22. 28. 29. 33. *qui libri sunt de arboribus, de naturis florum, de auctoritate herbarum, de reliquis generibus herbarum, de medicina, de metallorum natura.*

XXVI. C. LICINIUS MACER.

1. Res Romanas [Latino sermone] laudati scriptores etc. *supra p.* 304, 19. Nam quid Acrum [Macrum?] numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis; in orationibus autem multas ineptus datio [multa, in epistulis relatis *Nipperdey*] summa impudentia. Sisenna eius amicus etc. *Cicero de legibus* 1, 2, 7. C. Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissimus. Huius si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret, maius nomen in patronis fuisset. Non erat abundans, non inops tamen, non valde nitens, non plane horrida oratio, vox, gestus et omnis actio sine lepore; at in inveniendis componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cognoverim etc. *Cicero in Bruto* 67, 238. *cfr. Cicero pro Rabirio perd. reo* 2, 6. *Prisciamus* 10, 7, 42. *Nonius p.* 259, 3. *Fuit tribunus plebis a.* 681, *cfr. supra p.* 139. Consimili impetu mortis C. Licinius Macer vir praetorius, Calvi [*nati a.* 672] pater, repetundarum reus, dum sententiae diribentur, in Menianum conscendit. Siquidem cum M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat etc. Ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore et faucibus coartatis incluso spiritu poenam morte praecucurrit etc. *Valerius*

Max. 9, 12, 7. *cfr. Plutarchus Cicerone* 9. *Cicero ad Atticum* 1, 4, 2. *a. u.* 688. C. Licinius L. f. Macer *in denariis.* 2. At vero M. Octavius et Licinius Macer tradunt Amulium patruum Rheae sacerdotis amore eius captum nubilo caelo obscuroque aere, cum primum illucescere coepisset, in usum sacrorum aquam petenti insidiatum in luco Martis compressisse eam; tum exactis mensibus geminos editos. Quod cum comperisset, celandi facti gratia per scelus concepti necari iussit sacerdotem, partum sibi exhiberi. Tumque Numitorem spe futurorum, quod hi si adolevissent iniuriarum suarum quandoque ultores futuri essent, alios pro eis subdidisse, illosque suos veros nepotes Faustulo pastorum magistro dedisse nutriendos. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 19, 5 *sqq.* 3. Licinius Macer annali lib. I: auspicia pulchra et luculenta commemorat. *Nonius p.* 63, 12. 4. At vero Licinius Macer lib. I docet contentionis illius perniciosum exitum fuisse, namque ibidem obsistentes Remum et Faustulum interfectos. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 23, 5. 5. Macer historiarum libro primo Faustuli coniugem Accam Larentiam Romuli et Remi nutricem fuisse confirmat. Hanc regnante Romulo Carucio [*Tarutio*?] cuidam Tusco diviti denuptam auctamque hereditate viri; quam post Romulo quem educasset reliquit, et ab eo parentalia diemque festum pietatis statutum. *Macrobius Saturn.* 1, 10. Acca. Macer historiarum II°. *Glossarium MS. Leid. apud Bake ad Cic. de legg.* 1, 2, 7. Brumalia quoque Romulus instituit, necessarium ratus hiemis tempore, cum armorum esset cessatio, universum senatum omnesque proceres et milites palatinos a rege convivio excipi . . . Et permansit hic Brumaliorum mos in Romana civitate usque ad hunc diem. Namque Romulus hac ratione se inimicorum convicia optime sperabat restincturum, qui geminos fratres, ut primum a Fausto rustico eiusque coniuge Lupa suscepti sunt, alieno victu ac sumptu

Digitized by Google

sustentatos dictitarent . . . Istam ignominiam ut elevaret, hoc genus convivii Romulus excogitavit Brumaliumque appellavit. Auctor est Licinius doctissimus Romanorum historicus. *Ioannes Malalas chronogr. VII p.* 179 *sq. Dind. Brumalia Byzantinis Saturnalia sunt; nominis originem produnt Martialis* 13, 1, 4. *Tertullianus de idolol.* 10. 6. Annum vertentem Licinius quidem Macer et postea Fenestella statim ab initio duodecim mensum fuisse scripserunt, sed magis Iunio Gracchano et Fulvio et Varroni et Suetonio aliisque credendum, qui decem mensum putaverunt fuisse. *Censorinus de die nat.* 20, 2. Quando autem primo intercalatum sit etc. *cfr. supra p.* 353, 14. 7. Tatius, si Licinio auctori credimus, neque cum Romulo neque sacrorum causa, sed solus Lavinium profectus et eo quidem consilio ut laesorum animos placaret irasque componeret, indignante multitudine quod noxii non fuissent sibi ex Romuli ac senatus sententia dediti, deinde interfectorum propinquis magno numero in eum irruentibus, cum iam non posset vindices manus effugere, lapidibus obrutus interiit. *Dionysius Halic.* 2, 52. 8. Licinius Macer in I annali: non minimo opere milites quietes volebant esse. *Priscianus* 6, 11, 58. 9. Venit igitur Tarquinius Priscus etc. *supra p.* 307, 10. 10. Triumphus utrique consuli ab senatu decernitur, Menenio maior et illustrior, . . Postumio minor et inferior, quam ovationem dicunt, . . hoc genere, ut Licinius tradit, tum primum a senatu excogitato. Differt autem ovatio a triumpho etc. *Dionysius Halic.* 5, 47. 11. Equidem a Graecis desumptam dictaturam existimo, sed Licinius ab Albanis acceptam mavult, qui primi post Amulii Numitorisque obitum deficiente stirpe regia magistratus annuos creaverint concessaque potestate regia dictatores nominaverint. *Dionysius Halic.* 5, 74. 12. [Ad lacum Regillum] Licinius et Gellius etc. *supra p.* 307, 15. 13. T. Geganio Macerino P. Minucio consulibus etc. *supra p.*

Digitized by Google

307, 19. 14. [L. Papirio Mugillano L. Sempronio Atratino] consulibus cum Ardeatibus foedus renovatum est, idque monumenti est consules eos illo anno fuisse, qui neque in annalibus priscis neque in libris magistratuum inveniuntur . . . nomina consulum horum Licinius Macer auctor est et in foedere Ardeatino et in linteis libris ad Monetae inventa. *Livius* 4, 7, 10 *sqq.* L. Minucius praefectus annonae seu refectus, seu quoad res posceret in incertum creatus; nihil enim constat, nisi in libros linteos utroque anno relatum inter magistratus praefecti nomen. *Livius* 4, 13, 7. 15. Veteres annales et magistratuum libri quos linteos in aede repositos Monetae [am *addunt meliores*, C. *deteriores libri*] Macer Licinius citat idemtidem auctores, septimo post demum anno cum T. Quinctio Penno A. Cornelium Cossum consulem habent. *Livius* 4, 20, 8. 16. Eosdem consules insequenti anno refectos, Iulium tertium Virginium iterum, apud Macrum Licinium invenio. Valerius Antias etc. *supra p.* 355, 16. 17. Dictatorem T. Quinctium Pennum eo anno fuisse satis constat . . . Macer Licinius comitiorum habendorum causa et ab Licinio consule dictum scribit, quia, collega comitia bello praeferre festinante ut continuaret consulatum, obviam eundum pravae cupiditati fuerit. Quaesita ea propriae familiae laus leviorem auctorem Licinium facit; cum mentionem eius rei in vetustioribus annalibus nullam inveniam etc. *Livius* 7, 9, 3 *sqq.* 18. Papirius Iunium Bubulcum magistrum equitum dixit, atque ei legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Faucia curia fuit principium, duabus insignis cladibus, captae urbis et Caudinae pacis, quod utroque anno eadem curia fuerat principium. Macer Licinius tertia etiam clade, quae ad Cremeram accepta est, abominandam eam curiam facit. *Livius* 9, 38, 15 *sq.* 19. Cn. Flavius Cn. filius scriba . . aedilis curulis fuit. Invenio in quibusdam annalibus . . [*cfr. supra p.* 301, 15] tabulam posuisse

Digitized by Google

et iurasse se scriptum non facturum. Quem aliquanto ante desisse scriptum facere arguit Macer Licinius tribunatu ante gesto triumviratibusque nocturno altero, altero coloniae deducendae. *Livius* 9, 46, 1 *sqq.* 20. In eum annum etc. *cfr. supra p.* 301, 23. 21. Licinius Macer annalibus lib. II: nequaquam sui lavandi reluant arma lue. *Nonius p.* 52, 8. 22. G. Licinius in II: perversum est [esse *Priscianus bis*] alii modi postulare Pyrrhum in te atque in ceteris fuisse. *Priscianus* 6, 7, 36. 6, 16, 82. 13, 3, 12; *postremo loco libri omnes praeter cod. Heidelb.* Quintus in II *exhibent.* 23. Negligo, neglexi . . . quamvis Aemilius Macer in sextodecimo annalium 'omnium nostrum neglegerit auctoritatem' pro neglexerit ait. *Priscianus* 10, 6, 33. Aemilius Macer: omnium vestrum neglegerit auctoritatem. *Diomedes I p.* 366 *P.* Aemilius *vetere vitio pro* Licinius. *Contra hoc pro illo extat apud Nonium p.* 220, 18. *Itemque qui* Licinius Macer *citatur apud Plinium nat. hist.* 32, 1, 9. 32, 2, 14. *et in indicibus librorum* 19. 21. 22. 28. 29. 30. 32. *is temere pro Aemilio Macro positus esse videtur.* 24. Licinius rerum Romanarum libro XXI etc. *supra p.* 322, 16. 25. Licinius Macer: quo die magistratum obiit, repente celeri gradu per forum se in Capitolium contendit. *Nonius p.* 260, 5. 26. Licinius in Marte: pars magna levius clipea portant. *Nonius p.* 196, 24. *ubi* Licinius Macer *et* laevis clipea *emendant; pertinet fortasse ad historiam Tarpeiae.* 27. *Solini polyh.* 8 *locum de Messapo meliores editiones* [Granio] Liciniano *tribuunt.*

XXVII. L. CORNELIUS SISENNA.

1. Historiarum auctor iam tum Sisenna etc. *supra p.* 328, 18. Lucullus iuvenis cum apud Hortensium oratorem et Sisennam

historicum etc. *supra p.* 333, 26. *cfr. M. Seneca controv. I praef. p.* 66 *Bip.* Homo illorum et vita et prudentia longe dissimilis, sed tamen nimis in gratificando iure liber, L. Sisenna] *hic est* L. Sisenna, qui res Romanas scripsit, *praetor a.* 676. *Cicero pro Cornelio et Asconius p.* 73 *sq. Orell. cfr. Zell delect. inscript. rom. p.* 292. *Fuit in Sicilia propraetore a.* 677, *Verremque defendit a.* 684. *Postremo Pompeii in bello maritimo legatus in Creta diem obiit a.* 687, *cfr. Appianus b. Mithr.* 95. *Dio Cassius* 36, 2. *Antiquior P. Cornelius Sisenna ad a.* 571 *commemoratur a Livio* 39, 45; *posterior, ut mea fert opinio,* Cn. Cornel. L. f. Sisena *in denariis.* L. Sisenna doctus vir et studiis optimis deditus, bene Latine loquens, gnarus rei publicae, non sine facetiis, sed neque laboris multi nec satis versatus in causis; interiectusque inter duas aetates Hortensii et Sulpicii [*quorum ille natus fuit a.* 640, *hic* 630] nec maiorem consequi poterat et minori necesse erat cedere. Huius omnis facultas ex historia ipsius perspici potest; quae cum facile omnes vincat superiores, tum indicat tamen quantum absit a summo, quamque genus hoc scriptionis nondum sit satis Latinis litteris illustratum. *Cicero Bruto* 64, 228. Sisenna eius [Macri] amicus omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero vestro umquam est habitus et in historia puerile quiddam consectatur, ut unum Clitarchum neque praeterea quemquam de Graecis legisse videatur; eum tamen velle dumtaxat imitari; quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. *Cicero de legibus* 1, 2, 7. M. Varro in Sisenna vel de historia etc *Gellius* 16, 9, 5. Sed quoniam nos tanti viri res admonuit, idoneum visum est de natura cultuque eius paucis dicere; neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi sumus, et L. Sisenna, optume et diligentissume

Digitized by Google

omnium, qui eas res dixere, persecutus, parum mihi libero ore locutus videtur. *Salustius Iugurtha* 95. Vobis utique versantur ante oculos qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legunt, quibus eloquentia Aufidii Bassi aut Servilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet. *Incertus in dialogo de oratoribus* 23. Historiam quoque scripsere . . . Seisenna longinque. *Fronto epist. ad Verum p.* 171 *Rom.* Vertit Aristiden Sisenna, nec obfuit illi Historiae turpes inseruisse iocos. *Ovidius Tristibus* 2, 443. 413. *Plutarchus Crasso* 32. Animadvertas particulatim elegantes . . . Attam in muliebribus, Sisennam in lascivis. *Fronto p.* 95 *Rom.* Sisenna Milesiarum libro XIII *a Charisio II non raro citatur. Idem Charisius et Rufinus Sisennae commentarios Plautinarum fabularum Amphitryonis, Aululariae, Captivorum, Poenuli, Rudentis norunt. Ad eosdem fortasse referenda sunt quae proferuntur a Varrone de L. L.* 8, 73. *Charisio* 1, 18, 34. 1, 21, 16. *Grammatico Endlicheri p.* 220. *Paulo Diacono s. v. mediterreus.* Sisenna autem quasi emendator sermonis usitati cum esse vellet, ne a C. Rusio quidem accusatore deterreri potuit quominus inusitatis verbis uteretur etc. Sed ille tamen familiaris meus [*loquitur Atticus natus a.* 645.] recte loqui putabat esse inusitate loqui. *Cicero Bruto* 74, 259 *sq.* 'Assentior' fere omnes dicunt, Sisenna unus 'assentio' in senatu dicebat. *Varro apud Gellium* 2, 25, 9. *Quintilianus* 1, 5, 13. 2. [Aeneas et Antenor] Troiam prodidisse dicuntur secundum Livium . . . Sisenna tamen dicit solum Antenorem prodidisse. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 246. Sequenda est potius Livii, Sisennae et Catonis auctoritas etc. *supra p.* 271, 13. Sisenna ab urbe condita: iuxtim Numicium flumen obtruncatur [*Aeneas.*] *Nonius p.* 127, 29. Aras] quod ibi Afri et Romani foedus inierunt et fines imperii sui illic esse voluerunt . . . Quae arae a Sisenna propitiae vocantur. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 112. *Ad totum hoc prooemium*

cfr. Salustius Catil. 6 *sqq.* 3. Caeciliae Q. filiae somnio modo Marsico bello templum est a senatu Iunoni Sospitae restitutum. Quod quidem somnium Sisenna cum disputavisset mirifice ad verbum cum re convenisse, tum insolenter, credo ab Epicureo aliquo inductus, disputat somniis credi non oportere. Idem contra ostenta nihil disputat exponitque initio belli Marsici et deorum simulacra sudavisse, et sanguinem fluxisse, et discessisse caelum, et ex occulto auditas esse voces quae pericula belli nuntiarent, et Lanuvii clipeos, quod haruspicibus tristissimum visum esset, a muribus esse derosos . . . Multa ante Marsicum bellum a Sisenna collecta attulisti. *Cicero de divin.* 1, 44, 99. 2, 25, 54. 4. Sisenna hist. lib. I: nocte consumpta postero die per incertas vias Aeserniam, inde Romam protinus profugerant. *Nonius p.* 376, 26. 5. Sisenna historiae lib. II: si quae celeriter solvi poterat, in altum remulco retrahit. *Nonius p.* 57, 28. 6. Sisenna in secundo dixit: et Marsi propius succedunt atque ita scutis proiectis tecti saxa certatim lenta [*lecta*?] manibus coniciunt in hostes. Et in eodem: vetus atque ingens erat arbor ilex, quae circum proiectis ramis maiorem partem loci summi tegebat. *Macrobius Saturn.* 6, 4. 7. *Sisennae verba e tertio libro relata Nonius servavit omnia, apud quem singulis locis praemittitur*: Sisenna historiarum [*vel* hist., *aliquoties* historiae] lib. III: Multi [*equi*?] plagis adversis icti et congenulati Romanis praecipitatis ipsi supra volvit [*volvi*? *voluti*?] in caput. *p.* 57, 32 . . . agilem dari facilemque victoriam, neque fossas aut bellum remoratum [*vallum remoraturum*?] *p.* 58, 3 . . . isdem temporibus Aesernini duplici fossa valloque circumdati frumento adeso, quod ex areis in oppidum portatum est. *p.* 70, 32 . . . ad binum milium numero sauciis utrimque factis. *p.* 80, 5 . . . quod fortassean ex voluntate sua summa cum claritudine celeriter confecisset. *p.* 82, 6. . . . dispalati

Digitized by Google

ab signis, digressi omnes ac dissipati. Idem: tanto plures passim dispalantur. *p.* 101, 6. . . . dissipatis imbricum fragminibus ac testis tegularum. *p.* 125, 17. . . . Bassus assiduitate [*assidua*?] indulgitate victus. *p.* 126, 9 . . . servulum eius praemio libertatis inductum magno cum tumultu conventum in populum produxit armatum. *p.* 130, 2 . . . cum conplures menses barba inmissa et intonso capillo lugubri vestitu populum vicatim flens una cum liberis circumiret. *p.* 130, 7. 188, 17 . . . inperitum concitat vulgum. *p.* 230, 19 . . . postprincipia paulatim recedunt atque inde cum paucis fugae se mandant. *p.* 135, 31 . . . post villarum macerias ac parietinas quinque cohortis in insidiis reliquit. *p.* 141, 23 . . . requiescendi spatium nacti condensiores manipulatim resistere hostibus instituissent. *p.* 141, 27 . . . quod loca palustria quae erant [*quaerant*?] et alte multifariam confossa. *p.* 141, 31 . . . occulte tacitique advenientium [*adventum*?] cohortium praestolari occipiunt. *p.* 161, 31 . . . et inde ecum concitatum princeps ad hostium permittit aciem. *p.* 162, 2 . . . mulierem missa fide ac pietate propter amoris nefarii lubidinem extitisse. *p.* 348, 15 . . . tum subito tacuit atque metu et suspicione propriam capere non potuerat [*poterat*?] quietem. *p.* 361, 19 . . . Romanos impetu suo protelant, prolectus [*proiectos*? *protelatos*?] persecuntur. *p.* 363, 3 . . . partem cohortium propter mare conlocat in litore. *p.* 367, 32 . . . manualis lapides dispertit propterea quod is ager omnis eiusmodi telis indigebat. *p.* 448, 33 . . . nolitote mirari quam desperata voluntate ad unam belli faciendi viam. *p.* 480, 33 . . . Lucius Calpurnius Piso ex senati consulto duas novas tribus. Idem: simul et senatuis consultis clarissimis amplificati. *p.* 484, 17 . . . postquam sonu signorum proelium magno cum clamore virorum commissum est. *p.* 491, 26 . . . plerique inermis in castra perfugiunt. *p.* 492, 28 . . . ali [*aliis*?] saltu ac velocitate cer-

tare. *p.* 502, 19 . . . omnia quae diximus loca statim potitus. Idem: hostis loca superiora potiti. *p.* 502, 25 . . . atque armis de vita certatim dimicare nitebatur. *p.* 516, 29 . . . sublatus laetitia nimia atque inpotentia conmotus animi. *p.* 527, 13 . . . Otacilium legatum cum scafis ac lembis. *p.* 534, 11 . . . quibus occisis actuarias ad viginti navis, item conplures onerarias incendunt. *p.* 535, 3. 536, 3 . . . senatus auctoritate sagaria nunc. *p.* 538, 29 . . . praeterea catapultas sedecim, quattuor ballistas, viginti plautras coriis [*plaustra scorpiis*?] ac minoribus sagittis onusta. *p.* 552, 19. . . . ac post armatos funditores et sagittarios ponit. *p.* 553, 16 . . . longius scorpios catapulta concitos. *p.* 553, 25 . . . sparis ac lanceis eminus peterent hostis. *p.* 555, 22 . . . conmutus tamen et tempora singula constituit et sicut steterat manipulos obverti iussit. Idem lib. IIII. *p.* 556, 4 . . . Galli materibus sani [*aut*?] lanceis configunt. *p.* 556, 8. 8. *Verba sub hoc numero collecta in bonis Nonii libris partim ad tertium partim ad quartum Sisennae historiarum librum referuntur:* tamen Tudertibus senati consulto et populi iusso dat civitatem. *p.* 130, 11 . . . adoriuntur aversos ut apertis lateribus. *p.* 236, 26 . . . Lucium Memmium socerum Gai Scriboni tribunum [*tribuni*?] plebis, quem Marci Livii consiliarium fuisse callebant et tunc Curionis oratorem. *p.* 258, 6. *cfr. Cicero Bruto* 89, 304 *sq.* . . subito mare subhorrescere caecosque fluctus in se provolvere leniter occepit. *p.* 423, 8. 449, 10. 9. *Idem Nonius ex* Sisennae historiarum [*vel* hist., *aliquoties* historiae, *bis* historiographi] libro IIII *haec verba servavit:* armis, equis, commeatibus nos magis iuverunt exleges, et minus honore dignos putabitis? *p.* 10, 25 . . . de virtute eorum accusanda proloqui supersederunt. *p.* 40, 10 . . . inermos armati, inpeditos expediti sine ullo suorum vulnere cunctos interficiunt. *p.* 58, 7 . . . Gaius Titinius quidam, cui minus proprietas menis [*mentis*?]

Digitized by Google

ab natura tradita videretur, primo ante testudinem constitit, deinde apud consulem causam atque excusationem praeferre [*proferre*?] coepit. *p.* 58, 14 . . . agmen perturbatum peditis insinuant ac loco conmovent. *p.* 58, 19 . . . dum pristinum vinum apud ignem per sudorem corpore exhauserunt. *p.* 68, 15 . . . itaque postero deligatos [*die legatos*?] Iguvium redeuntis apiscitur. *p.* 68, 23 . . . inpedimentum omne de cunctis itineribus amoliuntur. *p.* 73, 15 . . . ipsi legati concubia nocte oppido digressi iam supra hostium munitionem succedunt. *p.* 91, 22 . . . cistasque quae erant legum ferendarum gratia parta defecerant [*paratae, deiecerant*?] *p.* 91, 24 . . . puppis aceto madefactis centonibus integuntur, quos supra perpetua classi suspensa cilicia obtenduntur. *p.* 91, 26 . . . nam clandestina celeriter [*celeritudine*?] transigi apud notos cogitata dici decet non explanari. *p.* 91, 31 . . . formidine oppressus, quod humilem caementis instructum oppidi murum sciebat. *p.* 92, 2 . . . quod hostem non dubitatim cum pluteis ac scalis iter facere cernebat. *p.* 98, 32 . . . armati dextera ducti magisque in latitudinem discedunt. *p.* 99, 6 . . . milites, ut lex Calpurnia concesserat, virtutis ergo civitate donari [*donati*?] *p.* 107, 15 . . . ego illos malos et audaces semper enixim contra fortunas atque honores huius ordinis omnia fecisse ac dixisse sentio. *p.* 107, 18 . . . denique exinanitas castris Romani qui clauso se loco potuerant expedire. *p.* 107, 22 . . . et partim fera vite, partim lauro et arbusto ac multa pinu ac mirtetis abundant. *p.* 113, 24. . . . neque porta neque ullum foramen erat, qua posset eruptio fieri. *p.* 113, 26 . . . neque aetatis granditatem neque ea merita neque ordinis honestatem aut dignitatem sibi esse excusationi. *p.* 115, 12 . . . ultro citroque integrant in oppido caedem. *p.* 127, 5 . . . utrumne viri [*divi*?] cultu erga se mortalium laetiscant, an supernae egentes [*superne* vel *superna agentes*?] humana ne-

glegant? *p.* 133, 2 . . . contra magno cum molimento ac perpetuo sona [*sono* vel *sonu*?] procedunt. *p.* 142, 5 . . . quoniam neque mea nex neque intercessio posse videtur illorum dementem reprimere audaciam. *p.* 145, 21 . . . iumenta, pecuda locis trepidare compluribus. *p.* 159, 16 . . . idemque perseveraverunt uti lex perveniret ad quaestorem, ac iudices quos vellent instituerent praefestinatim et cupide. *p.* 161, 26 . . . multi praemissis armis ex summo se permitterent. *p.* 162, 4 . . . tum postquam apud eginus [*Iguvinos*?] ac Perusinos eius facti mentionem proiecit. *p.* 162, 7 . . . inpedimentum conlocant omni [*omne*?] construunt carros, et sarraca crebra disponunt. *p.* 195, 27 . . . accolis [*iaculis*?] celeriter consumptis ad gladios certationem revocaverunt. *p.* 195, 33. . . . et prope mediam ad finem ripae pervenerant. *p.* 205, 17. . . . quod oppidum tumulo in excelso loco propter mare parvis moenibus inter duas fluvias intra [*infra*?] Vessuvium conlocatum. Idem eodem: transgressus fluviam, quae secundum Herculaneum ad mare pertinebat. *p.* 207, 5 . . . tum in muro virile ac muliebre secus populi multitudine omni conlocata. *p.* 222, 26 . . . conglobati et conlecti concrepant armis. *p.* 255, 16 . . . eos qui hoc malum publicum clandestinis consiliis conparaverunt. *p.* 256, 7 . . . exercitum dispertiunt, ad confligendum sit conparant [*se componunt*?] *p.* 257, 12 . . . simul et tormenta contenduntur. *p.* 258, 26 . . . signum nanctus a Papo quid [*Papio quod*?] inter eos tolli convenerat. *p.* 263, 11 . . . submoti et intra moenia rursum coacti. *p.* 264, 29 . . . multitudinem procul hostium constare viderunt. *p.* 273, 3 . . . quid rem publicam suam maxume conducere videretur. *p.* 274, 28 . . . quondam Sabini feruntur vovisse, si res conmunis melioribus locis constitisset, se ver sacrum facturos. *p.* 522, 17. . . . quod [*quo*?] voto damnati fetum omnem dicuntur eius anni statim consecrasse. *p.* 277, 11 . . . ab armis recedere, prae-

Digitized by Google

sidia de locis deducere. *p.* 289, 14 . . . cohorima possim concitat aquam unus [*cohors una passim concitata qua murus*?] erat interruptus evadit. *p.* 294, 8 . . . funis expediunt, claustra foribus inposita periclitantur. *p.* 296, 33 . . . egregias et longe praestantis ac timendas adversariorum opes esse. *p.* 339, 16 . . . id me neque metu neque calamitatis necessitudine inductum facere. *p.* 354, 4 . . . Popedius [Pompedius *cod. Leid.*] opinione frustrata. *p.* 356, 28 . . . victoribus proprie spem, victis adversae fortunae maiorem formidinem obiecit. *p.* 361, 27 . . . duae cohortes de subsidio procedunt atque equites protelant. *p.* 363, 17 . . . periclitantur tormenta ac tela multaque genera machinamentorum. *p.* 364, 6 . . . castra de paniae [*planitie*?] convertit in montes, ut crebro ferculis [*retro per collis*?] procedundo posset intra fines Aesculapiorum [*Asculanorum*? *Aeculanorum*?] pervenire. *p.* 376, 28 . . . terrore perturbatam multitudinem subigunt. *p.* 400, 31 . . . denique cum variis voluntatibus incerta civitas trepidare [Pomponius cum vertice superiorem locum inscende.] *p.* 429, 14 . . . de contrario silentium oritur. *p.* 449, 5 . . . innoxos trementibus artubus repente extrahis atque in labro summo fluminis caelo albente. *p.* 449, 18. Caecilius a Sisenna 'albenti caelo' [putat primum dictum esse.] *Quintilianus* 8, 3, 35 . . . protinus agros populabundus ad Nuceriam convertit. *p.* 471, 22. Sisenna in quarto historiarum eiusdem figurae verbo ita usus est: populabundus, inquit, agros ad oppidum pervenit. *Gellius* 11, 15, 7 . . . qui tamen quibus laetibus [*litibus*?] foedera maiorum suum dissoluta. *p.* 495, 11 . . . praeter festinatim [*praetor f.*? *praefestinatim*?] de castellis ad castra maxima peditis conducit. *p.* 514, 6 . . . perfuse [*profuse*?] atque abunde semper usi magnum pondus auri argentique. *p.* 516, 31 . . . navisque triginta biremis, totidem myoparonas. *p.* 534, 21 . . . prores [*priores*?] actuariae, tragi grandes ac faseli primo.

p. 534, 28 . . . ballistas quattuor talentarias. *p.* 555, 26 . . . ali materibus aut lanceis; tamen medium perturbant agmen. *p.* 556, 9 . . . de quibus partim malleolos, partim fasces sarmentorum incensos supra vallium [*vallum*?] frequentes. *p.* 556, 13 . . . custodiae in muro statuuntur catafractarum. *p.* 556, 16 . . . falces iniectas conminuunt, pluteos propius conlocatis arpagiis deiciunt. *p.* 556, 21. 10. Sisenna libro q.[*uarto*?]: iudicium false factum. *Charisius* 2, 14, 61. *fortasse e Milesiarum libro XIII, quem solum novit Charisius.* 11. Cornelius *Sisenna histor. l.* IIII: his tum iectus *est hominibus scrupulus* et quaedam dubitatio. *Festus lib.* 19 *s. v. scrupi. Eadem verba apud Ciceronem pro Cluentio* 28, 76 *reperiuntur. In loco Festi lib.* 13 *s. v. ocius, quem locum supra p.* 321, 9 *ad Coelium retulimus, poterat non magis tuto* 'Cornelius historiarum *libro*' . . . *scribi.* 12. Sisenna: sic in eam paludem multi piscium salliendorum causa a navibus semionustis [*semionusti*?] commeant. A sallio salliendorum dixit, non sallendorum. *Priscianus* 10, 9, 57. 13. Sisenna historiarum libro VI [V *cod. Guelf.*]: Marius ostio Liris evehitur atque [*adque*?] Aenariam suos continuatur. *Nonius p.* 93, 31. 14. Cum lectitaremus historiam Sisennae assidue, huiuscemodi figurae adverbia in oratione eius animadvertimus, cuimodi sunt haec: cursim, properatim, celatim, vellicatim, saltuatim. Ex quibus duo prima, quia sunt notiora, exemplis non indigebant, reliqua in historiarum sexto sic scripta sunt: quam maxime celatim poterat, in insidiis suos disponit. Item alio in loco: nos una aestate in Asia et Graecia gesta litteris idcirco continentia mandavimus, ne vellicatim ac saltuatim scribendo lectorum animos inpediremus. *Gellius* 12, 15. *Utrumque exemplum Nonius p.* 87, 2 *et p.* 168, 9. 187, 32 *descripsit, sed illud quinto, hoc primo libro tribuit; praeterea priore loco* quo magis celeratim poterant, insidiis *in Nonianis libris legitur.* 15. Pessinus

Digitized by Google

Galatiae urbs ἐκ τοῦ πεσεῖν appellata est, quod ingens ibi Gallorum ad Rhodanum incolentium multitudo cecidit, cum Brenno duce terram eam invasissent et cognominem ipsis terram ulcisci conarentur. Auctores sunt Fenestella et Sisenna Romani, quorum testimonia Varro in Humanarum rerum libris protulit, ego autem libros nondum vidi. *Laurentius Lydus de magistrat.* 3, 74. *cfr. Herodianus hist.* 1, 11. 16. Sisenna in historiarum libro sexto: Romanos inferendae pernicii causa venisse. *Gellius* 9, 14, 12. *Apud Nonium p.* 486, 30 inrecerne pernici *scribitur.* 17. Sisenna lib. VIII [VIIII *codd. Genev. et Leid.*]: caelum caligine stat. *Nonius p.* 392, 8. 18. Prioribus civium bellis par scelus inciderat. Nam proelio, quo apud Ianiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein cognito facinore se ipsum interfecit, ut Sisenna memorat. *Tacitus historiarum* 3, 51. *Freinsheim suppl. Liv.* 79, 26. 19. Hic sibilus, huius sibilus . . . Sisenna in XII historiarum: procul sibilu significare consuli coepit. *Priscianus* 6, 15, 79. 20. Sisenna: vitam cum dolore et insigni cruciatu carnificatus amisit. *Priscianus* 8, 4, 19. 21. Sisenna hist. lib. XXIII: multi populi, plurimae contionis dictaturam omnibus animis et studiis suffragaverunt. *Nonius p.* 468, 10. *Freinsheim suppl. Liv.* 89, 8.

XXVIII. Q. HORTENSIUS HORTALUS.

1. Lucullus iuvenis, cum apud Hortensium oratorem etc. *supra p.* 333, 26. *cfr. M. Seneca controv. I praef. p.* 66 *Bip. Natus est a.* 640, *consulatu functus a.* 685, *mortuus a.* 704. Dicebat melius quam scripsit Hortensius. *Cicero in oratore* 38, 132. Eius scripta tantum intra famam sunt, qua diu

princeps oratorum, aliquando aemulus Ciceronis existimatus est etc. *Quintilianus* 11, 3, 8. Hortensius in poematis. *Varro de L. L.* 8, 14. *cfr. Gellius* 19, 9, 7. *Catullus* 65. 95, 3. *Ovidius Tristibus* 2, 441. *Plinius epist.* 5, 3, 5. Communes loci . . . quibus quaestiones generaliter tractantur, quales sunt editi a Quinto quoque Hortensio etc. *Quintilianus* 2, 1, 11. *cfr. Priscianus* 8, 4, 16. 2. Vide quaeso, L. Libo, ille qui de Ser. Galba, Censorinone et Manilio etc. *supra p.* 312, 12. *quo de loco dubitari potest spectetne ad annales an ad sermonem Hortensii, cfr. Cicero ad Att.* 13, 32, 3. 13, 33, 3. 3. Multum Minatii Magii, atavi mei, Aeculanensis tribuendum est memoriae, qui nepos Decii Magii Campanorum principis celeberrimi et fidelissimi viri tantam hoc [Sociali] bello Romanis fidem praestitit, ut cum legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret Cosamque [*Compsamque*?] occuparet. Cuius de virtutibus cum alii, tum maxime dilucide Q. Hortensius in annalibus suis rettulit. Cuius illi pietati plenam populus Romanus gratiam rettulit ipsum viritim civitate donando, duos filios eius creando praetores, cum seni adhuc crearentur. *Velleius* 2, 16, 2. 3.

XXIX. PROCILIUS.

1. In foro lacum Curtium a Curtio dictum constat, et de eo triceps historia; nam et Procilius non idem prodidit quod Piso, nec quod is, Cornelius Stilo secutus. A Procilio relatum, in eo loco dehisse terram, et id ex S. Con. ad aruspices relatum esse; responsum deum Manium [*Mantum*?] postilionem postulare id, civem fortissimum eo demitti. Tum

Digitized by Google

quendam Curtium civem fortem armatum ascendisse in equum et a Concordia versum cum equo eo praecipitatum; eo facto locum coisse atque eius corpus divinitus humasse ac reliquisse genti suae monumentum. *Varro de L. L.* 5, 148. *cfr. supra p.* 298, 4. 333, 11. 2. Intimus circus ad Murcim vocatur, ut Procilius aiebat ab urceis, quod is locus esset inter figulos. Alii etc. *Varro de L. L.* 5, 154. 3. Romae iuncti [elephanti] primum subiere currum Pompeii Magni Africano triumpho [a. 673] . . . Procilius negat potuisse Pompeii triumpho iunctos egredi porta. *Plinius nat. hist.* 8, 2, 4. [*cfr. Plutarchus Pompeio* 14] *Item in indice libri XII, qui liber est de arboribus*, Procilio *reponunt pro* Proculo. 4. Eiusmodi querimonias, quae ad legatum populi Romani pertinerent, non ad praetorem, sed Romam deferri oportere] Atqui legimus de Oppio et de Procilio, non apud populum depositas querelas, sed apud eos, sub quibus agebant aut quaesturam aut legationem. *Cicero in Verrem act. sec.* 1, 19, 50. *ibique Asconius p.* 171 *Orell.* 5. O magnum hominem [Dicaearchum,] et a quo multo plura didiceris quam de Procilio. *Cicero ad Atticum* 2, 2. *a.* 694.

XXX. M. TULLIUS CICERO ET L. LUCCEIUS.

1. Commentarium consulatus mei Graece etc. *supra p.* 334, 5. De meis scriptis misi ad te Graece perfectum consulatum meum; eum librum L. Cossinio dedi. *Cicero ad Att.* 1, 20, 6. *a.* 694. Kal. Iun. . . tuus puer mihi litteras abs te et commentarium consulatus mei Graece scriptum reddidit. In quo laetatus sum me aliquanto ante de iisdem rebus Graece item scriptum

librum L. Cossinio ad te perferendum dedisse. Nam si ego tuum ante legissem, furatum me abs te esse diceres. Quamquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta visa sunt; sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant . . . Meus autem liber totum Isocrati *μυροθήκιον* atque omnes eius discipulorum arculas ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit . . . quem tibi ego non essem ausus mittere, nisi eum lente ac fastidiose probavissem. Quamquam ad me rescripsit iam Rhodo Posidonius, se, nostrum illud *ὑπόμνημα* cum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iisdem rebus scriberet, miseram, non modo non excitatum esse ad scribendum, sed etiam plane perterritum. Quid quaeris? conturbavi Graecam nationem . . . Tu, si tibi placuerit liber, curabis ut et Athenis sit et in ceteris oppidis Graeciae; videtur enim posse aliquid nostris rebus lucis afferre. *Cicero ad Atticum* 2, 1. 2. Egredienti ex senatu Caesari adolescentes nonnulli eorum qui praesidii causa Ciceroni cum telis aderant nudis gladiis minitabantur. Sed Curio obiectu togae contegens eum fertur subduxisse, atque ipse Cicero suspicientes ad se adolescentes vultu dehortatus esse sive ob plebis metum sive quod iniquam ac plane impiam eam caedem existimabat. Sed hoc in suo Cicero de consulatu commentario, si quidem verum est, nescio quomodo praetermisit. *Plutarchus in Caesare* 8. 3. Attendite hominis sapientiam. Qui cum proposuisset sibi omnium huius urbis rerum historiam scribere (nam et sophista et poeta et philosophus et orator et historicus videri vult) tum non ab urbe condita ut ceteri, sed a suo consulatu initium fecit, scilicet ut retrorsum procedendo ab illo principio ad Romuli regnum tamquam ad finem perveniret. *Dio Cassius* 46, 21 *in Caleni invectiva.* 4. *De carmine heroico trium librorum, quo de suo consulatu vel de suis temporibus exposuit, videndus Cicero Orel-*

Digitized by Google

lianus t. 4 b p. 567 sqq. 5. *Ex epistola Ciceronis (ad Fam. 5, 12) ad L. Lucceium anno 698 scripta, etsi nihil Lucceius historici argumenti edidisse videtur, pauca excerpo:* Genus enim scriptorum tuorum . . . vicit opinionem meam meque ita vel cepit vel incendit, ut cuperem quam celerrime res nostras monumentis commendari tuis. . . Quia videbam Italici belli et civilis historiam iam a te paene esse perfectam, (dixeras autem mihi te reliquas res ordiri) deesse mihi nolui quin te admonerem, ut cogitares coniunctene malles cum reliquis rebus nostra contexere, an ut multi Graeci fecerunt . . . tu quoque item civilem coniurationem ab hostilibus externisque bellis seiungeres . . . A principio enim coniurationis usque ad reditum nostrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse . . . Quodsi a te non impetro, . . cogar fortasse facere quod nonnulli saepe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo et clarorum virorum . . His de rebus quid acturus sis . . rescribas mihi velim. Si enim suscipis causam, conficiam commentarios rerum omnium etc. 6. *Atticus Ciceronem alloquens* Postulatur a te iam diu, *inquit*, vel flagitatur historia. Sic enim putant, te illam tractante effici posse ut in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus. . . Abest enim historia litteris nostris, ut et ipse intelligo et ex te persaepe audio. Potes autem tu profecto satisfacere in ea, quippe cum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium maxime . . . Quare tuum est munus hoc, a te expectatur . . *Quintus frater* Sed est, *inquit*, quaedam inter nos parva dissensio, . . a quibus temporibus scribendi capiat exordium. Ego enim ab ultimis censeo, quoniam illa sic scripta sunt, ut ne legantur quidem; ipse autem aequalem suae aetatis memoriam deposcit, ut ea complectatur quibus ipse interfuit. *Atticus* Ego vero, *inquit*, huic potius assentior. Sunt enim maximae res in hac memoria atque aetate nostra, tum

autem hominis amicissimi Cn. Pompeii laudes illustrabit, incurret etiam in illum et memorabilem annum suum; quae ab isto malo praedicari quam, ut aiunt, de Remo et Romulo. *Cicero de legibus* 1, 2. 3. Non ignorare debes, unum hoc genus Latinarum litterarum adhuc non modo non respondere Graeciae, sed omnino rude atque inchoatum morte Ciceronis relictum. Ille enim fuit unus, qui potuerit et etiam debuerit historiam digna voce pronuntiare, quippe qui oratoriam eloquentiam rudem a maioribus acceptam perpoliverit, philosophiam ante eum incomptam Latinam sua conformaverit oratione. Ex quo dubito, interitu eius utrum res publica an historia magis doleat. *Cornelius Nepos de hist. lat. p.* 181 *Roth.*

XXXI. T. POMPONIUS ATTICUS.

1. [Atticus *natus a.* 645, *mortuus a.* 722] moris etiam maiorum summus imitator fuit antiquitatisque amator; quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornavit [*ordinavit*?] Nulla enim lex neque pax neque bellum neque res illustris est populi Romani, quae non in eo suo tempore sit notata; et quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. *Cornelius Nepos de lat. hist. in vita Attici* 18, 1. 2. Ego cautius posthac historiam attingam te [*Attico*] audiente, quem rerum Romanarum auctorem laudare possum religiosissimum. *Cicero Bruto* 11, 44. *Atticus* Nam ut illos, *inquit*, de Re publica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus, eisque nosmet ipsi ad rerum nostrarum memoriam comprehendendam

Digitized by Google

impulsi atque incensi sumus. *Cicero Bruto* 5, 19. Cognoscat etiam [orator] rerum gestarum et memoriae veteris ordinem, maxime scilicet nostrae civitatis, sed etiam imperiosorum populorum et regum illustrium. Quem laborem nobis Attici nostri levavit labor, qui conservatis notatisque temporibus, nihil cum illustre praetermitteret, annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit. *Cicero in oratore* 34, 120. An mihi potuit, inquam, [*Cicero loquitur*] esse aut gratior ulla salutatio aut ad hoc tempus aptior quam illius libri, quo me hic affatus quasi iacentem excitavit? [*a.* 707.] Tum ille Nempe eum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam breviter et, ut mihi quidem visum est, perdiligenter complexus est . . Liber iste . . Ille vero et nova, inquam, mihi quidem multa et eam utilitatem quam requirebam, ut explicatis ordinibus temporum uno in conspectu omnia viderem; quae cum studiose tractare coepissem etc. *Cicero Bruto* 3, 13 *sqq.* [Atticus] me inflammavit studio illustrium hominum aetates et tempora persequendi. *Cicero Bruto* 19, 74. Suppeditabit nobis Atticus noster de thesauris suis quos et quantos viros. *Cicero de finibus* 2, 21, 67. 2. Varro . . refert Aenean . . patrem suum . . ac deos Penates . . *e Troia abstulisse et in navibus posuisse. Atticus* de patre consentit, de dis Penatibus negat, sed ex Samothracia in Italiam devectos, contra quam opinionem refertur *fuisse simulacra* Vestae incensis deae eius aris ex ruinis Troicis liberata. *Scholia Veronensia ad Verg. Aen.* 2, 717. 3. Pomponio Attico et M. Tullio olympiadis sextae anno tertio [Romam placet conditam.] *Solinus polyh.* 2. 4. P. Valerio Volesi filio Publicolae aedium repul . . . cum sub Velis, ubi nunc aedis Victoriae est, populum ex lege quam ipse tulerat concessisse tradunt, et Antiochi regis filio obsidi domum publice aedificatam, inter quos Atticus in annali, quae postea dicitur Lucii [*Lucilii*?] poetae fuisse. *Asconius ad Cic.*

in Pisonem p. 13 *Orell.* 5. Quidam non duo tribunos plebis etc. *supra p.* 310, 8. 6. [Coriolanus] cum civis egregius fuisset, populi ingrati pulsus iniuria se ad hostes contulit conatumque iracundiae suae morte sedavit. Nam etsi aliter est apud te, Attice, de Coriolano, concede tamen ut huic generi mortis potius assentiar. *Cicero Bruto* 10, 42. 7. Atqui hic Livius primus fabulam C. Claudio Caeci filio et M. Tuditano consulibus docuit anno ipso antequam natus est Ennius, post Romam conditam autem quartodecimo et quingentesimo, ut hic ait quem nos sequimur; est enim inter scriptores de numero annorum controversia. Accius autem a Q. Maximo quintum consule captum Tarenti scripsit Livium (annis XXX postquam eum fabulam docuisse et Atticus scribit et nos in antiquis commentariis invenimus,) docuisse autem fabulam annis post XI C. Cornelio Q. Minucio consulibus ludis Iuventatis, quos Salinator Senensi proelio voverat. In quo tantus error Accii fuit, ut his consulibus XL annos natus Ennius fuerit; cui si aequalis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is qui primus fabulam dedit quam ii qui multas docuerant ante hos consules, et Plautus et Naevius. *Cicero Bruto* 18, 72 *sq.* 8. Antiochi regis filio etc. *supra p.* 383, 30. 9. Quibus consulibus interierit [Hannibal,] non convenit. Namque Atticus M. Claudio Marcello Q. Fabio Labeone consulibus mortuum in annali suo scriptum reliquit, at Polybius L. Aemilio Paulo Cn. Baebio Tamphilo, Sulpicius autem Blitho P. Cornelio Cethego M. Baebio Tamphilo. *Aemilius Probus de exc. ducibus ext. g.* 22, 13. *cfr. supra p.* 361, 7. 10. Quibus consulibus Carneades et ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali. Haec nunc quaero quae causa fuerit? De Oropo opinor, sed certum nescio, et si ita est, quae controversiae? etc. *Cicero ad Att.* 12, 23, 2. 11. Fecit hoc idem separatim in aliis libris; ut M. Bruti rogatu Iuniam

Digitized by Google

familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeravit, notans qui a quoque ortus quos honores quibusque temporibus cepisset; pari modo Marcelli Claudii de Marcellorum, Scipionis Cornelii et Fabii Maximi Fabiorum et Aemiliorum. Quibus libris nihil potest esse dulcius his, qui aliquam cupiditatem habent notitiae clarorum virorum. *Cornelius Nepos de lat. hist. in Attico* 18. 12. Imaginum amorem flagrasse quondam testes sunt Atticus ille Ciceronis edito de iis volumine, M. Varro etc. *Plinius nat. hist.* 35, 2, 11. Attigit quoque poeticam, credimus ne eius expers esset suavitatis. Namque versibus qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi praestiterunt exposuit ita, ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisque versibus descripserit; quod vix credendum sit tantas res tam breviter potuisse declarari. *Cornelius Nepos de lat. hist. in Attico* 18, 5 *sq.* 13. Est etiam unus liber Graece confectus de consulatu Ciceronis. *Cornelius Nepos in Attico* 18, 6. Kal. Iun. [a. 694] etc. *supra p.* 379, 25. 14. *Praeterea* Pomponio Attico *vel* Attico Pomponio *Plinius nat. hist. lib.* 7 *et* 33 *usus est secundum indicem, qui libri sunt de hominibus et de metallorum natura.*

XXXII. LIBO.

1. Mi, sicunde potes, erues, qui decem legati Mummio fuerint . . . Videor audisse ex Hortensio C. Tuditanum. Sed in Libonis annali XIIII annis post praetor est factus Tuditanus quam consul Mummius . . . Eum video in Libonis praetorem P. Popillio P. Rupilio; annis XIIII antequam praetor factus est, legatus esse potuisset? *Cicero ad Att.* 13, 30 *et* 32.

a. 709. 2. Libo autem tradit, Caecilium Bassum Pompeio devicto Tyri privatum vixisse et complures eius legionis milites corrupisse eo consilio, ut S. Iulium interficerent et ad se transirent. *a.* 708. *Appianus b. Civ.* 3, 77. 3. Varro ad Libonem primo etc. *Macrobius Saturn.* 2, 14. *De L. Scribonio Libone cfr. Orellii Onomasticon Tullianum p.* 528 *b.*

XXXIII. DOMITIUS.

1. At vero Domitius non orbes farreos, . . sed mensarum vice sumendi cibi gratia apium, cuius maxima erat ibidem copia, fuisse substratum; quod ipsum consumptis aliis eduliis eos comedisse ac post subinde intellexisse, illas esse mensas, quas illos comesturos praedictum esset. Cum interim immolata sue in litore sacrificium perageret, traditur [Aeneas] forte advertisse Argivam classem, in qua Ulyxes erat; cumque vereretur ne ab hoste cognitus periculum subiret, itemque rem divinam interrumpere summum nefas duceret, caput velamento obduxisse atque ita pleno ritu sacra perfecisse. Inde posteris traditum morem ita sacrificandi, ut scribit M. Octavius lib. I. At vero Domitius lib. I docet, sorte Apollinis Delphici monitum Aeneam ut Italiam peteret: ubi duo maria invenisset prandiumque cum mensis comesset, ibi urbem uti conderet. Itaque egressum in agrum Laurentem cum paululum e litore processisset, pervenisse ad duo stagna aquae salsae vicina inter se, ibique cum se lavisset, ac refectum cibo cum apium quoque, quod tunc vice mensae substratum fuerat, consumpsisset, existimantem procul dubio illa esse duo maria, quod in illis stagnis aquae marinae species esset, mensasque, quae erant ex stramine apii, comestas: urbem in eo loco condidisse

Digitized by Google

eamque, quod in stagno laverit, Lavinium cognominasse. Tum deinde a Latino rege Aboriginum data ei quae incoleret iugera quingenta. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 12. 2. Aremulum Silvium etc. *supra p.* 326, 27.

XXXIV. VULCATIUS.

Addunt praeterea quidam Aeneam in eo litore etc. . . ut scribunt Vulcatius et Acilius Piso. Inde profectum etc. *supra p.* 263, 5. *Sed nunc demum emendationis satis certae in mentem venit, ut scribatur* Vultacilius et Piso. *cfr. supra p.* 339, 5.

XXXV. M. OCTAVIUS.

1. Cum interim immolata sue etc. *supra p.* 386, 12. 2. At vero M. Octavius etc. *supra p.* 364, 3. 3. Quis deus, Octavi, te nobis abstulit? . . Scripta quidem tua nos multum mirabimur et te Raptum et Romanam flebimus historiam. *Vergilius Catalecton* 14, *in Anthologia Meyeri I p.* 21. *cfr. Horatius satir.* 1, 10, 82.

XXXVI. CN. EGNATIUS.

Contra Egnatius li. I in ea contentione non modo Remum non esse occisum, sed etiam ulterius a Romulo vixisse tradit. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 23, 6. *qui scriptor in prooemio*

cum aliis auctoribus, tum Cnaeo Egnatio Veratio *se usum ait. Ubi si interpungendum est, intelligi poterit* Veratius pontificalis in eo libro quem fecit de supplicationibus *memoratus a Macrobio Saturn.* 3, 6. Egnatius de rerum natura lib. I *heroicus poeta Vergilio antiquior laudatur ab eodem Macrobio Saturn.* 6, 5.

XXXVII. IULIUS CAESAR.

1. Postquam is [Aeneas] multa maria permensus appulsus sit ad Italiae promontorium, quod est in Baiano circa Avernum lacum, ibique gubernatorem Misenum morbo absumptum sepultum ab eo; ex cuius nomine urbem Misenon appellatam, ut scribit Caesar pontificalium lib. I. Qui tamen hunc Misenum non gubernatorem, sed tubicinem fuisse tradit. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 9, 6. 2. At vero Caesar et Sempronius aiunt Caietae etc. *supra p.* 309, 25. 3. Navibus egressum etc. . . Lavinium dixit, ut scribit Caesar lib. I et Lucatius lib. II. *cfr. supra p.* 332, 15. 4. Dein filius eius Ascanius . . . ut docet Lucius Caesar lib. I itemque Aulus Postumius etc. *supra p.* 266, 1. Igitur Latini Ascanium ob insignem virtutem . . . ut scribunt Caesar libro II et Cato in Originibus. *supra p.* 272, 9; *ubi item e Servio Fuldensi* sicut I. Caesar scribit *relatum est.* 5. Interim Lavinia . . . ut scribunt Caius Caesar et Sex. Gellius in origine gentis Romanae. *supra p.* 306, 5. 6. Post haec Ascanius . . . ut scriptum est in Annali pontificum IV. lib. Cincii et Caesaris II, Tuberonis I. *supra p.* 260, 1. 7. Post illum [Aremulum Silvium] regnavit Aventinus Silvius; isque finitimis bellum inferentibus in dimicando circumventus ab hostibus prostratus est, ac sepultus circa radices montis, cui ex se nomen

Digitized by Google

dedit, ut scribit Iulius Caesar lib. II. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 18, 5. 8. Primum igitur Amulius rex ut comperit Rheam Silviam sacerdotem peperisse geminos, protinus imperavit deportari ad aquam profluentem atque eo abiici. Tum illi, quibus id imperatum erat, impositos alveo pueros circa radices montis Palatii in Tiberim, qui tum magnis imbribus stagnaverat, abiecerunt, eiusque regionis subulcus Faustulus speculatus exponentes, ut vidit relabente flumine alveum, in quo pueri erant, obhaesisse ad arborem fici, puerorumque vagitu lupam excitam, quae repente exierat, primo lambitu eos detersisse, dein levandorum uberum gratia mammas praebuisse: descendit ac sustulit nutriendosque Accae Larentiae uxori suae dedit, ut scribunt Ennius lib. I et Caesar II. *Aurelius Victor de orig. g. R.* 20, 2. 3. 9. Secundum Polybium Marcellus Hannibalem ne semel quidem superavit, . . sed nos Livio credimus, Caesari, Nepoti et e Graecis Iubae, qui Poenum aliquoties a Marcello victum et fugatum tradiderunt. *Plutarchus comp. Pelop. c. Marcello* 1. *Is Caesar, nisi Octavianus est, cum superiore coniungendus erit. Sed quando ille vixerit, sive Caius fuit sive Lucius, non habeo compertum. Estne* C. Iulius senator, qui Graece res Romanas scripsit *a.* 613? *cfr. supra p.* 265, 1.

XXXVIII. M. TERENTIUS VARRO.

M. Varro natus a. 638, *mortuus a.* 728, *libros historici argumenti sexagenarius fere edere coepit. Cuius cum separatim iustam plenamque imaginem adumbrare librorumque deperditorum reliquias omnium componere instituerimus, hoc loco historicas res a reliquis segregatas et quasi per saturam collectas referemus.*

1. Varro . . . tria discrimina temporum esse tradit: primum ab hominum principio ad cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον, secundum a cataclysmo priore ad olympiadem primam, quod quia in eo multa fabulosa referuntur μυθικὸν nominatur, tertium a prima olympiade ad nos, quod dicitur ἱστορικόν, quia res in eo gestae veris historiis continentur. Primum tempus, sive habuit initium seu semper fuit, certe quot annorum sit non potest comprehendi. Secundum non plane quidem scitur, sed tamen ad mille circiter et sexcentos annos esse creditur. A priore scilicet cataclysmo, quem dicunt Ogygii, ad Inachi regnum anni circiter quadringenti, *hinc ad Cecropis in Attica regnum anni circiter quadringenti, hinc ad excidium Troiae anni paulo minus quadringenti*, hinc ad olympiadem primam paulo plus quadringenti. *Censorinus* 21, 1—3. 2. A diluvio Ogygi, quod fuit maius quam postero tempore Deucalionis fuit, Varro exorsus est librum [de gente populi Romani] et nihil sibi, ex quo perveniat ad res Romanas, proponit antiquius quam Ogygi diluvium, hoc est Ogygi factum temporibus. *Augustinus de civ. dei* 18, 8. Ogyges [*Ogygus*?] ut Varro docet in libris de gente populi Romani, rex fuit Thebanorum, sub quo primum diluvium factum est, longe ante quam illud quod sub Deucalione factum esse narratur. *Scholiasta ad Statii Theb.* 1, 173. Est in M. Varronis libris, quorum inscriptio est de gente populi Romani, quod eisdem verbis, quibus ibi legitur, et hic ponam: In caelo, inquit, mirabile extitit portentum; nam in stella Veneris nobilissima, quam Plautus vesperuginem, Homerus hesperon appellat pulcherrimam dicens, Castor scribit tantum portentum extitisse, ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum; quod factum ita neque antea nec postea sit. Hoc factum Ogygo rege dicebant Adrastos Cyzicenos et Dion Neapolites, mathematici nobiles. *Augustinus de*

Digitized by Google

civ. dei 21, 8. 3. Erat regnum Sicyoniorum admodum parvum, a quo ille undecumque doctissimus M. Varro, scribens de gente populi Romani, velut antiquo tempore exorsus est. Ab his enim Sicyoniorum regibus ad Athenienses pervenit, a quibus ad Latinos, inde ad Romanos . . . Regnante octavo Sicyoniorum rege Leucippo Inachus fuit primus Argivorum rex . . . Inachi filia Io fuisse perhibetur, quae postea Isis appellata ut magna dea culta est in Aegypto . . . Aegyptii non multum ante annorum duo milia litteras magistra Iside didicerunt. Non enim parvus auctor est in historia Varro, qui hoc prodidit. *Augustinus de civ. dei* 18, 2. 3 *et* 40. . . . Regnante Sicyoniorum nono rege Messapo, qui etiam Cephisos a quibusdam traditur, Apis tertius Argivorum rex navibus transvectus in Aegyptum, cum ibi mortuus fuisset, factus est Serapis omnium maximus Aegyptiorum deus. Nominis autem huius, cur non Apis etiam post mortem sed Serapis appellatus sit, facillimam rationem Varro reddidit etc. *Augustinus de civ. dei* 18, 5. *cfr. Arnobius adv. gentes* 6, 6. Templorum . . . si quaeris audire quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus, Aegyptius aut Merops tibi fuisse monstrabitur, aut ut tradit in Admirandis Varro, Iovis progenies Aeacus. *Arnobius adv. gentes* 6, 3. Phorcus, ut Varro dicit, rex fuit Corsicae et Sardiniae; qui cum ab Atlante rege navali certamine cum magna exercitus parte fuisset obrutus, finxerunt socii eius, eum in deum marinum esse conversum. *Servius ad Verg. Aen.* 5, 824. 4. Primus Atheniensium rex fuit Cecrops, sub quo rege etiam ipsam vel instauratam ferunt vel conditam civitatem. Nam ut Athenae vocarentur, quod certe nomen a Minerva est, quae Graece Ἀθηνᾶ dicitur, hanc causam Varro indicat etc. . . . M. Varro non vult . . . Areon pagon . . . inde accepisse nomen, quod Mars, qui Graece Ἄρης dicitur, cum homicidii crimine reus fieret, iudicantibus duodecim diis in eo pago sex sententiis

absolutus est . . . non minus hoc, quod de Marte dicitur, falsum esse asseverans, quam illud quod de tribus deabus, Iunone scilicet et Minerva et Venere, quae pro malo aureo adipiscendo apud iudicem Paridem de pulchritudinis excellentia certasse narrantur . . . sed aliam quandam de obscurarum notitia litterarum causam nominis huius conatur astruere . . . *Augustinus de civ. dei* 18, 9. 10. 'Sus Minervam' in proverbio est, ubi quis id docet alterum cuius ipse inscius est. Quam rem in medio, quod aiunt, positam Varro et Euhemerus ineptis mythis involvere maluerunt quam simpliciter referre. *Festus lib.* 18 *s. v. sus.* Ut Varro scribit, regnante Atheniensibus Cranao, successore Cecropis, . . diluvium fuit, quod appellatum est Deucalionis eo quod ipse regnabat in earum terrarum partibus, ubi maxime factum est. *Augustinus de civ. dei* 18, 10. Varro ille Romanus, multiformibus eminens disciplinis et in vetustatis indagatione rimator, in librorum quattuor primo, quos de gente conscriptos Romani populi dereliquit, curiosis computationibus edocet, ab diluvii tempore . . . adusque Hirtii consulatum et Pansae annorum esse milia nondum duo. *Arnobius adv. gentes* 5, 8 . . . [de Gigantibus] Varro dicit, in diluvio aliquos ad montes confugisse cum utensilibus; qui lacessiti postea bello ab his, qui de aliis veniebant montibus, facile ex locis superioribus vicerunt. Unde fictum est, ut Dii superiores dicerentur, inferiores vero Terrigenae; et quia de humilibus ad summa reptabant, dicti sunt pro pedibus habuisse serpentes. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 578. *cfr. Mythographus Maii p.* 104. 166. *Byzantini apud Müllerum in fragm. hist. gr. IV p.* 541 . . . Varro in libro qui Admirabilium inscribitur Erichthonium ait primum equos quattuor iunxisse ludis, qui Panathenaea appellantur. *Philargyrius et Servius ad Verg. Georg.* 3, 113. Regum Atheniensium primus fuit Cecrops, dein Cranaus, tertio Amphictyon, post hunc

Digitized by Google

Erichthonius, qui feruntur ex terra editi, item Pandion et Erechtheus, cuius filiae virgines, cum gravi bello Athenae oppugnarentur nec ulla spes salutis ostenderetur, sumptis infulis ad aram steterunt: nam ita responsum erat, ut salus patriae iam desperata hoc genere piaculi compararetur. Auctor est exempli Varro libro humanarum secundo. *Scholia Bobiensia ad Cic. pro Sestio p.* 299 *Orell.* 5. His temporibus fabulae fictae sunt . . . de fabro Daedalo et eius Icaro filio, quod sibi coaptatis pennis volaverint. *Augustinus de civ. dei* 18, 13. Vult Varro, Icarum Cretem ibi naufragio periisse et de exitu hominis impositum nomen loco. *Solinus polyh.* 17. Varro in Scauro: glutinum ferunt Daedalum invenisse. *Charisius* 1, 17, 65. 1, 21, 114. Aeolum poetae fingunt regem esse ventorum. Varro autem dicit hunc insularum novem regem fuisse; ex quarum nebulis et fumo maxime Vulcaniae insulae praedicens futura flabra ventorum, imperitis visus est ventos sua potestate retinere. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 56. *Isidorus orig.* 14, 6. *Mythographus Maii p.* 182. Novem Musas Iovis et Memoriae filias esse finxerunt. Refellit eos Varro, quo nescio an quisquam talium rerum doctior vel curiosior esse possit. Dicit enim civitatem nescio quam (non enim nomen recolo) locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum, quod in templo Apollinis donum poneret, ut quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimum electa emeret. Itaque contigisse, ut opera sua quoque illi artifices aeque pulchra explicarent, et placuisse civitati omnes novem atque omnes esse emptas, ut in Apollinis templo dedicarentur. Quibus postea dicit Hesiodum poetam imposuisse vocabula . . . Tres autem propterea illa civitas locaverat, . . . quia facile erat animadvertere omnem sonum, quae materies cantilenarum est, triformem esse natura. Aut enim voce editur, sicuti eorum est, qui faucibus sine organo canunt; aut flatu, sicut

tubarum et tibiarum; aut pulsu, sicut in citharis et tympanis et quibuslibet aliis, quae percutiendo canora fiunt. *Augustinus de doctr. christ.* 2, 17. Varro tres tantum Musas esse commemorat: unam quae ex aquae nascitur motu, alteram quae aeris ictu efficit sonos, tertiam quae in mera tantum voce consistit. *Servius ad Verg. Ecl.* 7, 21. *Mythographus Maii p.* 103. 232. Et si qua forte alia praetermisi. Hae fabulae bellum adusque Troianum, ubi secundum librum M. Varro de populi Romani gente finivit, ex occasione historiarum, quae res veraciter gestas continent, ita sunt ingeniis hominum fictae. *Augustinus de civ dei* 18, 13. 6. Per ea tempora regnum finitum est Argivorum, translatum ad Mycenas, unde fuit Agamemnon, et exortum est regnum Laurentium, ubi Saturni filius Picus regnum primus accepit . . . ex quibus evidentior ducitur origo Romana post Graecos . . . De huius Pici patre Saturno viderint quid sentiant, qui negant hominem fuisse. *Augustinus de civ. dei* 18, 15. Saturnum hominem fuisse consentiunt, qui res eius in Italia gestas memoriae prodiderunt, Graeci Diodorus et Thallus, Latini Nepos et Cassius et Varro. *Lactantius institut.* 1, 13, 8. *cfr. supra p.* 289, 1. Picum quoque similiter eius filium in deorum numerum receperunt, quem praeclarum augurem et belligeratorem fuisse asserunt. Picus Faunum genuit Laurentium regem secundum; etiam iste deus illis vel est vel fuit. *Augustinus de civ. dei* 18, 15. Fauni sororem eandemque coniugem Varro scribit tantae pudicitiae fuisse, ut nemo eam quoad vixerit praeter virum suum mas videritnec nomen eius audierit. Idcirco illi mulieres in operto sacrificant et Bonam deam no- Varro Fauni filiam fuisse tradit adeo pudicam, ut extra gynaeconitin numquam sit egressa, nec nomen eius in publico fuerit auditum, nec virum umquam viderit, nec a viro visa sit; propter quod nec vir templum eius ingre-

Digitized by Google

minant. *Lactantius institut.* 1, 22, 10. Varro refert Pilumnum quendam in Italia fuisse, qui pinsendis praefuit arvis, unde et pilumni et pistores. Ab hoc ergo pilum et pilam inventa, quibus far pinsitur, et ex eius nomine ita appellata. *Isidorus orig.* 4, 11. 7. Timaeus . . . et M. Varro in Antiquitatibus rerum humanarum terram Italiam de Graeco vocabulo appellatam scripserunt, quoniam boves Graeca veteri lingua ἰταλοὶ vocitati sunt, quorum in Italia magna copia fuerit, bucetaque in ea terra gigni pascique solita sint complurima. *Gellius* 11, 1, 1. [Italia] abest a circumdatis terris: Histria ac Liburnia quibusdam locis centena milia passuum, ab Epiro et Illyrico quinquaginta, ab Africa minus CC, ut auctor est M. Varro, ab Sardinia CXX milia, ab Sicilia MD, a Corsica minus LXXX, ab Issa quinquaginta. *Plinius nat. hist.* 3, 5, 45. *Marcianus Capella* 6, 639. Alpes, quae secundum Catonem et Livium muri vice tuebantur Italiam, . . . quinque viis Varro dicit transiri posse: una quae est iuxta mare per Liguras, altera qua Hannibal transiit, tertia qua Pompeius ad Hispaniense bellum profectus est, quarta qua Hasdrubal de Gallia in Italiam venit, quinta quae quondam a Graecis possessa est, quae exinde Alpes Graiae appellantur. *Servius ad Verg. Aen.* 10, 13. Totum mare, quod a dextra Italici litoris est, Tyrrhenum dicitur; hoc Varro doctius dividit in provincias marinas. *Philargyrius ad Verg. Georg.* 2, 533. A Locris Italiae frons incipit, Magna Graecia appellata, in tris sinus recedens Ausonii maris, quoniam Ausones tenuere primi. Patet LXXXVI milia passuum, ut auctor est Varro; plerique LXXV milia fecere. *Plinius nat. hist.* 3, 10, 95. *Marcianus Capella* 6, 649. M. Varro . . . enumerans, quae in quibus Italiae partibus optima ad victum gignantur . . . his verbis in libro rerum humana-

Digitized by Google

rum XI: ad victum optima fert ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Casinas oleum, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tiberis. *Macrobius Saturn.* 2, 12. Spiracula appellata omnia loca pestiferi spiritus, quae Graeci *Χαρώνεια* appellant vel *Ἀχερόντεια*; etiam Varro spiraculum dicit huiuscemodi locum, . . . qua terra spiritum edit. *Isidorus Orig.* 14, 9. Sciendum sane Varronem enumerare, quot loca in Italia sint huiusmodi. *Servius ad Verg. Aen.* 7, 563. Varro aves, quae advolaverint [ad Avernum, ait] emori. *Plinius nat. hist.* 31, 2, 21. Varro ad Soracten scripsit esse fontem, cuius sit latitudo quattuor pedum: sole oriente eum exundare ferventi similem, aves quae degustaverint iuxta mortuas iacere. *Plinius nat. hist.* 31, 2, 27. Circeius mons . . . aliquando, ut Varro dicit, insula fuit, nondum siccatis paludibus, quae eam dividebant a continenti. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 386. Varro [de Ilva] dicit, nasci quidem illic ferrum, sed in stricturam non posse cogi nisi transvectum in Populoniam, Tusciae civitatem, ipsi insulae vicinam. *Servius ad Verg. Aen.* 10, 174. Varro . . . Latium dici putat, quod latet Italia inter loca (praecipitia) Alpium et Apennini. *Servius ad Verg. Aen.* 8, 322. Varro dicit, lacum Velinum a quodam (Curio) consule in Nartem vel Narem fluvium (nam utrumque dicitur) esse diffusum. Post quod tanta est ea loca secuta fertilitas, ut etiam perticae longitudinem altitudo superaret herbarum; quin etiam quantum per diem demptum esset, tantum per noctes crescebat. *Servius ad Verg. Aen.* 7, 712. Dicit Varro, tantam ubertatem fuisse in Rosulano agro, postquam Velinus siccatus est lacus, ut ibi longam perticam magnitudo superaret herbarum. *Servius ad Verg. Georg* 2, 201. In agro Reatino Cutiliae lacum, in quo fluctuetur insula, Italiae umbilicum esse M. Varro tradit. *Plinius nat. hist.* 3, 12, 109. *Solinus polyh.* 8. *Marcianus Capella* 6, 640. 8. Oppidorum, quae initio Aborigines

Digitized by Google

incoluerunt, pauca supersunt, cum pleraque bellis aliisque calamitatibus afflicta desolata sint. Sita erant in Reatino agro non procul ab Apenninis montibus, ut Varro Terentius in Antiquitatibus docet, aberantque Roma, quae minimum, unius diei iter. Quorum ego nobilissima, sicut ille exponit, enumerabo: Palatium XXV stadiis remotum a Reate, oppido Romanis nunc quoque prope viam Quintiam habitato. Ab eadem urbe LX fere stadiis distat Tribola (Trebula), in modico colle sita. A Tribola tantundem abest Vesbola (Suesbola), propinqua Cerauniis montibus. Inde XL stadiis abest non ignobile oppidum Sune (Suna), ubi pervetustum Martis templum est. A Sune XXX fere stadiis abest Mefula (Mifula) cuius ruinae monstrantur moeniumque vestigia. Inde XL stadiis abest Orvinium, oppidum si quod aliud in eo tractu amplum ac nobile; apparent enim fundamenta moenium et sepulcra quaedam antiqui operis et tumulorum in altitudinem aggestorum magni circuitus; in arce eius vetustissimum Minervae templum est. Stadia LXXX longe ab Reate Iuria (Iunia) via euntibus prope Coretum (Coritum) montem sita erat Corsula (Cursula) nuper demum diruta. Monstratur etiam insula quaedam Issa nomine, cincta stagnis undique, quam nullo opere munitam habitasse feruntur, freti palustribus et coenosis aquis non minus quam moenibus. Issae proximum est Maruvium situm in eiusdem stagni recessu intimo, quod XL stadiis a Septemaquis distat. Rursus a Reate versus Latinam viam euntibus ad tricesimum stadium Batia (Vatia), ad trecentesimum Tiora Matiene (Matiere) sita est; in hac antiquissimum Martis oraculum fuisse aiunt Dodonaeo simile, nisi quod pro columba in sacra quercu sedente apud Aborigines picus Martius in columna lignea consistens divina monita edidit. XXIV stadiis a dicto oppido Lista aberat, Aboriginum caput, quam antiquis temporibus Sabini Amiterno profecti noctu ex improviso occu-

patam tenuerunt; qui post eam cladem fuerunt superstites, recepti a Reatinis, saepe frustra conati patriam recuperare, agrum illum, tamquam etiamtum suus esset, diis sacraverunt, diris devoventes qui in posterum fructus ex eo capturi essent. Stadiis LXX a Reate abest Cutilia, clarum oppidum ad montem positum, et ab ea non longe lacus quattuor iugerum magnitudine, nativis et perennibus aquis plenus, immensae ut aiunt profunditatis. Huic numen quoddam praesens esse accolae credunt, ipsumque lacum Victoriae sacrum; itaque circumquaque coronis cingentes, neminem appropinquare sinunt inaccessosque servant eius latices, nisi cum stata sacra altero quoque anno sollemni ritu faciunt, conscendentibus iis quibus fas est in parvam eius insulam. Ea insula L fere pedes in latitudinem habet neque plus pede uno ex aquis eminet, instabilis et plerumque huc illuc fluctuans, prout ventis impellitur. In ea gramen quoddam provenit butomo simile et frutices quidam exigui: res incredibilis visa iis qui non ipsi viderunt, neque ullo miraculo minor. *Dionysius Halicarn.* 1, 14. 15. 9. [Pelasgos] primos Varro Italiam appulsos esse commemorat. *Isidorus orig.* 9, 2. Pelasgi, sicut Varro memorat, cum sedibus suis pulsi diversas terras petissent, confluxerunt plerique Dodonam et incerti, quibus haererent locis, eiusmodi accepere responsum:

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατουρνίαν αἶαν
Ἠδ᾽ Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται·
Οἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ
Καὶ κεφαλὰς Λίδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

acceptaque sorte cum Latium post errores plurimos appulissent, in lacu Cutiliensi enatam insulam deprehenderunt ... Hoc igitur miraculo deprehenso has sibi sedes praedictas esse didicerunt, vastatisque Siciliensibus incolis occupavere regionem, decima praedae secundum responsum Apollini conse-

Digitized by Goo

crata erectisque Diti sacello et Saturno ara, cuius festum Saturnalia nominarunt. Cumque diu humanis capitibus Ditem et virorum victimis Saturnum placare se crederent, . . . Herculem ferunt postea cum Geryonis pecore per Italiam revertentem suasisse illorum posteris, ut faustis sacrificiis infausta mutarent, inferentes Diti non hominum capita sed oscilla ad humanam effigiem arte simulata, et aras Saturnias non mactando viros sed accensis luminibus excolentes, quia non solum virum sed et lumina *φῶτα* significat. Inde mos per Saturnalia missitandis cereis coepit. *Macrobius Saturn.* 1, 7. Appareret, antiquum esse immolandorum hominum ritum, si quidem Saturnus in Latio eodem genere sacrificii cultus est, non quidem ut homo ad aram immolaretur, sed uti in Tiberim de ponte Milvio mitteretur. Quod ex responso quodam factitatum Varro auctor est, cuius responsi ultimus versus est talis: *Καὶ κεφαλὰς Κρονίδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα. Lactantius institut.* 1, 21, 7. *cfr. Dionysius Halic.* 1, 19. *Stephanus Byz. et Suidas s. v. Ἀβοριγῖνες.* Saturno sexagenarii homines ex persona Apollinis de ponte in Tiberim deiiciebantur. *Lactantius epitome* 23, 2. 10. Sabini dicti, ut ait Varro . . . ., quod ea gens pp [*penates*?] praecipue colat *deos, id est ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι. Festus lib.* 19 *s. v. Sabini.* In Reatino agro, quo tempore Aborigines eum tenebant, virgo quaedam nobilissimo genere orta ad celebrandos choros in eius dei templum intrarat, quem Sabini eosque secuti Romani Quirinum nominant . . . In huius dei area saltans puella repente divino furore correpta chorum deseruit et in dei sacrarium cucurrit. Deinde a deo compressa, ut vulgo visum est, filium edidit nomine Modium, Fabidium [*Sabinum*?] cognomine. Is virilem aetatem ingressus et forma supra hominem fuit et in re militari longe clarissimus factus est, cumque captus esset condendae urbis cupidine, magna e finitimis agris manu collecta

intra perbreve tempus Cures condidit, imposito oppido nomine vel a deo, cuius dicebatur filius, vel ab hasta: cures (quires) enim Sabini hastas dicunt. Haec Terentius Varro scribit. *Dionysius Halic.* 2, 48. [Italia] Oenotria dicta est . . . ut Varro dicit, ab Oenotro rege Sabinorum. Alii Itali fratrem Oenotrum tradunt ex Arcadia in Italiam venisse cum Pelasgis et eam sibi cognominem fecisse. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 536. De Sabellis Varro in Agemodo sic ait: terra culturae causa attributa olim particulatim hominibus, ut Etruria Tuscis, Samnium Sabellis. *Philargyrius ad Verg. Georg.* 2, 167. Varro ubique expugnator religionis ait, cum quoddam medicamentum describeret: et uti solent Hirpini, qui ambulaturi per ignem medicamento plantas tingunt. *Servius ad Verg. Aen.* 11, 787. Varro dicit, propter caeli temperiem et cespitis fecunditatem campum eundem Capuanum sive Campanum dictum, quasi sinum salutis et fructuum. *Servius ad Verg. Aen.* 10, 145. 11. Hyginus dicit Pelasgos esse, qui Tyrrheni sunt; hoc etiam Varro commemorat. *Servius ad Verg. Aen.* 8, 600. Varro putat Caere oppidum Etruriae a Pelasgis, cum sitientes inventum flumen proximum . . . salutassent χαῖρε, atque ea causa id vocabulum oppido datum. *Scholia Veronensia ad Verg. Aen.* 10, 183. [Caeculus] collecticiis pastoribus . . . Praeneste fundavit. Hunc Varro ab Depidiis pastoribus educatum ipsique Depidio nomen fuisse, et datum cognomentum Caeculo tradit libro, qui inscribitur Marius aut de fortuna. *Scholia Veronensia ad Verg. Aen.* 7, 681. Est autem natio hominum iuxta agrum Praenestinum, qui Carsitani vocantur ἀπὸ τῶν καρυῶν; cuius rei meminit Varro in Logistorico, qui inscribitur Marius de fortuna. *Macrobius Saturn.* 2, 14. 12. Varro . . . in tertio Rerum humanarum refert: Gentis Salentinae nomen tribus e locis fertur coaluisse, e Creta, Illyrico, Italia. Idomeneus e Creta oppido Blanda (Lyctio) pulsus per seditionem

Digitized by Google

bello Magnensium cum grandi manu ad regem Divitium (Clinicum) ad Illyricum venit. Ab eo item accepta manu cum Locrensibus plerisque profugis in mari coniunctus amicitiaque per similem causam sociatus, Locros appulit. Vacuata eo metu urbe ibidem consedit et aliquot oppida condidit, in queis Uria et Castrum Minervae nobilissimum. In tris partes divisa copia, in populos duodecim, Salentini dicti, quod in salo amicitiam fecerint. *Probus ad Verg. Ecl.* 6, 31. Varro . . . Humanarum XI sic: Iuxta Rhegium fluvii sunt continui septem, Latapadon, Micodes, Eugiton, Stracteos, Polie, Molee, Argendes. In his matris nece purgatus dicitur Orestes, ibique ahenum eius diu fuisse ensem, et ab eo aedificatum Apollinis templum; e cuius luco Rheginos, cum Delphos proficiscerentur, re divina facta lauream decerpere solitos, quam ferrent secum. *Probus prooem. ad Verg. Ecl.* 13. Euander . . . modicum oppidum fundavit in monte Palatino, sicut ait Varro: Nonne Arcades exules confugerunt in Palatium duce Euandro? *Servius ad Verg. Aen.* 8, 51. Ostendit Varro in secundo, de antiquitate litterarum docens, lingua Chaldaeorum singularum nomina litterarum ad earum formas esse facta, et ex hoc certum fieri eos esse primos auctores litterarum. *Priscianus* 1, 3, 7. Litteras olim XVI fuisse, postea additas alias et factas XXIII. Habemus hoc in libris ad Attium (Actium) apud Varronem, et cur tot sint et quare eo ordine positae et quare isdem nominibus vocentur. *Pompeius comm. Donati p.* 9. 27 *ed. Lind. cfr. Laur. Lydus de mens.* 1, 9. Veteres Romanos constat linguam Graecam, Aeolicam dico, non ignorasse, id quod et Cato ait in Originibus Romanis et doctissimus Varro in prooemiis librorum quos ad Pompeium scripsit, quippe cum Euander ceterique Arcades in Italiam transgressi Aeolicam linguam in barbaras gentes intulerint. *Laur. Lydus de magistr.* 1, 5. Vocabulum . . . mulctae idem

M. Varro in XXI Rerum humanarum non Latinum, sed Sabinum esse dicit idque ad suam memoriam mansisse ait in lingua Samnitium, qui sunt a Sabinis orti. *Gellius* 11, 1, 5. Varro baltea dixit et Tuscum vocabulum ait esse item Humanarum XVIII. *Charisius* 1, 17, 45. M. Varro XIV Rerum divinarum . . . cum de petorrito dixisset, esse id verbum Gallicum, lanceam quoque dixit non Latinum, sed Hispanicum verbum esse. *Gellius* 15, 30, 7. 14. Mons Palatinus . . . est dictus secundum Varronem et alios a filia Euandri Palantia, ab Hercule vitiata et postea illic sepulta. *Servius ad Verg. Aen.* 8, 51. Tunc enim, sicut Varro dicit, omnes qui fecerant fortiter Hercules vocabantur, licet eos primo XLIII. enumeraverit. Hinc est quod legimus Herculem Tirynthium, Argivum, Thebanum, Libym. *Servius ad Verg. Aen.* 8, 564. *Mythographus Maii p.* 274. M. Varro: Rusticelius, inquit, Hercules appellatus mulum suum tollebat; Fusius Salvius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, et ducenaria duo humeris contra scalas ferebat. *Plinius nat. hist.* 7, 19, 83. Apud aram maximam custoditur . . ., ut omnes aperto capite sacra faciant . . . Varro ait Graecum hunc esse morem, quia sive ipse [Hercules] sive qui ab eo relicti aram maximam statuerunt, Graeco ritu sacrificaverunt. *Macrobius Saturn.* 3, 6. Testatur etiam Terentius Varro in ea satira, quae inscribitur *περὶ κεφανοῦ*, maiores solitos decimam Herculi vovere, nec decem dies intermittere quin pollucerent ac populum *ἀσύμβολον* cum corona laurea dimitterent cubitum . . . Constat quidem nunc lauro sacrificantes apud aram maximam coronari. Sed multo post Romam conditam haec consuetudo sumpsit exordium, postquam in Aventino lauretum coepit virere. Quam rem docet Varro Humanarum libro II. . . . Euander ante urbem conditam apud aram maximam sacra celebrans, utebatur populo Alcidae gratissima. *Macrobius Saturn.* 3, 12.

Digitized by Google

Servius ad Verg. Aen. 8, 276. Varro Divinarum libro IV Victorem Herculem putat dictum, quod omne genus animalium [decies] vicerit. Sed Romae Victoris Herculis aedes duae sunt, una ad portam Trigeminam, altera ad forum Boarium. *Servius ad Verg. Aen.* 8, 363. *Macrobius Saturn.* 3, 6. Varro dicit sub Eryce monte esse infecundum campum fere in tribus iugeribus, in quo Eryx et Hercules dimicarunt. *Servius ad Verg. Aen.* 5, 411. 15. [Palamedes lusoriam] tabulam invenit ad comprimendas otiosi seditiones exercitus, ut Varro testatur. *Servius ad Verg. Aen.* 2, 81. Varro et ceteri invictos dicunt Troianos, quia per insidias oppressi sunt; illos enim vinci adfirmant, qui se dedunt hostibus. *Servius ad Verg. Aen.* 11, 306. Quidam . . . negant Troiis temporibus biremes fuisse; Varro enim ait post aliquot annos inventas biremes. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 186. [Ab excidio Troiae anni sunt] ad olympiadem primam paulo plus quadringenti. Quos solos, quamvis mythici temporis postremos tamen quia a memoria scriptorum proximos, quidam certius definire voluerunt. Et quidem Sosibius scripsit esse CCCLXXXXV, Eratosthenes autem septem et quadringentos, Timaeus CCCCXVII, Aretes DXIIII, et praeterea multi diverse, quorum ipsa etiam dissensio incertum esse declarat. *Censorinus de die nat.* 21, 3. Conficiuntur igitur ab Aeneae in Italiam adventu ad Romam conditam anni CCCCXXXIX secundum Catonem maiorem et Varronem Romanos, secundum . . Castorem . . CCCCXVII. *Laur. Lydus de magistr.* 1, 2. *cfr. supra p.* 273, 1. 16. Veteres portum Baias dixisse Varro a Baio Ulyxis comite, qui illic sepultus est, et Baias dictas tradit. *Servius ad Verg. Aen.* 9, 710. Diomedem poena divinitus irrogata perhibent ad suos non revertisse, eiusque socios in volucres fuisse conversos; . . . quin etiam templum eius esse aiunt in insula Diomedea non longe a monte Gargano, qui est in Apulia; et

Digitized by Google

hoc templum circumvolare atque incolere has alites tam mirabili obsequio, ut aquam impleant et aspergant: et eo si Graeci venerint vel Graecorum stirpe progeniti, non solum quietas esse verum et insuper adulare, si autem alienigenas viderint, subvolare ad capita tamque gravibus ictibus, ut etiam perimant, vulnerare. Nam duris et grandibus rostris satis ad haec proelia perhibentur armatae. Hoc Varro ut astruat, commemorat alia non minus incredibilia de maga illa famosissima Circe, quae socios quoque Ulyssis mutavit in bestias, et de Arcadibus, qui sorte ducti transnatabant quoddam stagnum atque ibi convertebantur in lupos et cum similibus feris per illius regionis deserta vivebant. Si autem carne non vescerentur humana, rursus post novem annos eodem renatato stagno reformabantur in homines. Denique etiam nominatim expressit quendam Demaenetum, cum gustasset de sacrificio, quod Arcades immolato puero deo suo Lycaeo facere solerent, in lupum fuisse mutatum et anno decimo in figuram propriam restitutum pugilatu sese exercuisse et Olympiaco vicisse certamine. Nec idem propter aliud arbitratur historicus in Arcadia tale nomen affictum Pani Lycaeo et Iovi Lycaeo, nisi propter hanc in lupos hominum mutationem, quod eam nisi vi divina fieri non putarent. Lupus enim Graece λύκος dicitur, unde Lycaei nomen apparet inflexum. Romanos etiam Lupercos ex illorum mysteriorum velut semine dicit exortos.

Augustinus de civ. dei 18, 16 *et* 17.

17. Varro secundo Historiarum refert Aenean capta Troia arcem cum plurimis occupasse magnaque hostium *gratia obtinuisse a*beundi potestatem. Itaque *concessum quidquid* vellet auferre; cum-

Varro Rerum humanarum ait permissum a Graecis Aeneae ut evaderet et quod carum putaret auferret; illum patrem liberasse, cum illi quibus similis optio esset data aurum et argentum abstulissent. Sed

Digitized by Google

que circa *aurum* opesque alias ceteri morarentur, Aenean patrem suum collo *tulisse*, *mirantibus*que Achivis hanc pietatem redeundi Ilium copiam datam, ac deos Penates ligneis sigillis vel lapideis terrenis quoque Aenean *umeris extulisse*, quam rem Graecos stupentes omnia sua auferendi potestatem dedisse, eaque *ratione saepius redeuntem omnia e Troia abstulisse et in navibus posuisse.* *Att*icus de patre etc. *supra p.* 383, 22. Additur etiam a L. Cassio Censorio . . . Idem [*Varro*?] historiarum libro I ait etc. *supra p.* 290, 5. *Scholia Veronensia ad Verg. Aen.* 2, 717. Varro Humanarum secundo Dardanum refert deos Penates ex Samothrace in Phrygiam et Aenean ex Troia in Italiam detulisse. Qui sint autem dii Penates in libro quidem memorato Varro non exprimit. *Macrobius Saturn.* 3, 4. Varro Rerum humanarum II ait Aenean deos Penates in Italiam reduxisse (advexisse), quaedam lignea vel lapidea (marmorea) sigilla. — Sane hos deos Dardanum ex Samothracia in Frygiam, Aeneam vero in Italiam ex Frygia transtulisse idem Varro testatur. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 148. 1, 382. Graeci et Varro Humanarum rerum Dardanum non ex Italia, sed de Arcadia, urbe Pheneo, oriundum dicunt. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 167. Varro unum esse dicit Penates et Magnos deos, nam et in basi scribebatur: MAGNIS DIIS. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 12. Terram et aerem inducit . . . M. Varro in Logistorico qui inscribitur Curio de deorum cultu, cognomento Magnorum Deorum: Tris arae sunt in Circo medio ad Columnas, in quibus stant signa: in una inscriptum DIIS MAGNIS, in altera Aeneae propter admirationem iterum a Graecis concessum ut quod vellet auferret; ille ut simile quod laudatum fuerat faceret, deos Penates abstulisse. Tunc ei a Graecis concessum ut et quos vellet secum et sua omnia liberaret. *Servius ad Verg. Aen.* 2, 636.

Digitized by Google

DIIS POTENTIBVS, in tertia DIIS TERRAE ET CAELO. In haec duo divisus mundus. Item duo initiales, unde omnia et omnes orti, et hi Dii Magni appellati in Samothrace. *Probus ad Verg. Ecl.* 6, 31. *cfr. Tertullianus de spectac.* 8. Idem Varro et alii complures Magnos Deos adfirmant, simulacra duo virilia Castoris et Pollucis in Samothracia ante portum sita, quibus naufragio liberati vota solvebant. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 12. *cfr. Varro de L. L.* 5, 58. 18. Varro in II Rerum divinarum dicit, ex quo de Troia est egressus Aeneas, Veneris eum per diem quotidie stellam (Luciferi) vidisse, donec ad agrum Laurentum veniret, in quo eam non vidit ulterius; qua re terras cognovit esse fatales. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 386. 2, 801. Quaeritur, cur Aeneas, cum Delum venisset, nullis prius hostiis caesis statim a precibus coeperit? Quia tradunt multi, inter quos et Varro, esse aras tam Apollinis quam filii eius non tantum Deli sed in plurimis locis, apud quas hostiae non caedantur, sed consuetudo sit deum sollemnitatum prece venerari. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 85. Meminit huius arae et *Varro* Cato de liberis educandis ni haec verba: Nutrix haec omnia faciebat in verbenis ac libis sine hostia, ut Deli ad Apollinis Genetivi aram. *Macrobius Saturn.* 3, 6. Ut Varro in II Divinarum dicit, oraculum [de comedendis mensis Troiani] a Dodonaeo Iove apud Epirum acceperunt. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 256. Varro templum Veneri ab Aenea conditum, ubi nunc Leucaten, dicit. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 279. [Troia . . Pergama . . Xanthus . . Scaea . .] Multi putant . . haec loca per licentiam poeticam esse conficta. Varro Epiri se fuisse dicit et omnia loca isdem dici nominibus, quae poeta commemorat, se vidisse, unde apparet haec non esse fabulosa. Idem etiam Varro Epiri ab Aenea sive a comitibus eius Biopatora nuncupatam docet, ubi Troiana classis Aeneam expectasse sociosque eius castra in

Digitized by Google

tumulis habuisse memoratur, quae ex illo tempore Troiana appellantur. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 349. [In Epiro] constat olim regem nomine Campum fuisse . . . et Epirum Campaniam vocatam . . . Varro filiam Campi Campaniam dictam, unde provinciae nomen; post vero . . . Chaoniam ab Heleno appellatam, qui fratrem suum Chaonem, vel ut alii dicunt comitem, dum venaretur occiderat. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 334. [Palladium] cum postea Diomedes haberet . . . quod Varro plenissime dicit, credens sibi non esse aptum propter sua pericula, quibus numquam cariturum responsis cognoverat, nisi Troianis Palladium reddidisset, transeunti per Calabriam Aeneae offerre conatus est. Sed cum se ille velato capite sacrificans convertisset, Nautes quidam accepit simulacrum; unde Minervae sacra non Iulia gens habuit, sed Nautiorum. *Servius ad Verg. Aen.* 2, 166. [Nautes] Romam Palladium detulit, unde Nautiorum familia Minervae sacra retinebat. Quod etiam Varro docet in libris quos de familiis Troianis scripsit. *Servius ad Verg. Aen.* 5, 704. Dicitur ex oraculo Diomedes [Anchisae] ossa secum portasse; quae postea reddidit Aeneae, cum multa adversa perferret . . . Sciendum sane Varronem dicere, Diomedem eruta Anchisae ossa filio reddidisse, Catonem autem adfirmare quod Anchises ad Italiam venerit: tanta est inter ipsos varietas et historiarum confusio. *Servius ad Verg. Aen.* 4, 427. Varro ait non Didonem, sed Annam amore Aeneae impulsam se super rogum interemisse. *Servius ad Verg. Aen.* 4, 682. 5, 4. 19. Aeneas cum viginti navibus . . in Italiam venit, regnante ibi Latino et apud Athenienses Menestheo, apud Sicyonios Polyphide. *Augustinus de civ. dei* 18, 19. Ornatus Romani exercitus antiquissimis temporibus hic fuit: galea aerea, lorica anulis conserta, gladius latus ac brevis in sinistro femine pendens, iacula in dextra manu duo cuspide lata, tibiarum tegumenta texta nigra,

calceamenta eiusmodi quae Graeci ἀρβύλας, Romani garbula aut crepidas vocant. Neque haec temere dico, quippe in Imaginibus suis Terentius Varro . . . Aeneam ita ornatum in Italiam olim venisse scriptum reliquit visa eius, ut ait, statua e lapide candido sculpta, quae Albae iuxta fontem posita esset. *Laurentius Lydus de magistr.* 1, 12. Saltatores nominatos Varro dicit ab Arcade Salio, quem Aeneas in Italiam secum adduxit quique primo docuit Romanos adolescentes nobiles saltare. *Isidorus orig.* 18, 50. Varro dicit etiam hoc signi fuisse [in prodigio scrofae albae,] quod cum etiam alterius coloris porci in foetu huius porcae fuerint, albi tantummodo circa ubera sint reperti. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 392. M. Varro auctor est Mezentium Etruriae regem auxilium Rutulis contra Latinos tulisse vini mercede, quod tum in Latino agro fuisset. *Plinius nat. hist.* 14, 12, 88. 20. Super aetate Homeri atque Hesiodi non consentitur . . . M. Varro in primo de Imaginibus, uter prior sit natus parum constare dicit, sed non esse dubium quin aliquo tempore eodem vixerint; idque ex epigrammate ostendi, quod in tripode scriptum est, qui in monte Helicone ab Hesiodo positus traditur . . . M. Varro in libro de Imaginibus primo Homeri imagini hoc epigramma apposuit: Capella Homeri candida haec tumulum indicat, Quod hac Ietae mortuo faciunt sacra. *Gellius* 3, 11. 21. Varro Tiberim a Tiberino quodam rege Latinorum, quod ibi interierit, dictum tradit, . . Livius dicit ab Albano rege Tiberino Tiberim dictum. *Servius ad Verg. Aen.* 8, 330. Varro Periplu libro I: in hac civitate agros colunt harenosos; praeter hos fluit amnis, quam olim Albulam dicunt vocitatam. *Nonius p.* 192, 7. 22. De tertio autem tempore [quod est a prima olympiade ad nos] fuit quidem aliqua inter auctores dissensio in sex septemve tantummodo annis versata, sed hoc quod cumque caliginis Varro discussit, et pro cetera sua saga-

Digitized by Google

citate nunc diversarum civitatium conferens tempora, nunc defectus eorumque intervalla retro dinumerans, eruit verum lucemque ostendit, per quam numerus certus non annorum modo sed et dierum perspici possit. Secundum quam rationem, nisi fallor, hic annus, cuius velut index et titulus est Ulpii et Pontiani consulatus, ab olympiade prima millesimus est et quartus decimus, ex diebus dumtaxat aestivis quibus agon Olympicus celebratur; a Roma autem condita nongentesimus nonagesimus primus, et quidem ex Parilibus unde urbis anni numerantur; eorum vero annorum quibus Iulianis nomen est ducentesimus octogesimus tertius, sed ex die Kal. Ianuariarum, unde Iulius Caesar anni a se constituti fecit principium. *Censorinus* 21, 4—7. Varro in XVII Humanarum: ad Romuli initium plus mille et centum annorum est [a Deucalione?] *Gellius* 1, 16, 3. *Macrobius Saturn.* 1, 5. 23. Marco Varrone *se usum auctore Aurelius Victor ait in prooemio libelli de orig. g. R.* Varro in eo libro, quo initia urbis Romae enarrat, lupum feminam [pro lupa] dicit, Ennium Pictoremque Fabium secutus. *Quintilianus* 1, 6, 12. Ruminalem ficum appellatam ait Varro prope curiam sub Veteribus, quod sub ea arbore lupa a monte decurrens Remo et Romulo mammam praebuerit. Mamma autem rumis dicebatur, unde rustici haedos lactentes subrumos vocant, quia adhuc sub mammis habentur. *Festus lib.* 17 *s. v. Ruminalem. cfr. Varro de R. R.* 2, 11, 5, *idem apud Nonium p.* 167, 30. Quod abiectis infantibus pepercit lupa non mitis, Luperca dea est auctore appellata Varrone. *Arnobius adv. gentes* 4, 3. Herculis aedituus otiosus atque feriatus lusit tesseris secum utraque manu alternante, in una constituens Herculem, in altera se ipsum; sub ea conditione, ut si ipse vicisset de stipe templi sibi coenam pararet amicamque conduceret, si autem victoria Herculis fieret, hoc idem de pecunia sua voluptati Herculis

exhiberet. Deinde cum a se ipso tamquam ab Hercule victus esset, debitam coenam et nobilissimam meretricem Larentinam deo Herculi dedit. At illa cum dormisset in templo, vidit in somnis Herculem sibi esse commixtum sibique dixisse, quod inde discedens cui primum iuveni obvia fieret apud illum esset inventura mercedem, quam sibi credere deberet ab Hercule persolutam. Ac sic abeunti cum primus iuvenis ditissimus Tarutius occurrisset eamque dilectam secum diutius habuisset, illa herede defunctus est. Quae amplissimam adepta pecuniam, ne divinae mercedi videretur ingrata, quod acceptissimum putavit esse numinibus, populum Romanum etiam ipsa scripsit heredem, atque illa non comparente inventum est testamentum. Quibus meritis eam ferunt etiam honores meruisse divinos. Haec . . . a tanto auctore [Varrone] produntur. *Augustinus de civ. dei* 6, 7. *cfr. Plutarchus Romulo* 5. [Romae] verum nomen nemo vel in sacris enuntiat. Denique tribunus plebis quidam Valerius Soranus, ut ait Varro et multi alii, quia hoc nomen ausus est enuntiare, ut quidam dicunt raptus a senatu et in crucem levatus est, ut alii, metu supplicii fugit et in Sicilia comprehensus a praetore praecepto senatus occisus est. *Servius ad Verg. Aen.* 1, 281. 24. Ut affirmat Varro auctor diligentissimus, Romam condidit [non Hercules aut Arcades, sed] Romulus Marte genitus et Rhea Silvia vel, ut nonnulli, Marte et Ilia. Dictaque est primum Roma quadrata, quod ad aequilibrium foret posita: ea incipit a silva quae est in area Apollinis, et ad supercilium scalarum Caci habet terminum ubi tugurium fuit Faustuli. Ibi Romulus mansitavit, qui auspicato fundamenta murorum iecit, duodeviginti natus annos, XI Kal. Maias, hora post secundam ante tertiam plenam, sicut L. Tarutius prodidit mathematicorum nobilissimus, Iove in piscibus, Saturno Venere Marte Mercurio in scorpione, Sole in tauro, Luna in libra constitutis.

Digitized by Google

Et observatum deinceps, ne qua hostia Parilibus caederetur, ut dies iste a sanguine purus esset; cuius significationem de partu Iliae tractam volunt. *Solinus polyh.* 2. *cfr. Laurentius Lydus de mens.* 1, 14 *sec. cod. Vatic.* Lucius quidem Tarutius Firmanus, familiaris noster inprimis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam nostrae natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus, Romamque, in iugo cum esset luna, natam esse dicebat nec eius fata canere dubitabat. *Cicero de divinat.* 2, 47, 98. Urbem Romam ante diem XI Kal. Maias conditam esse, omnium opinione receptum est eumque diem festum Romani agunt, natalem urbis appellantes. Et ab initio quidem nihil animatum ad sacrificia adhibebant, diem patriae origini consecratum purum ac sine sanguine rati servari oportere. Quamquam iam antiquitus eo die pastores celebritatem agitabant, quae Palilia ab illis dicebantur. [Varro: Palilia tam privata quam publica sunt apud rusticos, ut congestis cum foeno stipulis ignem magnum transiliant, his Palilibus se expiari credentes. *Scholia ad Persium* 1, 72.] . . Illum autem diem, quo Romulus urbis fundamenta iecit, . . in tertium annum olympiadis sextae incidisse tradunt. Temporibus autem Varronis, philosophi et scriptoris antiquitatum Romanarum peritissimi, fuit Tarutius, familiaris eius et tum philosophiae tum mathematicae studiosissimus. Qui cum astrologicae disciplinae se dedidisset litterarum studio inductus et in ea arte excellere putaretur, ei Varro imposuit, ut Romuli natales in certum quendam diem atque horam constitueret, inspectisque eius vitae institutis ac rebus gestis, quemadmodum geometricarum quaestionum ratio fert, vitae initium exputaret: eiusdem enim doctrinae esse debere et cognitis nataliciis sideribus vitam praenuntiare et propositae vitae exordium inquirere. Recepit igitur Tarutius quaestionem a Varrone propositam et perspectis

Romuli moribus rebusque gestis, tum vitae tempore ac mortis genere, hisque omnibus una ratione comprehensis, fidenter admodum atque alacri vultu declaravit, Romulum in utero matris fuisse conceptum primo anno secundae olympiadis, eius mensis quem Choeac Aegyptii dicunt, die vicesimo tertio, hora tertia, qua sol omnino defecit; in lucemque editum mensis Thoth die primo et vicesimo; denique urbis Romae fundamenta ab eo iacta esse die nono Pharmuthi mensis inter secundam et tertiam eius diei horam. *Plutarchus in Romulo* 12. Varro . . . libro Antiquitatum XVIII ait, fuisse Vettium Romae in augurio non ignobilem, ingenio magno, cuivis doctiori in disceptando parem; eum se audisse dicentem: si ita esset, ut traderent historici de Romuli urbis condendae auguriis ac XII vulturiis, quoniam CXX annos incolumis praeteriisset populus Romanus, ad mille et ducentos perventurum. *Censorinus* 17, 15. 25. Varro . . de vita populi Romani libro I: hanc deam Aelius putat esse Cererem, sed quod in asylum qui confugisset panis daretur, esse nomen fictum a pane dando [Pandam.] *Nonius p.* 44, 7. In constituenda a Romulo civitate illud memorabile duco, quod tot sacerdotes ac deorum ministros instituit. Nam praeter gentilicia sacerdotia illo regnante qui publice tributim et curiatim sacra pro civitate facerent designati sunt sexaginta (auctorem sequor Terentium Varronem in Antiquitatibus, virum aetatis suae doctissimum) . . e singulis curiis bini, annum egressi quinquagesimum, qui et generis nobilitate et virtute excellerent opesque haberent satis amplas et integro essent corpore. *Dionysius Halic.* 2, 21. 26. Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificii, *τάλαρον* id est quasillum, inde enim solitum appellari talassionem. At [alii aiunt] Talassium nomine virum rapta virgine unicae pulchritudinis, quod ei id coniugium fuerit felix, boni ominis gratia nunc redintegrari. *Festus lib.* 19 *s. v. ta-*

Digitized by Google

lassionem. Varro dicit Romulum dimicantem contra T. Tatium a Lucumonibus, hoc est Tuscis, auxilia postulasse; unde quidam venit cum exercitu, cui recepto iam Tatio pars urbis est data, unde in urbe Tuscus dictus est vicus. *Servius ad Verg. Aen.* 5, 560. *cfr. Varro de L. L.* 5, 46. De honoribus, quos mulieribus Sabinis ob navatam in reconcilianda pace operam Romulus et Tatius tribuerunt, non inter omnes Romanorum scriptores convenit. Sunt enim qui scribant, . . triginta quas diximus curias illarum accepisse nomina, quod totidem in legatione fuissent. Sed Terentius Varro hac in re ab iis dissentit, docens iam antea nomina curiis a Romulo fuisse imposita, cum primum distribueret multitudinem, partim a ducum nominibus partim ab universorum patria desumpta; nec in legationem profectas XXX, sed DXXVII; nec putat consentaneum reges eum honorem tantae mulierum catervae ademptum exiguo numero tributuros fuisse. *Dionysius Halic.* 2, 47. Varro dicit in gente populi Romani Sabinos a Romulo susceptos istum accepisse montem, quem ab Avente fluvio provinciae suae appellaverunt Aventinum. *Servius ad Verg. Aen.* 7, 657. 27. Opima spolia dicta ait Varro ab eo quod rem familiarem opem dicunt. *Plutarchus in Romulo* 16. Opima spolia dicuntur, . . . quae dux populi Romani duci hostium detraxit; quorum tanta raritas est, ut intra annos paulo *minus DXXX tantum* trina contigerint nomini Romano: una quae Romulus de Acrone, altera quae consul Cossus Cornelius de Tolumnio, tertia quae M. Marcellus Iovi Feretrio de Viridomaro fixerunt. M. Varro ait opima spolia esse etiam, si manipularis miles detraxerit, dummodo duci hostium *ea detraxerit . . . Quod autem omnia spolia solita* non sint ad aedem Iovis Feretri poni, testimonio esse libros pontificum, in quibus sit: pro primis spoliis bove, pro secundis solitaurilibus, pro tertiis agno publice fieri debere. Esse etiam Pom-

pili regis legem opimorum spoliorum talem: Cuius auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Iovi Feretrio bovem caedito, qui cepit, CCC darier oportet; secunda spolia, in Martis aram in Campo solitaurilia utra voluerit caedito, qui cepit, ei aeris CC dato; tertia spolia, Ianui Quirino agnum marem caedito, C qui ceperit ex aere dato; cuius auspicio capta, dis piaculum dato. *Festus lib.* 14 *s. v. opima.* 28. Varro pro rostris (post rostra) fuisse sepulcrum Romuli dicit, ubi etiam in huius rei memoriam duos leones erectos fuisse constat; unde factum est, ut pro rostris mortui laudarentur. *Scholia ad Horat. Epod.* 16, 13. 29. Varro simplicia in Italia fuisse nomina ait, existimationisque suae argumentum refert, quod Romulus et Remus et Faustulus neque praenomen ullum neque cognomen habuerunt. Qui ab eo dissentiunt, aiunt matrem eorum Ream Silviam vocatam, avum Silvium Numitorem, fratrem eius Amulium Silvium, et superiores Albanorum reges Capetum Silvium, Agrippam Silvium . . In hunc modum Varronis sententia subruitur . . . Gentilicia nomina Varro putat fuisse numero mille, praenomina circa triginta . . Ancum praenomen Varro a Sabinis translatum putat. *C. Titius Probus vel Iulius Paris ad calcem Valerii Maximi.* Quorum in nascendo non caput, sed pedes primi extiterant, qui partus difficillimus aegerrimusque habetur, Agrippae appellati, vocabulo ab aegritudine et pedibus conficto. Esse autem pueros in utero Varro dicit capite infimo nixos, sursum pedibus elatis, non ut hominis natura est, sed ut arboris; nam pedes cruraque arboris appellat ramos, caput stirpem atque caudicem. Quando igitur, inquit, contra naturam forte conversi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri solent, aegriusque tunc mulieres enituntur. Huius periculi deprecandi gratia arae statutae sunt Romae duabus Carmentibus, quarum altera Postverta cognominata est, Prosa altera a recti perversique partus

Digitized by Google

et potestate et nomine. *Gellius* 16, 16. Terentinae oves vel nuces a tereno, quod est Sabinorum lingua molle, unde Terentios quoque dictos putat Varro ad Libonem primo. *Favorinus apud Macrob. Sat.* 2, 14. Varro, cum de suo cognomine disputaret, ait eum qui primus Varro sit appellatus, in Illyrico hostem Varronem nomine quod rapuerat et ad suos portaverat, ex insigni facto meruisse. *Servius ad Verg. Aen.* 11, 743. 30. Annum vertentem Romae Licinius quidem Macer et postea Fenestella statim ab initio duodecim mensum fuisse scripserunt, sed magis Iunio Gracchano et Fulvio et Varroni et Suetonio aliisque credendum, qui decem mensum putaverunt fuisse, ut tunc Albanis erat, unde orti Romani. Hi decem menses dies CCCIV . . habebant . . . Postea sive a Numa, ut ait Fulvius, sive ut Iunius a Tarquinio XII facti sunt menses et dies CCCLV. *Censorinus* 20, 2—4. Varro Epistolicarum quaestionum: inter mensem Februarium, qui tunc esset extremus et inter Kalendas Martias, quae tunc erant primae, ait, annum novum voluerunt esse, primum mensem Martium. Et alibi: maiores Martium primum habuerunt, Aprilis vero dictus est quasi terras tepore aperiens, Maius a Maia, Iunius a Iunone, (quamquam alii a maioribus et iunioribus hos duos menses velint esse nominatos, nam antea populus Romanus in centurias iuniorum et seniorum divisus fuerat) reliqui iam a numero nominabantur: Quintilis, Sextilis, September, October, November, December. Et hi erant tantum decem menses; duo vero propter rationem signorum anni intercalabantur, qui postea a Iano et a Februo nominati sunt; Februus autem est Dis pater, cui eo mense sacrificabatur. *Servius ad Verg. Georg.* 1, 43. Nomina decem mensibus antiquis Romulum fecisse Fulvius et Iunius auctores sunt, et quidem duos primos a parentibus suis nominasse, Martium a Marte patre, Aprilem ab Aphrodite id est Venere, unde maiores eius oriundi

dicebantur; proximos duos a populo, Maium a maioribus natu, Iunium a iunioribus; ceteros ab ordine quo singuli erant, Quintilem usque ad Decembrem perinde a numero. Varro autem Romanos a Latinis nomina mensum accepisse arbitratur; auctores eorum antiquiores quam urbem fuisse satis argute docet. Itaque Martium mensem a Marte quidem nominatum credit, non quia Romuli fuerit pater, sed quod gens Latina bellicosa; Aprilem autem non ab Aphrodite, [Cincio etiam Varro consentit affirmans nomen Veneris ne sub regibus quidem apud Romanos vel Latinum vel Graecum fuisse, et ideo non potuisse mensem a Venere nominari. *Macrobius Saturn.* 1, 12.] sed ab aperiendo, quod tunc fere cuncta gignantur et nascendi claustra aperiat natura; Maium vero non a maioribus, sed a Maia nomen accepisse, quod eo mense tam Romae quam antea in Latio res divina Maiae fit et Mercurio [Neque iniuria Varro ei deae hunc mensem attribuit etc. *Laur. Lydus de mens.* 4, 52.] Iunium quoque a Iunone potius quam iunioribus, quod illo mense maxime Iunoni honores habentur. Quintilem, quod loco iam apud Latinos fuerit quinto; [Varro in Ephemeride: postea honoris virtutum causa Iulii Caesaris, qui fastus correxit, mensis Iulius appellatus est. *Priscianus* 6, 14, 72.] item Sextilem ac deinceps ad Decembrem a numeris appellatos. Ceterum Ianuarium et Februarium postea quidem additos, sed nominibus iam ex Latio sumptis, et Ianuarium ab Iano, cui adtributus est, nomen traxisse, Februarium a februo. Est februum quidquid expiat purgatque, et februamenta purgamenta, item februare purgare et purum facere. Februum autem non idem usquequaque dicitur, nam aliter in aliis sacris februatur, hoc est purgatur. In hoc autem mense Lupercalibus, cum Roma lustratur, salem calidum ferunt, quod februum appellant, unde dies Lupercalium proprie februatus et ab eo porro mensis Februarius

Digitized by Google

vocitatur. *Censorinus* 22, 9—15. Februum Sabini purgamentum, et id in sacris nostris verbum; nam et Lupercalia februatio, ut in Antiquitatum libris demonstravi. *Varro de L. L.* 6, 13. 31. Duodecim Salios a Numa institutos dicunt, qui secundum Romanorum mensium numerum Ianum canerent. Eum Varro Rerum divinarum libro XIV mundum apud Etruscos dici ait et omnium rerum gerendarum praesidem et Popanonem a popano, id est a Ianuali libo, quod Kalendis Iano libatur. *Laur. Lydus de mens.* 4, 2. Varro libro V Rerum divinarum scribit Iano duodecim aras pro totidem mensibus dedicatas. *Macrobius Saturn.* 1, 9. Sunt autem Salii Martis et Herculis, quoniam Chaldaei stellam Martis Herculem dicunt. Quos Varro sequitur. *Servius ad Verg. Aen.* 8, 285. Ita Menippea Varronis affirmat, quae inscribitur *Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς*, in qua cum de Hercule multa loqueretur, eundem esse ac Martem probavit. *Macrobius Saturn.* 3, 12. Faba . . hebetare sensus existimatur, insomnia quoque facere; ob haec Pythagorica sententia damnatur. Ut alii tradidere, quoniam mortuorum animae sint in ea, qua de causa parentando utique assumitur. Varro et ob haec flaminem ea non vesci tradit, et quoniam in flore eius litterae lugubres reperiantur. *Plinius nat. hist.* 18, 12, 119. 32. Limitum prima origo, sicut Varro descripsit, a disciplina Etrusca, quod Aruspices orbem terrarum in duas partes diviserunt: dextram appellaverunt quae septentrioni subiaceret, sinistram quae ad meridianum terrae esset, ab oriente ad occasum, quod eo sol et luna spectaret, sicut quidam architecti delubra in occidentem recte spectare scripserunt. Aruspices altera linea ad septentrionem a meridiano diviserunt terram, et a media ultra Antica, citra Postica nominaverunt. Ab hoc fundamento maiores nostri in agrorum mensura videntur constituisse rationem. *Ex libro Frontini secundo p.* 27 *Lachm.* Varro Rhetoricorum libro XX: eo die

cis Tiberim redeundum est, quod de caelo auspicari ius nemini sit praeter magistrum. *Nonius p.* 92, 11. 33. Insignia magistratuum ab Tuscis sumpta Numa rex in civitatem introduxit, sicut et arma atque tela militaria ab Gallis. Testes sunt huius rei Capito et Fonteius, e quibus etiam Varro doctissimus, post quos Salustius ille historicus in prima historia luculenter docet. *Laur. Lydus de magistr. praef. cfr. supra p.* 34, 21. 34. Sicut apud eundem Varronem legitur in libro de Cultu deorum, Terentius quidam cum haberet ad Ianiculum fundum et bubulcus eius iuxta sepulcrum Numae Pompilii traiiciens aratrum eruisset ex terra libros eius, ubi sacrorum institutorum scriptae erant causae, in urbem pertulit ad praetorem. At ille cum inspexisset principia, rem tantam detulit ad senatum. Ubi cum primores quasdam causas legissent, cur quidque in sacris fuerit institutum, Numae mortuo senatus assensus est eosque libros, tamquam religiosi, patres conscripti praetor ut combureret censuerunt. *Augustinus de civ. dei* 7, 34. Varro . . Manio: quod dum administrant, in scrobe fodiendo inveniunt arcam. *Nonius p.* 225, 10. *cfr. supra p.* 294, 15. Numa Pompilius quid molitus sit et quibus artibus deos tales sibi vel civitati consociare potuerit, Varro prodit. *Augustinus de civ. dei* 3, 9. Numa . . hydromantian [fecit,] ut in aqua videret imagines deorum, . . a quibus audiret quid in sacris constituere atque observare deberet. Quod genus divinationis idem Varro a Persis dicit allatum, [Varro autem quattuor genera divinationum dicit: terram, aerem, aquam, ignem, hinc geomantian, aeromantian, hydromantian, pyromantian. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 359. *Isidorus orig.* 8, 9, 12.] qua et ipsum Numam et postea Pythagoram philosophum usum fuisse commemorat, (ubi adhibito sanguine etiam inferos perhibet sciscitari et necromantian graece dicit vocari, . . ubi videntur mortui divinare) . . Quod ergo aquam egesserit id est expor-

Digitized by Google

taverit Numa Pompilius unde hydromantian faceret, ideo nympham Egeriam coniugem dicitur habuisse, quemadmodum in supra dicto libro Varronis exponitur . . In illa igitur hydromantia curiosissimus ille rex Romanus et sacra didicit, quae in libris suis pontifices haberent, et eorum causas, quas praeter se neminem scire voluit. *Augustinus de civ. dei* 7, 35. 35. Oppius [mons] appellatus est, ut ait Varro Rerum humanarum libro VIII, ab Opitre Oppio Tusculano, qui cum praesidio Tusculanorum missus ad Romam tuendam, dum Tullus Hostilius Veios oppugnaret, consederat in Carinis et ibi castra habuerat. Similiter Cispium a Laevio Cispio Anagnino, qui eiusdem rei causa eam partem Esquiliarum, quae iacet ad vicum Patricium versus, in qua regione est aedis Mefitis, tuitus est. *Festus lib.* 19 *s. v. Septimontio.* Varro de vita P. R. libro I: Mettum Fufetium propter perfidiam interemit paene imperiosius quam humanius, nam equis ad curriculum ex utraque parte deligatum distraxit. *Nonius p.* 287, 19. Varro de vita P. R. libro I: Tullum Hostilium in Velis ubi nunc est aedis deum Penatium, Ancum in Palatio ad portam Mugionis secundum viam sub sinistra. *Nonius p.* 531, 22. *cfr. Solinus polyh.* 2. 36. Temporibus priscis . . pro Marte Romanos hastam [coluisse] Varronis indicant musae, cum ad hanc pessimam statuarum fingendarum elegantiam nondum processissent artifices. *Clemens Alexandrinus protrept. p.* 40 *Potter. Arnobius adv. gentes* 6, 11. Dicit etiam idem auctor acutissimus atque doctissimus, . . antiquos Romanos plus annos CLXX deos sine simulacro coluisse. Quod si adhuc, inquit, mansisset, castius dii observarentur. Cui sententiae suae testem adhibet inter cetera etiam gentem Iudaeam, nec dubitat eum locum ita concludere ut dicat, qui primi simulacra deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis et metum dempsisse et errorem addidisse. *Augustinus de civ. dei* 4, 31, 2.

M. Varro tradit, . . . elaboratam plasticen artem Italiae et maxume Etruriae, et Volcanium Veiis accitum, cui locaret Tarquinius Priscus Iovis effigiem in Capitolio dicandam; fictilem eum fuisse et ideo miniari solitum; fictilis in fastigio templi eius quadrigas, de quibus saepe diximus. Ab hoc eodem factum Herculem qui hodieque materiae nomen in urbe retinet. Hae enim tum effigies deorum erant laudatissimae; nec paenitet nos illorum, qui talis eos coluere; aurum enim et argentum ne dis quidem conficiebant. *Plinius nat. hist.* 35, 12, 157. Varro de vita P. R. libro I: quid inter hos Ioves intersit et eos, qui ex marmore, ebore, auro nunc fiunt, potes animo advertere et horum temporum divitias et illorum paupertates. *Nonius p.* 162, 17. 37. Sibyllas plurimi et maximi auctores tradiderunt, Graecorum Aristo Chius et Apollodorus Erythraeus, nostrorum Varro et Fenestella. Hi omnes praecipuam et nobilem praeter ceteras Erythraeam fuisse commemorant. *Lactantius de ira dei* 22, 5. Sibyllas autem Varro prodidit plures fuisse, non unam. *Augustinus de civ. dei* 18, 23, 1. Multae autem fuerunt, ut supra diximus, quas omnes Varro commemorat [in libris Rerum divinarum], et requirit a qua sint fata Romana conscripta. Et multi sequentes Virgilium ob hoc Cumanam dicunt. At quae licet longaeva legatur, tamen non valde congruit eam usque ad Tarquinii tempora durasse, cui Sibyllinos libros constat oblatos. Ducitur tamen Varro ut Erythraeam credat scripsisse, quia post incensum Apollinis templum in quo fuerant, apud Erythram insulam [in Asia] ipsa inventa sunt carmina. *Servius ad Verg. Aen.* 6, 36. Varro decem Sibyllas fuisse tradit, primam de Persis, secundam Libyssam, tertiam Delphida, quartam Cimmeriam, quintam Erythraeam, sextam Samiam, septimam Cumanam, octavam Hellespontiam, nonam Phrygiam, decimam Tiburtem, cui sit nomen Albuneae. Ex his omnibus Cumanae

Digitized by Google

solius tres esse libros qui Romanorum fata contineant et habeantur arcani; ceterarum autem fere omnium singulos extare haberique vulgo, sed eos Sibyllinos velut uno nomine inscribi; nisi quod Erythraea, quae Troici belli temporibus fuisse perhibetur, nomen suum verum posuit in libro, aliarum confusi sunt. Hae omnes, de quibus dixi, Sibyllae praeter Cymaeam, quam legi nisi a Quindecimviris non licet, unum deum esse testantur. *Lactantius epitome* 5, 1. 2. His testimoniis quidam revicti solent eo confugere, ut aiant non esse illa carmina Sibyllina, sed a nostris conficta atque composita. Quod profecto non putabit qui Ciceronem Varronemque legerit aliosque veteres, qui Erythraeam Sibyllam ceterasque commemorant. *Lactantius institut.* 4, 15, 26. In foliis autem palmarum Sibyllam scribere solere testatur Varro. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 444. Ut Varro dicit, in foliis palmae interdum notis, interdum scribebant sermonibus. *Servius ad Verg. Aen.* 6, 74. Auctor est M. Varro, . . in palmarum foliis primo scriptitatum. *Plinius nat. hist.* 13, 11, 68. M. Varro, quo nemo umquam doctior ne apud Graecos quidem vixit, in libris Rerum divinarum, quos ad C. Caesarem pontificem maximum scripsit, cum de Quindecimviris loqueretur, [liber quartus est de Quindecimviris sacrorum. *Augustinus de civ. dei* 6, 3.] Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllae, sed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes feminae vates Sibyllae sunt a veteribus nuncupatae, vel ab unius Delphidis nomine vel a consiliis deorum enuntiandis. *Σιοὺς* enim deos non *θεούς*, et consilium non *βουλὴν* sed *βυλὴν* [bulean] appellabant Aeolico genere sermonis, itaque Sibyllam dictam esse quasi *θεοβούλην*. Ceterum Sibyllas decem numero fuisse, easque omnes enumeravit sub auctoribus, qui de singulis scriptitarunt. *Lactantius institut.* 1, 6, 7. Sibylla appellativum est nomen, adeo ut Varro quot Sibyllae fuerint scripserit. Sibylla autem dicitur omnis

puella, cuius pectus numen recipit. Nam Aeoli σίους dicunt deos, βουλὴ autem est sententia, ergo σιβύλλας quasi σίου βουλὰς dixerunt. *Servius ad Verg. Aen.* 3, 445. Quid referam Sibyllas, Erythraeam atque Cumanam et octo reliquas? (nam Varro decem fuisse autumat) quarum insigne virginitas est et virginitatis praemium divinatio. Quodsi Aeolici genere sermonis Sibylla θεοβούλη appellatur, recte consilium dei sola scribitur nosse virginitas. *Hieronymus adv. Iovinianum* 1, 41. Varro consilia non βουλὰς sed βόλλας ait Aeoles dicere. *Plutarchus quaest. roman.* 101. Primam fuisse de Persis, cuius mentionem fecerit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secundam Libyssam, cuius meminit Euripides in Lamiae prologo. Tertiam Delphida, de qua Chrysippus loquitur in eo libro quem de divinatione composuit. Quartam Cimmeriam in Italia, quam Naevius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat. Quintam Erythraeam, quam Apollodorus Erythraeus affirmat suam fuisse civem eamque Graiis Ilium petentibus vaticinatam, et perituram esse Troiam et Homerum mendacia scripturum. Sextam Samiam, de qua scripsit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse se scriptum. Septimam Cumanam nomine Amaltheam, quae ab aliis Demophile vel Herophile nominatur; eamque novem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum ac pro eis CCC philippeos postulasse; regemque aspernatum pretii magnitudinem derisisse mulieris insaniam; illam in conspectu regis tres combussisse ac pro reliquis idem pretium poposcisse; Tarquinium multo magis mulierem insanire putasse. Quae denuo tribus aliis exustis cum in eodem pretio perseveraret, motum esse regem ac residuos trecentis aureis emisse. *Lactantius institut.* 1, 6, 8—10. Sibyllina responsa, de quibus supra diximus, incertum est cuius Sibyllae fuerint; quamquam Cumanam Virgilius dicat, Varro Erythraeam esse. Constat autem,

Digitized by Google

regnante Tarquinio quandam mulierem, quae se Amaltheam diceret, obtulisse ei novem libros . . . et pro his poposcisse trecentos philippeos etc. *Servius ad Verg. Aen.* 6, 72. Regnante Tarquinio Prisco mulier quaedam Amalthea nomine etc. *Laur. Lydus de mens.* 4, 34. *Herophilen Erythraeam commemorant multi. Erythraeam et Cumanam eandem dicunt Auctor mirab. auscult.* 95. *Servius ad Verg. Aen.* 6, 321. *Marcianus Capella lib.* 2 *med. Cumanam Demo novit Hyperochus apud Pausaniam* 10, 12, 4. Tarquinius duos e civibus viros nobiles elegit, additis duobus ministris publicis, iisque horum librorum custodiam tradidit. Sed alterum M. Tullium, quod mala fide egisse videbatur, ab uno ministrorum tamquam parricidii delatum culeo bubulo insutum in mare abiici iussit. [*cfr. Valerius Maximus* 1, 1, 13.] . . . Hi libri manserunt incolumes usque ad bellum Marsicum in templi Iovis Capitolini cella subterranea, inclusi in arca lapidea, a decemviris asservati. Sed cum Capitolium sive privata fraude, ut quidam existimant, sive casu concremaretur, cum aliis donariis Iovis hi quoque libri igne absumpti sunt. Nam qui nunc extant, e multis locis comportati sunt, allati partim ex Italicis urbibus, partim Erythris in Asia arcessiti per legatos senatus consulto illuc missos ad describendum, partim ex aliis oppidis et a privatis hominibus collecti. Et sunt in his nonnulla Sibyllinis immixta, quae artificio illo, quae ἀκροστιχὶς dicitur, deprehenduntur. Dico autem quae Terentius Varro exposuit in suis Rerum divinarum libris. *Dionysius Halicarn.* 4, 62. *cfr. Cicero de divinat.* 2, 54, 111. [tres libros] quorum postea numerus sit auctus Capitolio refecto, quod ex omnibus civitatibus et Italicis et Graecis et praecipue Erythris coacti allatique sint Romam, cuiuscumque Sibyllae nomine fuerint. *Lactantius institut.* 1, 6, 11. 14. *cfr. de ira* 22, 6. *Tacitus annal.* 6, 12. Octavam Hellespontiam, in agro Troiano natam vico

Marmesso circa oppidum Gergitium, quam scribit Heraclides Ponticus Solonis et Cyri fuisse temporibus; nonam Phrygiam, quae vaticinata sit Ancyrae; decimam Tiburtem nomine Albuneam, quae Tiburi colatur ut dea iuxta ripas amnis Anienis, cuius in gurgite simulacrum eius inventum esse dicitur tenens in manu librum, cuius sortes senatus in Capitolium transtulerit. *Lactantius institut.* 1, 6, 12. 38. Idem in Annali: nummum argenteum flatum primum a Servio Tullio dicunt; is quatuor scriptulis maior fuit quam nunc est. *Charisius* 1, 18, 29. 39. Varro de vita P. R. lib. I: et extra urbem in regiones XXVI agros viritim liberis adtribuit. *Nonius p.* 43, 9. *Romuliam tribum appel*latam Terentius quidem *Varro ait a Romulo*, deinde detortam voc*alem u in i* credibile. *Festus lib.* 17 *s. v. Romulia.* Sic reliquae triginta ab his rebus, quibus in Tribuum libro scripsi. *Varro de L. L.* 5, 56. 40. Pro censu classis iuniorum Ser. Tullius cum dixit in descriptione centuriarum, accipi debet in censu, ut ait M. Varro in lib. VI Rerum humanarum, sicuti pro aede Castoris, pro tribunali, pro testimonio. *Festus lib.* 16 *s. v. Pro censu.* Praerogativae centuriae dicuntur, ut docet Varro Rerum humanarum l. VI, quo rustici Romani, qui ignorarent petitores, facilius eos animadvertere possent. *Festus lib.* 16 *s. v. Praerogativae.* 41. Equites apud veteres flexutes vocabantur, sicut ait Varro Rerum humanarum. *Servius ad Verg. Aen.* 9, 606. De trossulis *Nonius p.* 49, 2. De equitibus pedariis *Gellius* 3, 18, 5. Varro turmam XXXVI equites posuit. *Servius ad Verg. Aen.* 11, 502. 42. A Servio Tullio et nundinas institutas, Varroni placet. *Macrobius Saturn.* 1, 13. Varro dicit antiquos nundinas feriatis diebus instituisse, quo facilius commercii causa ad urbem rustici commearent. *Servius ad Verg. Georg.* 1, 275. Geminus ait diem nundinarum exactis iam regibus coepisse celebrari, quia plerique de plebe

Digitized by Google

repetita Servii Tullii memoria parentarent ei in nundinis; cui rei etiam Varro consentit. *Macrobius Saturn.* 1, 16. 43. Lanam in colu et fuso Tanaquilis, quae eadem Caia Caecilia vocata est, in templo Sangi durasse prodente se auctor est M. Varro, factamque ab ea togam regiam undulatam in aede Fortunae, qua Servius Tullius fuerat usus. Inde factum ut nubentes virgines comitaretur colus compta et fusus cum stamine. *Plinius nat. hist.* 8, 48, 194. *Nonius p.* 189, 24. 44. Fuit in Sabinis cuidam Antroni Coratio vacca praecipuae magnitudinis et eximiae formae. Is monitus a vate quodam, fore ut quisquis eam Dianae in Aventino immolasset, eius patria summam potestatem totiusque Italiae imperium obtineret, Romam se contulit bovis ibi mactandae gratia. Regius autem quidam servus Servio clam id vaticinium aperuit et rex Cornelio sacerdoti indicavit. Tum Cornelius Antroni mandavit, ne prius victimam caederet quam Tiberis aqua se abluisset; sic enim fas esse bene litaturo. Itaque ille lotum abiit; interim Servius occasionem immolandae vaccae in honorem Dianae praecepit mactataeque cornua templo affixit. Hoc et Iuba narrat et Varro, nisi quod Antronis nomen Varro non prodidit, deceptumque Sabinum hominem non a Cornelio sacerdote dicit, sed ab aedituo. *Plutarchus quaest. Rom.* 4. Varro in VII Divinarum . . : inter duas filias regum quid mutet, inter Antigonam et Tulliam est animadvertere. *Gellius* 18, 12, 9. 45. Varro libro sexto, qui est de sacris aedibus, scribit aedem Saturni ad forum faciendam locasse L. Tarquinium regem, Titum vero Larcium dictatorem Saturnalibus eam dedicasse. *Macrobius Saturn.* 1, 8. Regnante Superbo Tarquinio . . ludi diis inferis instituti et Taurii vocati sunt . . *Sed Taurios* ludos Varro ait vocari, quod *eis ludis discipu*lus pendens a doctore in cr*udo corio tauri* solitus sit impelli atque us*que eo inibi cogi* docere, quoad consisteret

atque virtute talorum constaret pedum *firmitas. Paulus et Festus lib.* 19 *s. v. Taurii.* Varro de vita P. R. lib. I: etiam pellis bubulas oleo perfusas percurrebant ibique cernuabant, a quo ille versus vetus est in carminibus: Sibi pastores ludos faciunt coriis Consualia. *Nonius p.* 21, 6. Varro de Scenicis originibus libro primo ita scriptum reliquit: cum multa portenta fierent et murus ac turris, quae sunt inter portam Collinam et Esquilinam, de caelo tacta essent et ideo libros Sibyllinos XVviri adissent, renuntiarunt uti Diti patri et Proserpinae ludi Tarentini in campo Martio fierent tribus noctibus et hostiae furvae immolarentur, utique ludi centesimo quoque anno fierent. *Censorinus* 17, 8 *Iahn. cfr. Val. Maximus* 2, 4, 5. Varro Rerum humanarum lib. XX: omnis Tarquinios eicerent, ne quam reditionis per gentilitatem spem haberent. *Nonius p.* 222, 18. 46. [Labyrinthum] fecit sibi Porsina rex Etruriae sepulchri causa . . . Sed cum excedat omnia fabulositas, utemur ipsius M. Varronis in expositione verbis: Sepultus sub urbe Clusio, in quo loco monimentum reliquit lapide quadrato quadratum, singula latera pedum trecenum, alta quinquagenum, in qua basi quadrata intus labyrinthum inextricabilem, quo si quis introierit sine glomere lini, exitum invenire nequeat. Supra id quadratum pyramides stant quinque, quattuor in angulis et in medio una, imae latae pedum quinum septuagenum, altae centenum quinquagenum, ita fastigatae ut in summo orbis aeneus et petasus unus omnibus sit impositus, ex quo pendeant exapta catenis tintinabula, quae vento agitata longe sonitus referant, ut Dodonae olim factum. Supra quem orbem quattuor pyramides, quarum singulae insuper singulas stant, altae pedum centenum. Supra quas uno solo quinque pyramides, quarum altitudinem Varronem puduit adicere. *Plinius nat. hist.* 36, 13, 91—93. 47. L. Sicinii Dentati . . opera honoresque operum . . certi

Digitized by Google

auctores, inter quos M. Varro, monimentis suis testata esse voluerunt. Quem centies et vicies in aciem descendisse tradunt, . . sex et triginta spolia ex hoste retulisse, quorum in numero octo fuisse cum quibus inspectante utroque exercitu ex provocatione dimicasset; XIV cives ex media morte raptos servasse, quinque et XL vulnera pectore excepisse, tergo cicatricibus vacuo; novem triumphales imperatorum currus secutum . . Praeferebantur aureae coronae octo, civicae XIV, murales tres, obsidionalis una, torques CLXXXIII, armillae CLX, hastae XVIII, phalerae XXV. *Valerius Maximus* 3, 2, 24. Varro scripsit Sitium Dentatum centies et vicies pugnasse singulari certamine; cicatrices habere econtra quadraginta quinque, post tergum nullam; coronas accepisse XXVI, armillas CXL, et istum primum sacrum fecisse Marti. *Planciades Fulgentius expos. serm. ant. p.* 560, 33.

48. Hippocrates, . . cum fuisset mos liberatos morbis scribere in templo [Aesculapii] quid auxiliatum esset, ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur atque, ut Varro apud nos credit, templo cremato instituisse medicinam hanc, quae clinice vocatur. *Plinius nat. hist.* 29, 1, 4. 49. Euripidem . . M. Varro ait, cum quinque et septuaginta tragoedias scripserit, in quinque solis vicisse, cum eum saepe vincerent aliquot poetae ignavissimi. *Gellius* 17, 4, 3. 50. Phidias . . Alcamenen Atheniensem . . docuit . . , eiusdem discipulus fuit Agoracritus Parius . . Certavere autem inter se ambo discipuli Venere facienda, vicitque Alcamenes non opere sed civitatis suffragiis contra peregrinum suo faventis. Quare Agoracritus ea lege signum suum vendidisse traditur ne Athenis esset, et appellasse Nemesim; id positum est Rhamnunte pago Atticae, quod Varro omnibus signis praetulit. *Plinius nat. hist.* 36, 5, 17. 51. M. Manlius . . convictus est consilium de regno occu-

pando inisse damnatusque capitis saxo Tarpeio, ut M. Varro ait, praeceps datus. *Gellius* 17, 21, 24. 52. Verba posui Varronis e libro Rerum humanarum primo, cuius principium hoc est: Praxiteles, qui propter artificium egregium nemini est paulum modo humaniori ignotus. *Gellius* 13, 16, 3. *Nonius p.* 52, 17. 53. Varro ad Atticum de vita P. R. lib. I: neque ille Callicles, quaternum digitum tabellis nobilis cum esset factus, tamen in pingendo ascendere potuit ad Eufranoris altitudinem. *Charisius* 1, 21, 70. 54. In libro M. Varronis, qui inscriptus est Orestes vel de insania, Olympiadem Philippi uxorem festivissime rescripsisse legimus Alexandro filio. Nam cum is ad matrem ita scripsisset: Rex Alexander Iovis Hammonis filius Olympiadi matri salutem dicit, Olympias ei rescripsit ad hanc sententiam: amabo, inquit, mi fili quiescas, neque deferas me neque criminere adversum Iunonem; malum mihi prorsum illa magnum dabit, cum tu me litteris tuis pellicem illi esse confiteris. *Gellius* 13, 4. 55. Varro Hebdomadum sub imagine Demetri: hic Demetrius estcatus [*statuas*?] quot luces habet annus absolutus. *Nonius p.* 528, 26. *cfr. Plinius nat. hist.* 34, 6, 27. 56. [Chartam] Alexandri Magni victoria repertam auctor est M. Varro, condita in Aegypto Alexandria, antea non fuisse chartarum usum. In palmarum foliis primo scriptitatum, deinde quarundam arborum libris, postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox et privata linteis confici coepta aut ceris. Pugillarium enim usum fuisse etiam ante Troiana tempora invenimus apud Homerum. Illo vero prodente, ne terra quidem ipsa, quae nunc Aegyptus, intelligitur (cum in Sebennytico saltem eius nomo nonnisi charta nascatur) postea adaggerata Nilo; siquidem a Pharo insula, quae nunc Alexandriae ponte iungitur, noctis dieique velifico navigii cursu terram fuisse prodidit. Mox aemulatione circa bibliothecas Ptolemaei

Digitized by Google

et Eumenis supprimente chartas Ptolemaeo idem Varro membranas Pergami tradidit repertas. *Plinius nat. hist.* 13, 11, 68 *sqq. cfr.* 13, 13. 57. Legamus Varronis de Antiquitatibus libros et Sinnii Capitonis et Graecum Phlegonta ceterosque eruditissimos viros, et videbimus paene omnes insulas et totius orbis litora terrasque mari vicinas Graecis accolis occupatas, qui, ut supra diximus, ab Amano et Tauro montibus omnia maritima loca usque ad oceanum possedere Britannicum. *Hieronymus comment. in Genesin, t.* 3 *p.* 135 *Erasm.* Massiliam Phocaei condiderunt, quos ait Varro trilingues esse, quod et Graece loquantur et Latine et Gallice. *Hieronymus comment. in ep. ad Galatas lib. II prooem. cap.* 3. *Isidorus* 15, 1. *Scholia ad Lucan.* 3, 339. Varro cum de parte orbis, quae Europa dicitur, dissereret, in tribus primis eius terrae fluminibus Rhodanum esse ponit [cum Histro, *puto, ac Rheno.*] *Gellius* 10, 7, 2. Pessinus Galatiae urbs etc. *supra p.* 377, 1. M. Varro cunctarum antiquitatum diligentissimus perscrutator et ceteri qui eum imitati sunt, multa super [Galatarum] gente et digna memoria tradiderunt. *Hieronymus comment. in ep. ad Galatas lib. II. prooem. cap.* 3. In universam Hispaniam M. Varro pervenisse Hiberos et Persas et Phoenicas Celtasque et Poenos tradit; lusum enim Liberi patris aut lyssam cum eo bacchantium nomen dedisse Lusitaniae, et Pana praefectum eius universae. At quae de Hercule ac Pyrene vel Saturno traduntur, fabulosa inprimis arbitror. *Plinius nat. hist.* 3, 1, 8. *cfr. Salustius Iug.* 18. *Plutarchus de flumin.* 16, 3. 58. Varro Gerontodidascalo: Manius Curius consul Capitolio cum dilectum haberet, nec citatus in tribu civis respondisset, vendidit tenebrionem. *Nonius p.* 19, 11. 59. M. Varro primum [solarium horologium] statutum in publico secundum Rostra in columna tradit bello Punico primo a M. Valerio Messala consule, Catina capta in Sicilia depor-

tatum inde. *Plinius nat. hist.* 7, 60, 214. Varronem autem tradere M. Valerio, quia saepius vicerat, aedes in Palatio tributas, Lucius Hyginius dicit in libro priore de viris claris. *Asconius ad Cic. in Pisonem p.* 13 *Orell.* 60. M. Varro auctor est, cum L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantos, assibus singulis farris modios fuisse, item vini congios ficique siccae pondo XXX, olei pondo X, carnis XII. *Plinius nat. hist.* 18, 3, 17. Varro de vita P. R. lib. IIII: cum Poenus in fretum obviam venisset nostris et quosdam cepisset, crudelissime pro palangis carinis subiecerat, quo metu debilitaret nostros. *Nonius p.* 163, 27. *cfr. Val. Maximus* 9, 2, *ext.* 1. Tradidit Cicero . . fuisse qui perviderent CXXXV milia passuum. Huic et nomen M. Varro reddidit, Strabonem vocatum; solitum autem Punico bello a Lilybaeo Siciliae promontorio, exeunte classe e Carthaginis portu, etiam numerum navium dicere. *Plinius nat. hist.* 7, 21, 85. *Solinus polyh.* 6. Plane fabulosum est, quod Varro narrat. Ait enim Siculo bello cum magnum navale proelium factum esset multique etiam superstites falso nuntiarentur periisse, hos in patriam reduces factos intra breve tempus mortuos esse universos. Sed unum, qui fores casu offendisset ita occlusas ut aperiri non possent, cum sub divo obdormivisset, per quietem visum esse a quodam admoneri, ut desuper per tectum in domum se demitteret; quod cum fecisset, bona fortuna ad summam pervenisse senectutem. Atque ab hoc exemplo morem ductum, ut qui peregrinantes falso rumore mortui dicti sint, cum redierint, non per ianuam excipiantur sed conscenso tecto desuper se intromittere iubeantur. *Plutarchus quaest. Rom.* 5. Varro de vita P. R. lib. III: nam postea G. Lutatio consuli ad Aegatis insulas, cum ipsa catapulta ictus esset. *Nonius p.* 552, 22. 61. Varro de vita P. R. lib. III: P. Aelius Paetus cum esset praetor urbanus et sedens in sella

curuli ius diceret populo, picus Martius advolavit atque in capite eius adsedit. *Nonius p.* 518, 30. *cfr. Val. Maximus* 5, 6, 4. 62. Q. Fabius imperator Romanus dedit ad Carthaginienses epistolam, ubi scriptum fuit populum Romanum misisse ad eos hastam et caduceum, signa duo belli aut pacis, ex quis utrum vellent eligerent; quod elegissent, id unum ut esse missum existimarent. Carthaginienses responderunt neutrum sese eligere, sed posse qui attulissent utrum mallent relinquere, quod reliquissent id sibi pro electo futurum. Marcus autem Varro non hastam ipsam neque ipsum caduceum missa dicit, sed duas tesserulas, in quarum altera caduceum, in altera hastae simulacrum fuerunt incisa. *Gellius* 10, 27. *cfr. Livius* 21, 18. Varro de vita P. R. lib. I: posteaquam Quinto Fabio Maximo dictatore. *Nonius p.* 484, 20. Varro Hercules tuam fidem: noctu Hannibalis cum fugavi exercitum Tutatus, hoc Tutanus Romae nuncupor, Hacpropter omnes qui laborant invocant. *Nonius p.* 47, 32. Varro in libro III de vita populi Romani, quo loco refert quam gratus fuerit erga bene meritos, dicit Muttinae, quod in Sicilia cum equitatu suo transierat ad nos, civitatem Romae datam aedesque et pecuniam ex aerario. *Asconius ad Cic. in Pisonem p.* 13 *Orell. cfr. Livius* 27, 5. 63. Claudium et Tuditanum consules sequuntur Q. Valerius et C. Manilius, quibus natum esse Q. Ennium poetam M. Varro in primo de poetis libro scripsit, eumque, cum septimum et sexagesimum annum haberet, duodecimum [*duodevicesimum*?] annalem scripsisse, idque ipsum Ennium in eodem libro dicere. Anno deinde post Romam conditam quingentesimo undevicesimo . . . Cn. Naevius poeta fabulas apud populum dedit, quem M. Varro in libro de poetis primo stipendia fecisse ait bello Poenico primo, idque ipsum Naevium dicere in eo carmine, quod de eodem bello scripsit. *Gellius* 17, 21, 43 *sq.* [M. Cethego P. Tuditano]

consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus; quamquam Varro noster diligentissimus investigator antiquitatis putat in hoc erratum vitamque Naevii producit longius. *Cicero in Bruto* 16, 60. In comoedia maxime claudicamus, licet Varro Musas Aelii Stilonis sententia Plautino dicat sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent. *Quintilianus instit.* 10, 1, 99. Adelphorum [Terentii] principium Varro etiam praefert principio Menandri. *Suetonius vita Terentii* 2. 64. Varro Humanarum rerum: Numerius Equitius Cupes, inquit, et Romanius Macellus singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. His in exilium actis publicata sunt bona et aedes ubi habitabant dirutae, eque ea pecunia scalae deum Penatium aedificatae sunt; ubi habitabant, locus ubi venirent ea quae vescendi causa in urbem erant allata. Itaque ab altero Macellum, ab altero forum Cupedinis appellatum est. *Donatus ad Ter. Eun.* 2, 2, 25. Cuppedia a cupiditate sunt dicta, vel sicut Varro ait, quod ibi fuerit Cuppedinis equitis domus, qui fuerat ob latrocinium damnatus. *Paulus lib.* 3 *s. v. Cuppes. cfr. Paulus lib.* 11 *s. v. Macellum, Varro de L. L.* 5, 147. 65. De quartorum ludorum [secularium] anno etc. *supra p.* 294, 25. Aemilianum . . Scipionem Varro auctor est donatum obsidionali [corona] in Africa Manilio consule, cohortibus servatis totidemque ad servandas eas eductis. *Plinius nat. hist.* 22, 6, 13. 66. Profecto magnum est quod Varro commemorat, Vestalem virginem, cum periclitaretur falsa suspicione de stupro, cribrum implesse aqua de Tiberi et ad suos iudices nulla eius parte stillante portasse. *Augustinus de civ. dei* 22, 11, 3. *cfr. Plinius nat. hist.* 28, 2, 12. 67. Varro de vita P. R. lib. IIII: [C. Gracchus] in spem adducebat, non plus soluturos quam vellent; iniquius equestri ordini iudicia tradidit, ac bicipitem civitatem fecit, discordiarum civilium fontem. *Nonius p.* 454, 21.

Digitized by Google

68. Varro de originibus scenicis secundo: a Claudio Pulchro aedile. *Plinius apud Charisium* 1, 21, 18. *cfr. Val. Maximus* 2, 4, 6. 69. Corpore vesco sed eximiis viribus Tritannum in gladiatorio ludo, Samnitium armatura celebrem, filiumque eius militem Magni Pompeii et rectos et transversos cancellatim toto corpore habuisse nervos, in brachiis etiam manibusque, auctor est Varro in prodigiosa virium elatione; atque etiam hostem ab eo ex provocatione dimicantem inermi dextra uno digito superatum et postremo correptum in castra translatum. *Plinius nat. hist.* 7, 20, 81. *Solinus polyh.* 4. *Vopiscus Firmo* 4. *cfr. Lucilius apud Ciceronem de fin.* 1, 3, 9. *Phaedri appendix fab.* 9. 70. Iaia [Lala *alii*] Cyzicena perpetua virgo, Marci Varronis iuventa, Romae et penicillo pinxit et cestro in ebore imagines mulierum maxume et Neapoli anum in grandi tabula, suam quoque imaginem ad speculum; nec ullius velocior in pictura manus fuit, artis vero tantum ut multum manipretiis antecederet celeberrimos *ea* aetate imaginum pictores Sopolim et Dionysium, quorum tabulae pinacothecas inplent. *Plinius nat. hist.* 35, 11, 147. M. Varro tradit sibi cognitum Romae [plasten] Possim nomine, a quo facta poma et uvas, *ut non possis* aspectu discernere a veris . . . Laudat et Pasitelen, qui plasticen matrem caelaturae et statuariae sculpturaeque dixit et, cum esset in omnibus his summus, nihil umquam fecit antequam finxit. — Sitae fuere et Thespiades ad aedem Felicitatis, quarum unam amavit eques Romanus Iunius Pisciculus, ut tradit Varro; admiratur et Pasiteles. *Plinius nat. hist.* 35, 12, 155 *sq.* 36, 5, 39. 71. Varro [Servio Sulpicio quaerenti] rescripsit in memoria sibi esse, quod Q. Catulus curator restituendi Capitolii dixisset, voluisse se aream Capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in aedem conscenderetur suggestusque pro fastigii magnitudine altior fieret; sed facere id non quisse, quoniam favissae

impedissent. Id esse cellas quasdam et cisternas, quae in area sub terra essent, ubi reponi solerent signa vetera, quae ex eo templo collapsa essent et alia quaedam religiosa e donis consecratis etc. *Gellius* 2, 10. 72. Varro de rebus urbanis tertio: Spartaco innocente coniecto ad *gladiatorium ludum*. *Charisius* 1, 21, 130. 73. Memini me apud Varronem philosophum, virum accuratissime doctum atque eruditum, cum alia eiusmodi tum hoc etiam legere: Trallibus de eventu Mithridatici belli magica percontatione consultantibus, puerum in aqua simulacrum Mercurii contemplantem, quae futura erant CLX versibus cecinisse. Itemque Fabium, cum quingentos denarium perdidisset, ad Nigidium consultum venisse; ab eo pueros carmine instinctos indicavisse ubi locorum defossa esset crumena cum parti eorum, ceteri ut forent distributi, unum etiam denarium ex eo numero habere Catonem philosophum; quem se a pedisequo in stipe Apollinis accepisse Cato confessus est. *Apuleius de magia* 1, 42. Docet Varus [*Varro*?] quo artificio unguentorum fiat, ut praesentes videamus immutatos. *Olympiodorus in Platonis Phaedon. p.* 79 *D.* 74. Varro in libro quem de litoralibus fecit, etiam suis temporibus affirmat sepulcrum Iovis ibi [in monte Ida Cretae] visitatum. *Solinus polyh.* 17. 75. Haustum [Caspii] maris dulcem esse et Alexander Magnus prodidit, et M. Varro talem perlatum Pompeio iuxta res gerenti Mithridatico bello, magnitudine haud dubie influentium amnium victo sale. Adicit idem Pompei ductu exploratum, in Bactros VII diebus ex India perveniri ad Icarum flumen quod in Oxum influat et ex eo per Caspium in Cyrum subvectos, et V non plus dierum terreno itinere ad Phasim in Pontum Indicas posse devehi mercis. *Plinius nat. hist.* 6, 17, 51 *sq.* *Solinus polyh.* 22, *ubi* Pompeio . . sicut commilito eius Varro tradit *legitur*. 76 [Ptolemaeum Auleten] Varro tradit Pompeio res gerente circa

Digitized by Google

Iudaeam octona milia equitum sua pecunia toleravisse, mille convivas totidem aureis potoriis, mutantem ea vasa cum ferculis, saginasse. *Plinius nat. hist.* 33, 10, 136. 77. Dactyliothecam primus omnium Romae habuit privignus Sullae Scaurus, . . donec Pompeius Magnus, quae Mithridatis regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut Varro aliique aetatis eius auctores confirmant, multum praelatam Scauri. *Plinius nat. hist.* 37, 1, 11. 78. Tradit M. Varro Servium Clodium equitem Romanum magnitudine doloris in podagra coactum veneno crura perunxisse, et postea caruisse sensu omni aeque quam dolore in ea parte corporis. *Plinius nat. hist.* 25, 3, 24. 79. Varro auctor est, XXviro se agros dividente Capuae, quendam qui efferretur, foro domum remeasse pedibus. Hoc idem Aquini accidisse. Romae quoque Corfidium materterae suae maritum funere locato revixisse et locatorem funeris ab eo elatum. Adicit miracula etc. *Plinius nat. hist.* 7, 52, 176. 80. Serapem et Isidem et Arpocraten et Anubem prohibitos Capitolio Varro commemorat, eorumque aras a senatu deiectas nonnisi per vim popularium restructas. Sed tamen et Gabinius consul Kal. Ianuariis, cum vix hostias probaret prae popularium coetu, quia nihil de Serape et Iside constituisset, potiorem habuit senatus censuram quam impetum vulgi et aras institui prohibuit. *Tertullianus ad nationes* 1, 10. Varro indignatur Alexandrinos deos Romae coli. *Servius ad Verg. Aen.* 8, 698. Aegyptiorum pestis Alexandrina Romam quoque invasit. Varro. *Suidas s. v. ἐγκατέσκηψαν.* 81. Idem [Varro] magnificat Arcesilaum Luci Luculli familiarem, cuius proplasmata pluris venire solita artificibus ipsis quam aliorum opera. Ab hoc factam Venerem Genetricem in foro Caesaris et priusquam absolveretur festinatione dedicandi positam; eidem a Lucullo HS. LX signum Felicitatis locatum, cui mors utriusque inviderit; Octavio equiti

Romano cratera facere volenti exemplar e gypso factum talento. — Arcesilaum magnificat Varro, cuius se marmoream habuisse leaenam aligerosque ludentis cum ea Cupidines, quorum alii religatam tenerent, alii cornu cogerent bibere, alii calciarent soccis, omnis ex uno lapide. Idem et a Coponio XIV nationes, quae sunt circa Pompei *theatrum*, factas auctor est. *Plinius nat. hist.* 35, 12, 155 *sq.* 36, 5, 41. 82. M. Varro in litteris atque vita fide homo multa et gravis in libro, quem inscripsit Pius aut de pace, C. Sallustium scriptorem seriae illius et severae orationis, in cuius historia notiones censorias fieri atque exerceri videmus, in adulterio deprehensum ab Annio Milone loris bene caesum dicit, et cum dedisset pecuniam, dimissum. *Gellius* 17, 18. *cfr. Servius ad Verg. Aen.* 6, 612. *Schol. ad Hor. Sat.* 1, 2, 41. 83. Quibus vinis auctoritas fuerit . . M. Varro [de vita P. R. lib. III *vel* IIII] his verbis tradit: L. Lucullus puer apud patrem numquam lautum convivium vidit, in quo plus semel Graecum vinum daretur. Ipse cum rediit ex Asia, milia cadum in congiarium divisit amplius centum. C. Sentius, quem praetorem vidimus, Chium vinum domum suam illatum dicebat tum primum, cum sibi cardiaco medicus dedisset. Hortensius super decem milia cadum heredi reliquit. Hactenus Varro. *Plinius nat. hist.* 14, 14, 96. *Nonius p.* 495, 30. 544, 14. 84. Idem de vita P. R. lib. IIII: quod Curio, cum id fecisset, dicebat amicis ut illi renuntiaretur, se obstringillaturum ne triumphus decerneretur aut ne iterum fieret consul. *Nonius p.* 147, 16. *cfr. Freinsheim suppl. Liv.* 109, 1. 85. Varro de vita P. R. lib. IIII: neque id caeci consules fecissent, quae mandata arcana T. Ampio dedissent, audivi dicentem Gn. Magnum. *Nonius p.* 525, 17. 86. Varro de vita P. R. libro IIII: Caesar reversionem fecit, ne post occipitium, in Hispania exercitus qui erant, relinquerent quo se

Digitized by Google

coiceret Pompeius, ut ancipiti urgueretur bello. *Nonius p.* 245, 13.

XXXIX. Q. AELIUS TUBERO.

1. Res Romanas [Latino sermone] laudati scriptores etc. *supra p.* 304, 19. Honore et dignitate et aetate praestat Tubero, quem ego arbitror, praesertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos velit et possit imitari. *Cicero ad Quintum fratrem* 1, 1, 3, 10. *a.* 694. *Is est L. Tubero, Ciceronis aequalis et affinis; ad quem licet pertineant loci apud Photium in biblioth. cod.* 212, *Probum ad Verg. Buc.* 6, 31 *et Censorinum* 9, 1, *Plinium nat. hist.* 18, 26, 235 *et Scholiastam ad Germanicum p.* 53. 112 *ed. Buhl. certe historiam non videtur edidisse. Sed Lucii filius Quintus, qui*, postquam Q. Ligarium [*adolescens a.* 708] accusavit nec obtinuit apud C. Caesarem, transiit a causis agendis ad ius civile et doctissimus quidem habitus est iuris publici et privati, complures utriusque operis libros reliquit. Sermone etiam antiquo usus affectavit scribere, et ideo parum libri eius grati habentur. *Pomponius in Digestis* 1, 2, 2, 46. *cfr. Gellius* 14, 7. 8. 7, 9. 14, 2. *Eundem* Q. Aelium Tuberonem *iam seniorem commemorare videtur Dionysius Halic. de Thucydide c.* 1 *et* 55. *ad Ammaeum* 2, 1. *Eodem puto Quinto auctore se usum Plinius nat. hist. lib.* 2 *et* 36 *ait in indice.* 2. Tubero historiarum lib. I: si quod a parentibus acceptum protinus antiquae [*antique? id est studiose*] memoriae tradiderunt. *Nonius p.* 376, 31. 3. De hoc [Troiano] equo varie in historiis dictum. Ut enim Hyginus et Tubero dicunt, machinamentum bellicum fuit, quod equus appellatur, sicut aries, sicut testudo, quibus muri vel discuti vel subrui solent. *Servius ad Verg.*

Aen. 2, 15. 4. Post haec Ascanius etc. *supra p.* 260, 1. 5. *De capto a pastoribus Remo a ceteris scriptoribus discrepat* Aelius Tubero vir gravis et in conscribenda historia diligens. Tradit enim Numitoris pastores, qui nossent Lupercalium Arcadico more, prout Euander instituerat, Pani celebrandorum diem, insidiis elegisse illud tempus, quo iuvenes Palatini montis accolas sacrificio peracto oportebat nudos e Lupercali per vicum cursitare pellibus recens mactatarum pecudum circum inguina subligatis, quod lustrationis genus vicanis patrio more receptum nunc quoque fieri solet. Hac opportunitate usos qui insidias adolescentibus facturi erant angusto loco sese occultasse et cum primum Remi caterva (tria enim agmina per intervalla currebant et Romulus cum posterioribus erat) obviam facta est, non expectatis reliquis, magno cum clamore in primos irruisse et undique circumventos iaculis, saxis aliisque telis petivisse et incertos quid hoc rei esset quidve facerent inermes adversus armatos, facili negotio comprehendisse vinctosque Albam perduxisse. *Dionysius Halic.* 1, 80. 6. C. Tubero [*praenomen alii omittunt*] in historiarum primo scripsit Servium Tullium regem populi Romani, cum illas quinque classes iuniorum census faciendi gratia instituerat, pueros esse existimasse qui minores essent annis septendecim; atque inde ab anno septimo decimo, quo idoneos iam esse rei publicae arbitraretur, milites scripsisse; eosque ad annum quadragesimum sextum iuniores, supraque eum annum seniores appellasse. *Gellius* 10, 28, 1. 7. Valerius Antias et Q. Tubero etc. *supra p.* 355, 18. 8. Tubero historiarum quarto: inimiciter irascendum non est. *Charisius* 2, 14, 81. 9. In eum annum etc. *supra p.* 301, 23. 10. Tubero in historiis scriptum reliquit, bello primo Punico Atilium Regulum consulem in Africa castris apud Bagradam flumen positis proelium grande atque acre fecisse adversus unum serpentem

Digitized by Google

in illis locis stabulantem invisitatae immanitatis, eumque magna totius exercitus conflictione ballistis atque catapultis diu oppugnatum, eiusque interfecti corium longum pedes centum et viginti Romam misisse. *Gellius* 6, 3. 11. Quid idem Tubero novae historiae [*nona historia*?] de Regulo . . memoriae mandaverit . . . Regulum Tubero in historiis redisse Carthaginem novisque exemplorum modis excruciatum a Poenis dicit: in atras, inquit, et profundas tenebras eum claudebant ac diu post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant et adversus ictus solis oppositum continebant atque intendere in caelum oculos cogebant. Palpebras quoque eius, ne connivere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant. *Gellius* 6, 4. 12. Tubero lib. XIIII historiarum: pars omnis luxuriabat. *Nonius p.* 481, 9. 13. Q. Tubero tradit heredem ab eo [C. Caesare] scribi solitum ex consulatu ipsius primo usque ad initium belli civilis Cn. Pompeium, idque militibus pro contione recitatum. Sed novissimo testamento tres instituit heredes etc. *Suetonius in Caesare* 83, 2. 14. Tubero: nam delinquat aut superet aliquid tibi. *Servius ad Verg. Aen.* 4, 390. *qui locus inter Coelii et Gellii historicorum verba interpositus est.* 15. Tubero: hinc in millesimum annum eorum columine civitas continebitur. *Donatus ad Ter. Phorm.* 2, 1, 57.

In Tuberone, scriptorum quibus et Livius et Dionysius Halicarnasseus usi sunt recentissimo, huius libri finem facere constituimus. Quod supererat spatii, Addendis quibusdam conscribere placuit. Ad tollendum illud *in Numerii* p. 252, 2 familiaris quidam meus *nimirum in*, Hertzius *in nostri* excogitavit. P. 253, 31 rectius erit: *additisque quattuor urbanis XXX utriusque generis tribus.* P. 262 Cincio auctore Plinius nat. hist. lib. 36 se usum ait in indice. P. 265, 1 de C. Iulio alia coniectura infra p. 389 proposita est

P. 267. Septimus mihi liber Originum est in manibus, omnia antiquitatis monumenta colligo. *Cicero de senect.* 11, 38. Ad Catonem ex Augusti Wageneri libello, quem sero nactus sum, plura repeto. Is igitur p. 271, 3 *contra eum Latinum* corrigit; p. 274, 22 *eam* probat, ad Dionysium Halic. 13, 15 referens; p. 276, 26 pro *Capenos* scribi iubet *lucos Capenos*, quod apud Vergilium est; p. 278, 2 pro *Laebius* ex optimis libris *Baebius* praefert; ibid. 29 Bernaysio assentitur *Manetho* scribenti; p. 279, 27 *primo* ait a Casselano i. e. Fuldensi Servio abesse; p. 280, 32 *istuc fidum atque providens.* itemque p. 281 *peditatum equitatumque . . Consul interibi dum ea pugna fit . . tamen vulnus . . defetigatum . . sanguen ei defluxerat . . Leonides*; tum p. 281, 11 *facere* et 16 *publicati et execrati;* p. 284, 20 *recto;* p. 285, 3 *quo id quod*, 25 *Rhodiensibusne oberit, . . ad vos . . quam vos;* p. 286, 29 *aluta concinnatos;* p. 288, 12 *ob meam voluntatem augurem* legendum censet, librorum Gellii et Prisciani optimorum ab Hertzio excerpta nactus. De duobus locis Ciceronianis p. 295 ad Longinum relatis aliter nunc statuo, et ad Iunium Congum spectare puto, quem a Lucilio commemoratum Cicero ait apud Plinium nat. hist. praef. 7. P. 297, 3 *Lycores* sive *Lycoreus* scribendum proponit Otto Iahn. P. 314 In verbis eligendis conlocandisque [studiosi fuerunt] poetarum maxime Plautus multo maximeque Ennius eumque studiose aemulatus L. Coelius. *Fronto p.* 95 *Rom.* P. 329, 29 *tradit.* P. 339 Vultacilio locum sero infra p. 387, 9 vindicavi. P. 365, 6 *Annum vertentem Romae Licinius.* P. 411 *L. Tarutio qui Graece de astris scripsit* auctore se usum Plinius nat. hist. ait in indice libri 18. P. 424, 12 Hic qui est secundum Scaligerum de Romulia tribu locus, plane aliter apud Od. Müllerum legitur: *Romam antea Romulam appel*latam Terentius quidem *Varro censet ab Romulo,* deinde detortam voca*buli formam in Romam existimat* credibile. P. 426, 5 Varronis de Scenicis originibus locus cum ad a. 505 pertineat, infra p. 430, 29 collocandus erat.

Digitized by Google

ADNOTATIO CRITICA.

GAI SALUSTII CRISPI CATILINA.

Gai Salustii Crispi. Ita nomen auctoris scripsi, optimorum codd. auctoritatem secutus. In inscriptionibus variat scriptura, sed plurimæ *l* geminatam habent. Contra in plurimis et optimis et Salustii et aliorum scriptorum codd. nomen una *l* scriptum, cfr. Orelli ad Hor. Carm II. 2. 5. S. I. 2. 48. eodemque modo apud Velleium II. 36. apud Priscianum cfr. Krehl p. 115. §. 19. apud Arrusianum Messum, Pompeium, Comm. A. D. p. 129. Lind. et Corpus Gramm. T. I. p. 202. Accedunt scriptores Græci, Plutarchus, Appianus, Dio Cassius, Stephanus Byzantinus, Suidas, Syncellus, Chronicon Paschale, Eustathius ad Iliad. p. 513. quos cur in auxilium vocare non liceat, non intelligo. Nemo autem mihi Laurentium Lydum de mag. III. 8. aut Iohannem Malalam Chronogr. extr. opponet. Meliorum enim codicum scripturam nummi apud Eckhel T. V. p. 299. VIII. p. 292. confirmant. Neque, quod Horatius S. I. 2, 48. primam syllabam in *Salustius* produxit, inde sequitur eam *l* geminata esse scribendam. Hoc enim vel sine geminatione fieri potuisse iam dudum docuerunt Broukhusius. ad Prop. IV. 8. 44. Pier. ad Virg. Aen. 1. 34. Drakenborch. ad Sil. Ital. I. 309. cfr. Voss. de Gramm. I. 22. II. 19. Utramque igitur scripturam usitatam fuisse non est, quod dubites; sed quæritur, utra sit antiquior et reliquæ orthographiæ scriptoris magis conveniat. Iam cum in optimis libris apud Salustium constanter *causa, oportunus, operior, paulum, belua, milia, vilicus* etc. scriptum sit, cum Quintilianus Inst. Or. I. 7. 14. ipse testis sit, semivocales non geminare diu fuisse usitatissimum, vix aliquis dubitet præferre scripturam, tot testimoniis confirmatam. Fieri quidem potest, ut *l* geminari cœptum sit, ex quo orthographia orationis pe-

destris ad poetarum usum conformata est, apud quos *relligio, relliquiæ, rettulit, reppulit, Iuppiter*, propter ictum satis sunt frequentia. Serioribus enim temporibus scribendi rationem plane fuisse diversam testis est Martianus Capella §. 241. p. 270. ed. Kopp. „*L* exilem sonum reddit, quum geminatur, ut *sollers, Sallustius*:“ ita Scaurus p. 2256. *paullum* scribi iussit, et apud Frontonem p. 19 et 137. edit. Rom. *querella* et *sepellitur* legitur; quam quidem scribendi rationem a recentioribus esse usurpatam statuit Papirianus p. 2290 eodemque modo apud Frontonem etiam aliæ liquidæ geminantur, *comminus, lammina* p. 209. 240. l. l. Plane contraria est scribendi ratio in nomine *Messalla*, in quo et ipso scriptura fluctuat, sed littera *l* geminata propter accentum plus auctoritatis habet.

Catilina. Variant et Codd. et Grammatici in libri inscriptione. *Bellum Catilinarium* habet et cod. Tegern. et Quintilianus III. 8. 9. *in Catilinario* fere laudat Priscianus, *in Catilinæ bello* sive *in Catilina* Nonius et Gellius; cfr. N. A. III. 1. 1. VII. 17. 7. IX. 12. 9. XX. 16. 14. Sed *in Catilinæ Historia.* id. IV. 15. 1. eademque varietas est in libris manu scriptis. Bas. I. in fine: *Explicit bellum Catilinarium, incipit Iugurthinum.* Med. I. Bas. IV. Salustius ipse c. 4: *De coniuratione Catilinæ.* Med. 3. 6. 11. *de bello Catilinario*; Med. 5. *Catilinarius liber.* Inscriptionem *Bellum Catilinarium et Iugurthinum* fuisse usitatissimam etiam Suidas s. v. *Ζηνόβιος* testatur. Ceterum titulos maximam partem grammaticorum ingeniis deberi satis constat. Igitur *bellum Catilinarium, de coniuratione Catilinæ, Catilina* veterum scriptorum testimoniis maxime confirmata sunt; simplicissima ratio optima; quare *Catilina* reliquis præferendum esse duxi.

c. 1. *videtur esse.* Bas. 1. Leid. L. *esse v.* Einsi. Paris. x Tur. *esse* om. Bas. 3. idque recte factum iudico. Facit enim optimorum librorum dissensio, in quibus verbum subst. locum mutat, ut id a librariis adscriptum esse videatur, inprimis cum alias post *videtur, esse* fere sit omissum cfr. C. c. 48 *tanta vis hominis magis leniunda quam exagitanda videbatur.* c. 49. *res autem oportuna videbatur.* 52. *hæc cuiuscunque modi videntur; I. 81. uti quisque opulentissimus videatur. Cat. 6. res eorum — satis prospera satisque pollens videbatur* c. 21. *magna merces videbatur.*

Fragilis est vulgo. *est* in Bas. 1. erasum, ut videtur, neque exstat in Bas. 2. et Fabric. Rivii. id quod non librarii negligentia

Digitized by Google

factum esse videtur; nam in antithetis alias quoque verbum substantivum omittitur, si quidem eius vis in sequenti verbo inest. vide infra: *ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget.* c. 17. *quibus maxuma necessitudo et plurimum audaciæ inerat.* c. 47. *Cinnam atque Sullam antea, se tertium, cui fatum foret urbis potiri,* id quod etiam in aliis verbis fieri solet, quæ ex sequentibus facile suppleri possunt. v. c. Iug. c. 49. *labores et victorias confirmare.* ib. 38. *fame ferroque clausus.* ib. 42. *ferro aut fuga exstinxit.* c. 49. *pecunia aut honore extulit.*

Magis procederet omnes fere libri; *magis* prima manus in Bas. 1. omisit, credo quod librarius nulla comparatione opus esse statuit. Cat. 32. *neque insidiæ consuli procedebant.* 27. *multa agitanti nihil procedit.* I. 11. *tardius aliquid procedit.* 61. *bellum parum armis procedit.* Sed comparatio virium animi et corporis et hoc et sequenti capite instituitur; neque potuerunt homines hoc sibi in animum inducere, ut statuerent aut sola vi corporis aut virtute animi bellum geri posse: sed hæc erat dissensio, quod alii plus consilio, alii plus viribus tribuebant. *magis* igitur, quod secunda manus adscripsit, utique retinendum est.

c. 2. *peregrinantes transegere.* Bas. 1. et multi alii libri; inter quos Leid. L. Turicensis, Parisinus x spl. Sed libri satis boni etiam alteram lectionem *transiere* tuentur. Einsied. Parisinus x. m. pr. Serv. ad Virg. Georg. 1. 3. Salva est Latinitas in utroque, sed quæritur de concinnitate et elegantia dictionis. *Vitam silentio transire* Salustius supra dixerat et sensum dictionis optime explicat Tac. Agric. c. 6. *annum quiete et otio transiit.* Sed illam inertiam atque socordiam Salustius brutorum pecorum torpori similem esse iudicat. Nostro autem loco non homines ceteris animalibus, sed doctos et eruditos indoctis et incultis opponit, quos cum *peregrinantibus* comparat. Iam *peregrinari* in aliena civitate est: *hospitem et ignarum disciplinæ et consuetudinis civium esse* cfr. Cic. pro Rab. 10, 28. et Acad. Quæst. 1. 3. 9. „Nam nos in nostra urbe peregrinantes errantesque tui libri quasi domum deduxerunt, ut possemus aliquando, qui et unde essemus, agnoscere.“ cfr. de Or. I. 50. „oratorem nulla in re tironem ac rudem nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere.“ Quod igitur aliquis concinne dictum putet: *peregrinantes vitam sicut longinquas terras transire,* id ab

hoc certe loco alienum est, quod *peregrinantes* non sunt iter facientes (quod ut significet, notio loci abesse non potest) sed hospites, omnium rerum ignari. Sed cum notione ignorantiæ atque incuriæ multo melius convenit verbum *transigere*, quod est *conficere* atque *absolvere*. Cic. Div. in Verr. c. 14. *quod cum cæperit Hortensius unumquodque transigere, expedire, absolvere.* Tac. Germ. 15. *non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque.* Agric. 35. *transigite cum expeditionibus.* G. 19. *semel cum spe voloque uxoris transigitur.*" Consilium enim auctoris fuit ostendere, quanto dedecori sit vita humanitatis et litterarum expers. Primum igitur turpem tantæ immanitatis causam significat verbis *dediti ventri atque somno;* tum eosdem non aliter quam peregrinantes agere iudicat, qui inscitia rei publicæ, ut alienæ, nullis funguntur officiis, neque commodis civium inserviunt. Similiter Plinius eos accusat, qui honores petituri, Italiam non pro patria sed pro hospitio aut stabulo, quasi peregrinantes, habeant. Sed quemadmodum peregrini in cives peccant, quorum commoda nihil ad se pertinere putant, ita homines indocti et inculti in societatem generis humani, quam, quantum in iis est, dissolvunt. Hanc igitur levitatem atque inertiam multo accuratius verbum *transigere* exprimit, quod ne actionem quidem habet. Contra *transire* si positum esset, etiam significationem vocabuli *peregrinantes* inverteret; neque sine apposito quodam idem quod *silentio transire* exprimere posse videtur. Ad *transigere* proxime accedit *transmittere*, cfr. Seneca Epp. 19. *vitam per obscurum transmittere.* Stat. Silv. IV. 2. 12. *steriles transmisimus annos.* Id. Theb. III. 278. *Vigiles operi transmittere noctes.* Plin. Epp. IX. 6. *Omne hoc tempus inter pugillares et libellos iucundissima quiete transmisi.* Græce *διάγειν.*

c. 3. *sequatur.* Bas. I. et plurimi libri. in Paris. a. et Tur. varians lectio. *sequitur* L. Paris. e Einsied. Tur. Guelph. 1. 2. 3. 4. 5. Charis. p. 192. quam quidem lectionem meliorem habeo, quod Sallustius nullo alio loco coniunctivum cum hac particula coniunxit cfr. Cat. 20. 21. 31. 48. 52. Iug. 6. 11. 13. 16. 20. 25. 26. 29. 31. 34. 38. eademque est ratio particulæ *quamquam*, quæ uno tantum loco coniunctivum habet. Iug. 3. Iam hoc quidem loco tempus præsens, in ceteris fere præteritum, sed in Iug. 38 itidem præsens indicativi adeo in oratione obliqua positum est; et nescio, an Sallustii inge-

Digitized by Google

nio in eiusmodi enuntiationibus usus indicativi multo magis conveniat; quippe cuius firmum severumque iudicium fere respuit modum concessivum, quem in hunc quidem locum a docto librario inductum arbitror, qui Salustianam orationem ad Ciceronianum dicendi genus conformavit.

actorem quod in optimis libris est, in Bas. I. *u* expuncto restitutum, primitus enim *auctorem* scriptum fuit. sed etiam apud Charis. p. 192. in optimo libro *actorem* est.

adulescentulus . . . a studio Bas. 1. sed in Tur. Par. x. L. tantum supra lineam; præpositionem *a* omittunt Bas. 2. Rem. 1. Paris. c. multique alii libri; eaque haud dubie omittenda est, quippe quæ ab iis sit adscripta, qui studium litterarum intelligerent, quæ glossa in nonnullis libris Wassii fuit.

reliquorum malis moribus optimi libri; fuere, qui *reliquis* præferrent, quod Salustius ipse professus sit, se uno quidem vitio, scilicet ambitione, teneri; sed auctor ipse infra ambitionem vitium propius virtutem esse iudicat c. 11. et mali mores potius ad luxuriam, nequitiam et ad voluptates corporis referendi.

c. 5. *eloquentiæ;* ex hoc loco intelligas, quam mature cœperit Salustianæ orationis corruptio. Tradit enim A. Gellius 1. 15. Valerium Probum brevi antequam vita excederet, legere cœpisse; *satis loquentiæ, sapientiæ parum* et sic a Salustio scriptum affirmasse, quod *loquentia* novatori verborum Salustio maxime congrueret, *eloquentia* cum insipientia minime conveniret. Sed substantivum illud nonnisi altero p. Chr. sæculo inventum fuisse, quod fuit qui ex Plin. Epp. v. 20. colligere posse sibi videretur, vix adduci possum, ut putem. Parum enim est probabile, a doctissimo grammatico Salustio vocabulum fuisse obtrusum, ab illius ætatis usu plane alienum. Ex duobus igitur locis, ubi illud occurrit, hoc solum colligi posse videtur, eius significationem parum fuisse exploratam, ita ut sciolis grammaticis nova inferre liceret. Neque tantum valuit Valerii Probi auctoritas, ut eius inventum aut reliqui grammatici sequerentur aut librarii exprimerent. Nam nonnisi in paucissimis codd. hæc coniectura locum obtinuit cfr. Edit. a. MDCCCXXIII. p. 7.

relinquerint et ut paulatim Bas. I. forma antiquior quæ iam passim in libris exprimitur, eadem forma infra recurrit c. 12. Iug. 107. cfr. Scalig. ad Varron. R. R. extr. p. 214. Ceterum litteram *n*

inter vocales intrudere apud veteres fuit usitatissimi moris cfr. *nequinont, solinunt, ferinunt, explenunt, obinunt* cfr. Fest. s. v. *neq.* p. 162. OM. et Struve de L. Decl. et Conj. p. 206. *et ut* est quoque in Tur. Leid. e. k. sed Victorius *atque* habet; multo plurimi autem libri coniunctionem omittunt, idque recte. Primum enim asyndeta apud Sallustium frequentissima sunt, tum verba *ut paul. — facta sit* nihil novi addunt sed nihil aliud quam priorem sententiam explicant.

c. 6. *habitavere initio* Bas. 1. Sed supra lineam *habuere*, quod verum est. *habitare* enim c. accus., quod poeticum est, argentea demum ætate a scriptoribus iungi cœptum est. simile Taciti annalium initium 1. 1. *Aborigenes* Bas. 1. sed Græci scriptores, Dionysius Halicarnassensis 1. 40. Strabo v. 3. Ἀβοριγῖνες eodemque modo Steph. Byz. sed Ἀβοριγῖνες, Ἀβοριγῖνοι quæ laudantur, apud nullum scriptorem inveni, et *Aborigines* Tac. Annal. xi. 14. Liv. 1. 2. Plin. N. H. iv. 31.

c. 8. *sicut ego* Bas. 1. non *sicuti*. confirmat Einsied. et Parisinus, idque erat reponendum. Nam in Bas. 1. constanter fere ita scriptum video, ubi vocalis sequitur, ad vitandum hiatum.

c. 10. *nationes ferae et populi vi.* omissum *ingentes* in Bas. 1. et in Leid. L, credo, quia oculi librarii ab initio primi vocabuli ad sequens aberrarunt, *in* et *ui* in codd. ubi nulla puncta sunt, facile confunduntur. Adiectivum enim omitti non posse per se patet. *misceri* per rasuram in Bas. 1. nam primitus *miscere* scriptum erat.

contagio spl. *um* m. sec. Bas. 1. priorem terminationem et Festus probat et nostro loco Nonius tuetur p. 199. Accedit Marius Victorinus p. 2469, qui *contagio* apud omnes fere veteres scriptum esse iudicat, et poetarum licentiam primo fecisse *contagia*, postea etiam *contagium* dici cœpisse. contra Charisius p. 54 „contagium veteres magis usurpaverunt, sed Salustius *contagionem* maluit dicere" quo errore nescio, nam satis frequens apud Ciceronem *contagio*, et apud ipsum Catonem legitur.

c. 11. *quem in Asia ductaverat* Bas. 1. m. pr. sed m. secunda virgulam adpinxit *Asiā*, ut pro accusativo haberetur; scilicet fugit librarium vera dictionis *exercitum ductare* significatio, quam a Sallustio usurpatam et sancte et antique dictam statuit Quintilianus viii. 3. 44. Ut igitur obscenum illud, in quod illa dicendi ratio detorta fuerat, molliretur, librarius *in Asiam* correxit, contra morem Sallustii, apud quem *duct. exerc.* praesse significat. cfr. c. 17. 19. Iug.

Digitized by Google

42. 73. tantum Iug. 38. ab hoc usu paulisper deflexit: „*ipse quasi vitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ductare.*“

c. 13. *constrata* Bas. 1. et longe plurimi et optimi libri. *constructa* ex melioribus Erl. Teg. et Paris. e. etiam tertia est lectio, *contracta*, quam Horatius commendare videtur Carm. III. 1. 33. *contracta pisces æquora sentiunt*. Quæritur, quam lectionem ipsius Sallustii manum referre statuamus. Agitur de Romanorum luxuria, cuius varias formas fuisse satis constat. Nam, ut Tibulli II. 3. 44. verbis utar, mare indomitum molibus claudebant, sive ut Manilius IV. 263. litoribus novis per luxum ponto illudebant, ita ut aquæ saxis expellerentur et mare arvis nasceretur. Petron. Sat. c. 120. Quod quidem eo consilio factum est, ut piscinas recens exstructas a maris fluctibus defenderent. Quarum quidem magnitudinem inde intelligas, quod apud Horatium C. II. 15. 2 est: *latius extenta visentur Lucrino stagna lacu;* et inprimis quidem Lucullus *exciso etiam monte — euripum et maria admisit* Plin. N. H. IX. 54. Varro R. R. III. 17. et in eundem fere modum lacus Lucrinus fuit exstructus, cfr. Sueton. Aug. 16. Virg. Georg. II. 161. et qui auctores ad h. l. laudantur. Sed his ipsis molibus, quibus vis fluctuum arcebatur, villas inædificabant, quod Seneca Epp. 89. his verbis exprimit: ubique in aliquem sinum litus curvabitur, vos protinus fundamenta iacietis, nec contenti solo nisi quod manu feceritis, maria agetis introrsus. Quare recte apud Horatium dicitur *dominus terræ fastidiosus*. Carm. III. 1. 36. et Carm. 24. 3. *Cæmentis licet occupes Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum*. Iam ædificia in molibus illis exstructa poterant quodammodo dici mare *consternere* ut apud Hirtium B. G. VIII. 14 *palus constrata pontibus* et Livius XXXV. 49. *consternit maria classibus suis*. Sed primum hoc ὑπερβολικῶς dictum esset, tum *villis* vel *ædificiis* erat adponendum. Aliter enim constratum mare aliquis idem esse dicat, quod apud Virgilium Eclog. IX. 59. Et nunc omne tibi stratum silet æquor. i. e. τὸ κῦμα ἔστρωτο Herod. VII. 193. et Od. III. 158. ἐστόρεσεν δὲ θεὸς μεγακήτεα πόντον. Denique ne sic quidem oppositio satis est aperta. *subversis enim montibus* nonnisi *maria constructa* respondent. Accedit quod paulo infra c. 20 de eadem re dicitur: *in exstruendo mari* et apud Tacitum Annal. XII. 56. *stagno cis Tiberim structo*. Sed pessime faciunt, qui *constructa* quidem retinent, sed *constrata* interpretantur, quem errorem quo-

modo impugnem non habeo, nulla enim afferuntur argumenta. Iam glossa in Cod. Bas. superscripta: *extenta* meliora illos docere poterat. Sed *constrata* haud dubie eorum inventum est, qui cum mare et molibus expulsum et terræ immissum *constructum* dici posse negarent, *constrata* correxerunt, subversis montibus mare effossa terra constratum fuisse rati.

viros muliebria pati. Bas. 1. Leid. Paris. x et omnes fere libri, sed in L. *os* punctis notatum. accusativus errori librariorum debetur, qui *incesserant* cum sequenti substantivo iunxerunt.

terraque marique Bas. 1. primum *que* m. sec. adscripsit. *accendebant.* Bas. 1. super lineam eadem manu *incendebant*, quæ omnium fere librorum lectio est. *modis omnibus* Bas. 1. m. sec. sed antea *omnibus* priori loco positum fuerat, quod et vis sententiæ et codd. auctoritas postulat.

c. 14. *In tanta itaque tamque* Bas. 1. *itaque* om. Paris. Z. Leid. Einsied. et multi alii libri. *in tanta igitur* Tur. *Itaque in tanta et t.* Erl. unde facile patet, coniunctionem ab iis esse interpositam, qui hæc cum antecedentibus arctius iungenda esse statuebant. nam *itaque* pro glossa verborum *tamque* habendum esse, vix adduci possum ut putem.

manu alea ventre pene. Bas. 1. sed inter *manu* et *alea* aliquid erasum, qua re fit manifestum, duas glossas Salustii orationi fuisse interpositas. paulo infra iterum idem liber *molles ætate et fluxi* ubi aperte *et* transpositum est. Ex quibus facile colligas vel optimis libris multa vitia inesse, quæ nisi coniectura sanari non possunt. Ceterum *ætate mollis* dici quidem potest, sed *ætate* est superfluum, *mollis* enim iuventus, dura senectus; contra ad notionem *fluxi* (quod glossa recte interpretatur *instabilis*,) tali additamento opus fuit.

c. 15. *inpurus. — color.* Bas. 1. raro eadem scribendi ratio constanter servatur, et modo ad etymologiam, modo ad pronuntiationem conformatur.

c. 16. post *habere* semicolon tollendum; cum enim infinitivus a sequenti verbo *imperat* pendeat, cfr. Iug. 47. *præterea imperabat frumentum et alia, quæ bello usui forent, comportare* et postea pro infinitivo accusativus ponatur, ut supra c. 10. *pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit*; hæc seiungi non debebant. *omns terras* Bas. 1. et ita sæpius, ut in dubio sit, num accusativus pluralis in *is* an in *es* terminatus sit. Ceterum in confesso est, Salustium hæc et talia non ad grammatico-

Digitized by Google

rum regulas, sed ad aurium iudicium rettulisse. Recte enim hac de re præcepisse videtur Valerius Probus, qui interrogatus, *hasne urbis* an *has urbes* dici oporteret, „si aut versum, inquit, pangis aut orationem solutam struis, atque ea verba dicenda sunt, non finitiones illas prærancidas neque fœtutinas grammaticas spectaveris, sed aurem tuam interroga, „quo quid loco conveniat dicere; „quod illa suaserit, id profecto rectissimum.“ cfr. Aul. Gell. 13. 20.

petendi Bas. 1. et omnes fere meliores libri. ex quibus solus Paris. Z. *petenti*; quæ lectio sine controversia præferenda. Non enim hæc Catilinæ spes erat, fore ut consulatum petere sibi liceret; eo enim ipso tempore nomen inter candidatos iam professus erat, sed firmior spes eius animum erexit, de qua infra c. 20. *hæc ipsa ut spero, vobiscum simul consul agam.*

c. 17. *ortari* Bas. 1. *primum audaciæ* idem, falsa interpretatione scripturæ compendii. *P. Servius Sillæ* idem. *et* omisso. *Lecca* id. alii libri *Leca*. sed Læca et denariis et antiquissimo Græviano codice Ciceronis confirmatur.

c. 18. *L. Coctam — pernitiem* Bas. 1. perversæ scripturæ, quæ medio ævo debentur. *nequiverit* Bas. 1. et optimus quisque liber. *nequiverat* Tur. super lineam Bas. 4. Bern. 1. Iam nemo negaverit, plusquamperfectum ex vulgari dicendi ratione fuisse usitatius. Immo dicat aliquis, Sallustium in universum sæpius indicativum ponere, ubi alii coniunctivo utantur. Sed iam accessit vir doctus, qui salva temporis ratione, hoc ne dici quidem potuisse docuit. Catilinam enim a. LXVI. ex Africa, quam provinciam pro prætore obtinuerat, in urbem rediisse. At tum consulatum petere ne potuisse quidem in animum inducere. Etenim cum P. Sulla et P. Autronius pœnam dedissent, non novam petitionem factam esse, sed suffragiis populi ex illorum competitoribus L. Manlium Torquatum et L. Aurelium Cottam esse suffectos. Petitionem igitur tantum ad annum LXIV. vel LXIII. pertinere potuisse. Quæ quidem petitio cum nihil difficultatis haberet, verba *qui — nequiverit* pro glossa esse habenda, a sciolo librario addita, qui huius rei causam explicare voluerit. Videsis hominis acumen! Ex iis, quæ ipse fieri potuisse negat, hæc a Sallustio dici non potuisse colligit. Primum autem hoc manifestum est, Catilinam a. LXVI. consulatum petere voluisse. Quod cum fa-

cere esset prohibitus coniurationem fecit, et eodem anno circiter Nonas Decembris consilium cum sociis communicavit. Sed quærat aliquis, quæ res impedimento fuerit, quominus Catilina nomen profiteretur. Qua de re Asconius Pedianus p. 85. Ed. Orellii: Catilina cum rediisset ex Africa Torquato et Cotta Coss. accusatus est repetundarum et p. 89. professus deinde est Catilina, petere se consulatum. L. Volcatius Tullus consilium publicum habuit, an rationem Catilinæ habere deberet, si peteret consulatum: nam quærebatur repetundarum. Catilina ob eam rem destitit a petitione." Quæ si ab Asconio diligenter sunt exposita, inde manifestum fit, Catilinam absentem esse professum se consulatum esse petiturum, quod etiam Asconius confirmat, p. 85. Or. Ciceronis verba *„cum gravissimis vestris decretis absens notatus est"* ita commentans: Catilina ex prætura Africam provinciam obtinuit. Quam cum graviter vexasset, legati Afri iam tunc absente illo questi sunt; multæque graves sententiæ in senatu de eo dictæ sunt." Ex Africa igitur, consulatum petiturus extremis mensibus anni LXVI. in urbem redierat, sed a petitione destitit; non quod eo tempore repetundarum iam accusatus fuerit, hoc enim Torquato et Cotta Coss. factum cfr. Ascon. p. 85, sed quod gravissimæ sententiæ de eo in senatu dictæ essent. Nulla igitur lege coactus petitionem omisit, sed quod omnis ei confidentia exciderat. Sed cum sero venisset, licuit ei hac excusatione uti, ut diceret, se inter legitimos dies profiteri nequivisse. Verba igitur *quod nequiverit* non Salustii, neque senatorum sunt iudicium, quod iam ex coniunctivo intelligitur, sed ex mente Catilinæ dicta sunt, quem Salustius quasi loquentem inducit. *nequiverat* igitur, quod contra historiæ fidem est, Salustius dicere non potuit, sed satis habuit eam rationem afferre, qua Catilina iniurias inimicorum conquestus, sui sceleris atrocitatem leniebat.

c. 19. *in provincia* Bas. I. *provinciā* m. sec. prior lectio retinenda, quod et verba *in provincia* ab *iter faciens* longius absunt, et aliunde satis constat, Pisonem in ipsa provincia esse interfectum, cfr. Dio Cass. XXXVI. 27. p. 21. Ascon. p. 94.

dicant supra lineam *u* manu prima Bas. quod recte factum, nulla enim causa satis idonea, cur coniunctivus ponatur.

c. 20. lectionn. var. Cod. Bas. *fortes — pulcherrimum — diversi — conditio-nosmet ipsos — ditionem — strenui nobiles — vulgus — o fort. — di-*

Digitized by Google

vicias — perfundant — hortentur. quas quidem lectiones quam ob rem non omnes exprimendas curaverim, iam paucis exponam. *fortis* Vat. 1. cuius fere eadem quæ Bas. 1. auctoritas. *pulcherrumum*: ita hanc superlativi formam ubique scripsi, rationes secutus, quas infra exponam; eademque est ratio scripturæ *divorsi* et *volgus. condicio dicio* Vat. quod etiam etymologia suadere videtur et altera scribendi ratio in cod. Basiliensi eo minus auctoritatis habet, quod paulo infra ter *divicias* scriptum. *nosmet ipsi* Vat. quod sensus et vis orationis postulat. *his obnox.* Bas. et Vat. *iis* Paris. Leid. Einsied. Tur. et habebat illa lectio, quo defenderetur; sed primum constans horum vocabulorum permutatio est, atque eo facilior, quod *is* et *iis* promiscue scribitur, et *h* in optimis libris iisdem vocabulis modo additur, modo detrahitur; tum nemo est, quin intelligat, pronomen *hic* et orationi maiorem vim addere et indignationem Catilinæ magis exprimere. cfr. c. 23. *ab his, qui* etc. et 24. *sed in is erat* pro *his. Boni* quod Bas. omisit, in Vat. primo loco positum et *atque* additum, in Tur. contra *atque* ante *nobiles* est. quæ transpositiones errore librariorum ortæ, qui asyndeta alius alio modo tollere studebant. *o fortissimi* quod in Bas. 1. est, παθητικώτερον videtur et interiectio a grammatico videtur esse adiecta. denique *hortantur* quod in Vat. est, aperte falsum dixeris; in fine enim orationis admonitioni locus est et postquam *expergiscimini* dixit, novum aliquod exspectaveris. eodemque modo *utemini* Vat. ab iis inventum, quibus tempora verbi æquare elegantius visum. Simul ex his collegeris alteram illam codicum familiam, quam aliquis dixerit, non minus sæpe a veris et genuinis auctoris verbis recedere.

c. 21. Varr. lect. Bas. 1. *ut proponeret,* quod retinendum fuit. *conditio.* quod postea non amplius notabo. *mauretanea* m. pr. sed a m. sec. utroque loco *i* correctum. *ægestatis — compluris* m. pr. *e* m. sec.

c. 22. *sollempnibus* Bas. c. 23. *amoverant* Bas. 1. Leid. Einsied. in Paris. et Leid. *a.* spl. quod sine dubio ex antecedentis vocabuli fine ortum, sed omnes fere libri eam lectionem retinent, nisi quod unus Rivii, Rostoch. Vin. 1. *moverant* exhibent, idque constans dicendi ratio confirmat. *montisque* m. pr. *e* sec. manus correxit Bas. 1. *insolentia* plurimi libri; *insolentiæ* Vin. 1. Bas. 2. Erl. Bern. 1. 2. *quæ et quomodo* Bas. 1. *quæ quomodo* Tur. Leid. *quæ quoque m.* Einsied. Paris. Z. Vin. 1. Fabr. 1. Erl. Paris. c. quæ præstantior lectio est.

c. 25. *Sed in is erat* Bas. 1. *h* super lineam.

c. 26. *R. P. desentiret. ne contra R. P.* in rasura scriptum. Bas. 1. *quas consuli in campo* Paris. m. pr. Tur. Leid. Sed. Bas. 1. verba *i. c.* omisit, et recte quidem; glossa *in campo* ab iis adscripta, qui rei explicandæ causa tali additamento opus esse statuerunt. *prospere concessere* Bas. 1. contra usum loquendi, quo tantum verbum simplex cum *prospere* iunctum firmatur. c. 27. *leccam* Bas. 1. c. 28. *silla-sillanis* — et ita semper Bas. 1. *nunciarentur* idem fere constanter, quæ quidem litterarum *c* et *t* in *condicio conditio, dicio* et *ditio, nuncio* et *nuntio* et inprimis in adiectivis, quæ in *cius* desinunt, maxime in scriptura Langobardica, quæ dicitur, locum habet, ubi earum litterarum formæ inter se sunt simillimæ.

c. 29. *nulli earum rerum consuli ius est* Bas. 1. Leid. Paris. m. sec. Tur. ex correctione, multi alii libri. *nullius* reliqui. quam terminationem (*nulli*) qui pro dativo habent, neque Salustianæ orationis vim intellexisse, neque cogitasse videntur, unde altera lectio *nullius* originem traxerit. Sed Salustio non hoc dicere in animo erat, nullum consulem earum rerum ius habere, sed ne minimam quidem partem earum rerum attingere consuli licere. *nulli* igitur sine controversia pro genitivo habendum. cfr. Priscian. 1. p. 243. Ed. Krehl. „quamvis vetustissimi soleant omnium in *ius* terminantium genitivum et in *i* dativum, etiam in *i* genitivum et in o dativum in genere masculino et neutro, in fœminino vero secundum primam declinationem in *æ* diphthongum proferre.“ et hoc quidem loco *nulli* pro genitivo neutrius generis habendum est: ut apud Horatium A. P. 324. *Graii præter laudem nullius avari.* Flor. 1. 26. *nullius acrior custos quam libertatis fuit.* Liv. II. 59. *nemo ullius nisi fugæ memor.* Iam ut *mors omnium rerum extremum, nihil earum rerum,* ita *nulli earum rerum* dictum est.

c. 30. *Senius* Bas. 1. vulgari diphthongorum mutatione; *ablatas* idem m. 1. *all.* m. 2. *Kl. Novembrium* Bas. 1. Einsiedl. Leid. L. cum multis aliis libris, contra constantem scriptorum usum; sed cum alii libri *Novembris* exhibeant, illa scriptura pro perverso grammatici interpretamento habenda est. *nunciabant* Bas. 1. ubique. *Utrique* pron. *hi* omisso Bas. 1. 3. Bern. 1. Leid B. D. G. M. *ii.* Tur. 2. Bern. 3. *nam utrique* Bas. 2. 4. *Nam hi utrique* Bern. 2. ex qua varietate recte colligitur, nullam fuisse cum antecedentibus iuncturam,

Digitized by Google

quam alii aliter restituerunt. Neque tali coniunctione opus esse facile concedes; oratio tantum paulo fit abruptior eoque magis Sallustiana cfr. c. 38. fin. — *Sestertia ducenta milia* Bas. 1. et multi libri, alii *sestertiorum ducenta milia* Fabric. 2. Bern. 2. Guelf 5. m. pr. hæc omnia ex nota restituta. nam scriptum erat. *HS* $\overline{CC}$ Iam cum Horat. Epp. 1. 7. 80. *septem sestertia* et Cicero Parad. VI. 3. sexcenta sestertia dixerit, cum apud Sallustium paulo ante *sestertia centum* (in Bas. 1. *S. C.*) omnium fere codd. auctoritate confirmatum sit, non est, quod hunc usum tantum ad scriptores argenteæ ætatis detrudamus. *Hisque minores* Bas. 1. Erl. Tur. 2. quod exprimendum fuit, ut supra *hisque permissum*, ubi m. pr. etiam *hiisque* habuit.

c. 31. *Lege Plauticia* B. 1. et spl. glossa: „secundum legem, quam Plauticius condidit" in margine a manu secunda: „Plauticia lex erat, quemcunque criminosum coram senatu venire et iudicio convictum dampnari" etiam alii eandem lectionem tuentur Guelph. 4. 8. 9. alii *Plautica*, sed longe plurimi *Plautia* retinent. Et legem Plautiam de vi fuisse et ipsum Catilinam hac lege accusatum fuisse testes sunt Dio Cassius XXXVII. 31. et Schol. in Vatin x. 2. apud Orellium p. 320. cuius etiam Pseudo-Sal. 3. mentionem facit. Quare cum a nullo scriptore *lex Plautitia* memoretur, sine dubio *Plautia* vera est lectio, cfr. apud Orellium Index Legum Vol. VIII. p. 233.

Luculentem Bas. 1. et cum adverbium *luculenter* apud ipsum Ciceronem haud infrequens sit, dicat aliquis ut *opulens* pro *opulentus* ita *luculens* pro *luculentus* a Sallustio dictum fuisse. Sed cum nullum eius vocabuli exstet vestigium, recte hoc pro mendo scripturæ habeas.

postulare patribus cæpit Bas. 1. ex falsa interpretatione notarum *p. c.* — *hostem atque parricidam* Bas. 1. *atque* spl. sed eadem manu.

c. 32. *prius, quam.* comma tollendum et duo vocabula in unum coniungenda.

c. 33 *c. p. cæpisse* Bas. 1. *plerique patriæ* Bas. 1. Par. Leid. *patria* Vat. Tur. Eins. sed insolentior structura magis probabilis. *Maiores nri* Bas. Tur. Eins. Leid. *vestri* Vat. Par. m. 1. *Vostrum* Gell. XX. 6 „importunissime fecerunt, qui in plerisque Sallustii exemplaribus scripturam illam sincerissimam corruperunt. Nam cum ita in Catilina scriptum esset: *„Sæpe maiores vestrum miseriti plebis Romanæ" vestrum* obleverunt et *vestri* superscripserunt. Ex quo in

pluris libros mendæ istius indoles manavit;“ quo quidem loco Sulpicii Apollinaris iudicium narratur, et tametsi inter *uri* et *nri* facillima fuit commutatio et vis rhetorica utriusque lectionis fere eadem, tamen hoc quidem pro certo poni posse videtur, *vestri* esse scribendum, fortasse etiam *miseriti*. *Aere communi* Bas. 1. et multi alii libri. sed *communi* om. Tur. Leid. L. Nonius p. 265 edit. nostræ; *communi* grammatici inventum est. *pleps* solus Bas. ut est et in Inscriptionibus cfr. ap. Or. 4947. et ex regula Papiriani apud Cassiodorum p. 2291, qui et *traps* et *urps* scribendum esse iudicavit, cfr. Schneider Gr. Lat. Elem. p. 220.

c. 34. *Senatum p. r. li* et *ni* super lineam, quod et ipsum ex perversa notarum interpretatione ortum. *senatum recitavit* Bas. 1.

c. 35. *non quin* spl. *quia* eadem manu Bas. 1. et primitus ante *possem* scriptum erat *non*, quod nunc erasum.

sed et alienis nominibus Bas. *sed alienis, cum et* spl. Paris. *cum et alienis* Bern. 1. Tur. 1. Bas. 2. etiam Guelph. 5. qui *cum* inter lineas habet, et Vat.

indignos spl. *vel non* Bas. 1. Vat. *habeto.* spl. *vel aveto* B. 1.

c. 36. *condempnatis* Bas. 1. *atque uti tabes* Bas. 1. et omnes fere libri, *atque* omittunt tres Wassii, quos nemo vidit, duo Gruteri et unus Rivii cod. etiam in Einsied. erasum. *atque* aliquis ita defendat et *uti*, cui in Paris. *sic* superscriptum est, *quasi* interpretetur, ut apud Ciceronem de Or. l. 3. „*philosophia laudatarum artium omnium procreatrix et quasi parens*,“ ut etiam *velut* inservit unius vocabuli translationi molliendæ Ov. Met. II. 116. „Ut terras mundumque evanescere videt cornuaque extremæ *velut* evanescere lunæ,“ etiam *sicut*. Cic. de Invent. II. 3. „Ex his duabus adversis *sicut* familiis unumquodque est contextum genus.“ Cui loco noster simillimus, sed tamen nondum satis certa vocabuli *uti* auctoritas. *ac veluti.* cj. Haupt.

c. 37. *Aegestas — dampno* Bas. 1. *præceps erat*, omnes fere libri, in Bas. 1. cum glossa: *admodum prona.* bene enim scholiasta intellexit non de morum corruptione agi, ut supra c. 25 de Sempronia, quæ *luxuria et inopia præceps abierat*, sed de rerum novarum studio, quo plebs urbana magis etiam quam reliqui ardebat; et quæ mox sequuntur, non de malis moribus agunt, sed causas afferunt, quibus impulsa plebs non modo incepta Catilinæ probaverit, sed etiam ad consilia eius exsequenda promptis-

Digitized by Google

sima fuerit. primum igitur omnes perditi homines in urbem confluxerant. — Sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat — Eos atque alios omnes malum publicum alebat. — Belli eventum exspectatant — conturbari rempublicam malebant — hæc omnia ad belli studium pertinent. Hoc igitur exprimit: *esse præcipitem*, cfr. Cic. Phil. V. 13. „homo amentissimus et in omnibus consiliis præceps," cfr. Ovid. Amor. II. 25. *præceps audacia* Val. Max. I, 67. Tac. Annal. XVI. 21. animus ad flagitia præceps. Histor. I, 24. in novas cupiditates præceps. Quare altera illa interpretum coniectura *præcipitem ire* hunc in locum certo quodam elegantiarum studio inductum, quod integritati Salustianæ orationis multum offecit Eadem est ratio in sequentibus: *de multis causis;* quod enim sæpius apud Ciceronem dicitur *multis de c.* hoc tamquam unicum dicendi genus etiam ad Salustium transtulerunt, qui sæpius omnes illas elegantias neglexit, et potius insolentia quadam dictionis laudem quæsivit.

c. 38. *tribunitia — largiendo* Bas. 1.

c. 39. *Plebis opes inminutæ, paucorum potentia crevit. Hi magistratus, provincias, aliaque omnia tenere: ipsi innoxii, florentes, sine metu ætatem agere, ceterosque iudiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata est, vetus certamen animos eorum arrexit.* Locus non uno nomine difficilis. Primum integritatem lectionis quod attinet, *quo* ante *plebem* restitui, pro quo ipse olim *quod* posueram; alii *qui* coniecerant, itidemque *ceterosque*, quod Bas. 1. Einsied. Leid. Tur. tuentur; in Paris. z. *que* est super lineam; sed paulo infra Gruteri coniecturam *novandi* invitis plurimis et optimis libris recepi, de qua mox plura. Sed horum verborum sensum accuratius examinantibus primum admirationem movebit iudicium Salustii, qui brevi illo temporis spatio inde ab anno LXVII a. Chr. usque ad a. LXIII. tantam rerum mutationem factam esse statuat, et propter optimatium factionem studium coniurationis quam maxime accensum esse dicat. Dixerit aliquis animum scriptoris a partium studio non omnino liberum fuisse. Loquitur quidem etiam Suetonius V. Iulii Cæs. c. 16. de conspiratione optimatium, cui Cæsar cedere coactus fuerit, quæ postea et Cæsarem et Metellum Nepotem administratione rei publicæ submovit. Sed id demum Cicerone et Antonio Coss. factum est, ita ut ad hoc iudicium firmandum facere nihil possit.

Sed postquam lex Gabinia et Manilia contra optimatium voluntatem perlata, et Pompeius ad bellum Piraticum et Mithridaticum missus est, fuisse videntur, qui senatus auctoritatem plane fractam esse sperarent. Sed res contra se habuit. Nam non solum Manilio, tribuno turbulento, litem intendit, cfr. Dio C. xxxvi. 25. *ὁ δὲ δὴ Μάλλιος καὶ δίκην ὀλίγου ὑπέσχεν*, cfr. c. 27. *Καὶ μετὰ τοῦτο δίκης τέ τινος τῷ Μαλλίῳ πρὸς τῶν δυνατῶν παρασκευασθείσης*, sed etiam Catilina repetundarum reus prohibitus erat consulatum petere, cfr. supra p. 451. Præterea P. Autronius et L. Sulla legibus ambitus interrogati poenas dederant. Eodemque tempore Catilinam iterum inter sicarios reum fecit Lucceius, et L. Bellienus avunculus Catilinæ et Luscius centurio Sullanus damnatus est, et Q. Gallius reus ambitus fuit cfr Ascon. p. 88. 92. 93. ed. Or. sed etiam tum Cæsaris et Crassi maximæ opes fuerunt. Etenim acerrimi fuerunt Ciceronis consulatum petentis refragatores, cum eius in dies civilem crescere dignitatem animadverterent, et eorum qui rei facti sunt, solus Manilius et Gallius homines populares fuisse videntur. Ascon p. 83. ita ut senatus in homines patricios et qui Sullanas partes secuti erant, severiorem etiam se præbuerit quam in seditiosos tribunos. Quas igitur partes Salustius alias Memmio, Mario, Licinio Macro tribuit, eas hoc loco ipse suscepisse videtur, ut de nimiis opibus optimatium quereretur. Ad hanc igitur normam Salustii verba exigenda sunt. Non omnes igitur provincias tenuerunt optimates; totum enim orientem Pompeius occupaverat, ipsamque Cretam Metello eripere parabat, Dio xxxvi. 28. neque satis accurate dicta sunt, quæ sequuntur: *ipsi innoxii, florentes sine metu ætatem agere*, iis simillima, quæ infra leguntur Jug. 31 „cum regna, provinciæ, leges, iura, iudicia, bella atque paces, postremo divina et humana omnia penes paucos erant.“ Sed quæritur, qui sint *ceteri*, quos iudiciis terrebant. Respondent interpretes, fuisse ex optimatium numero, qui non cum illis facerent. Catilinam, Antonium, Sullam puto. Sed hoc nemo iis vitio verterit. At Manilium reum fecerunt; quem quis iniuste accusatum dicat? cfr. Dio. xxxvi. 25. Sed non id quæritur, num vere hoc Salustius dixerit, sed quid dicere voluerit *ceterosque* igitur sunt omnes, qui diversas partes in re publica sequebantur, quibuscum optimates unum civitatis corpus efficiebant; eos igitur iudiciis terrebant, eo qui-

Digitized by Google

dem consilio, ne illi populum turbulentis contionibus exagitarent, id quod Salustius his verbis expressit: *quo plebem in magistratu placidius tractarent.* Nam cum optimates solos magistratus tenuisse dixerit, non possunt ad eorum adversarios verba *in magistratu* referri, sed *ipsi* optimates sunt intelligendi; quod quidem pronomen eo consilio non additum est, quod iam supra positum fuerat. sed quid est *placide plebem tractare?* iunguntur *placide et otiose, pl. et sedate, pl. et leniter* cfr. Iug. 41. *pl. modesteque inter se rem publicam tractabant;* est igitur sine tumultu, sine seditione et opponitur *turbulente.* Denique *tractare plebem* fere idem est, quod cum plebe agere, et *plac. pleb. tract.* i. e. plebem placidiorem habere; id quod etiam sequentia confirmant, *vetus certamen animos eorum arrexit.* Inde etiam intelligitur, cur *ceterosque* retinendum sit; novum enim addit, non solum opponit prioribus; ipsi sine metu ætatem egerunt, et adversarios iudiciis terruerunt, ut res publica quieta foret. Quibus opponuntur sequentia: *Sed ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata est,* quæ verba aperte ad plebem oppressam spectant. Et *novandi* quidem contra optimorum codd. auctoritatem ex Gruteri coniectura receptum est, quod fere *res novæ* et *res novare* et in universum *novare* sine ullo additamento dicitur. quem quidem loquendi usum tametsi vir doctus multis exemplis illustravit, tamen etiamnum quærendum esse videtur, annon etiam *dubiis rebus novandis* dici potuerit. Id certe nemini ille persuaserit, *dubiis rebus* pro ablativo absoluto esse habendum, cum ex sequentibus et *spes* et *oblata* cum dativo iungi potuerit, et hoc dicendi genere nihil sit frequentius, cfr. Tacit. Histor. II. 69. „principium interno simul externoque bello parantibus fatis" cfr. Annal. II. 57. amici accendendis offensionibus callidi. Ann. 6, 24. tegendis sceleribus obscurus. Ann XIV. 83. serendis fructibus incuriosos. VI. 37. Quibuscum conferenda: *insidiæ consuli, avo comes, ministri sceleribus* et multa alia, quæ satis ostendunt, quam familiaris hæc dicendi ratio Salustio maxime et Tacito fuerit. Scriptor igitur pro plebe oppressa vel hominibus miseris, quos aliquis commemoratos velit, ut eorum condicionem indicaret, *rebus dubiis* posuit. Quod si recte statuimus, salva Latinitate dici posse videtur: cum tam tristi condicioni mutandæ spes oblata esset, ita ut de rebus novis ne cogitaverit quidem scriptor, sed tantummodo de mutatione miseræ condicionis lo-

cutus esse videatur. Quemadmodum igitur vix aliquis in eiusmodi dictione offenderit *simulac sedibus mutandis spes oblata est*, ita etiam *dubiis rebus novandis* dici posse videtur. Scriptor igitur *dubiis rebus* ponendo novam intulit notionem, vel notionem vocabuli *rebus* mutavit, ita ut ne *novare* quidem sollemnem illam significationem retineret, sed nihil nisi *mutare* significaret. Ita apud Livium XLII. 31. „In tribunis militum novatum eo anno propter Macedonicum bellum.“ Et Ovidius Metam. II. 674: novata est vox et facies i. e. mutata. Id. 4, 279. „nec loquor ut quondam naturæ iure novato, ambiguus fuerit modo vir, modo femina Sython,“ et apud Ciceronem de Legg. III 5. „nihil habui, sane non multum, quod putarem novandum in legibus.“ Cum igitur variæ dicendi formulæ essent in promptu: miseris vel oppressis spes rerum novarum oblata; simulatque in tam dubiis rebus melior spes affulsit; simul *miseræ* condicionis mutationi locus esse videbatur; scriptor ex his variis sensibus novum quoddam dicendi genus composuit: Dubiis rebus novandis spes oblata est, i. e. cum fieri posse videretur, ut misera illa civium condicio in melius mutaretur.

exsanguibus ceteris Bas. 1. quod ab iis additum esse videtur, qui hæc verba pro ablativo absoluto haberent et *extorquere* nullo dativo addito dici posse statuebant.

c. 40. *civitacium* Bas. 1. *videt illos — avaricia* idem.

c. 43. *proxuma*: *u*, habet h. l. Bas. 1. *suum quæque negotium* Bas. 1. et longe plurimi libri, *suum quique* solus Parisinus (de Leid. L. enim non satis constat) et Codex Rivii, sed *quisque* et sermonis Latini elegantia et sensus postulat.

c. 44. *ac Lentulo* pro *ab*, mendum scripturæ. Bas.

c. 45. *C. promptino* Bas. 1. *Pomptino* Paris. Einsied. *Promptinio* Tur. *Pomptinio* ex Cicerone emendatum Catil. III. 2. 5. *ita agant. Permittit illis* male interpunctum, et inde perversa lectio orta. Sed *illi* Paris. Tur. *s* super lineam. *promptinum obtestatus* Bas. 1. *notus ei* idem; quæ vocabula erant transponenda.

c. 47. *fidei p.* Bas. 1. *Sullam* Bas. 1 m. pr. m. secunda *Sil.* correxit.

Coeparius idem, ut supra, sed tertio loco *ceparius — Cæp.* Paris. Einsied. Tur.

c. 48 *laeticiam agitabat* Bas. 1. *adductus ad senatum erat* idem: qui verborum ordo per errorem non restitutus est; *diviciis* idem:

Digitized by Google

mentitus esset Bas. 1. quod et ipsum fuit reponendum c. 49. *nobilitate* spl. *mobilitate* Bas. 1. quod ex mente Salustii solum huic loco convenit. c. 50. *orabat in audaciam* Bas. 1. et omnes fere libri. *exercitatos in audaciam or.* ex codd. Italicis Med. 9. Vat. 6. Paris. e. quam quidem verborum traiectionem fuit, qui inde repeteret, quod *exercitatos in aud.* insolentius dictum esse iudicabat. sed hoc apud Tacitum certe satis frequens; cfr. Hist. IV. 32; *paratus in res novas.* Annal. 1. 28. *novissimi in culpam*, apud quem in universum *in* præp. sæpius aliarum loco ponitur. Annal. 6, 22: *tristia in bonos, læta apud deteriores esse.* Hist. 3, 83 *sacrum etiam in exteras gentes legatorum ius.* Sed quæ V. D. attulit ad structuram *orabat in audaciam* illustrandam, a nostro loco aliena sunt: *in commune consultare*, reliqua in commune dicentur Plin. N. H. XXIII 22; Idem XVI. 79. *in plenum dicere.* paulo propius accedit Græcum εἰπεῖν εἰς ἀγαθόν, προκαλεῖν τινα ἐς σπονδάς, et Ruhnk. recte totam hanc dicendi rationem ad Græcam rettulit originem; ex Latinis proxime accedit *invitari in legationem* ap. Cic. Epp. ad Att. II. 18. Sueton. Calig. c. 22 *inv. Lunam in amplexus*, Virg. Aen. VII. 472. *sese Rutuli exhortantur in arma.* sed neque hoc ita comparatum est, ut ad perversam huius loci lectionem firmandam facere possit; *abditis* spl. vel *additis* Bas. 1.

c. 51 Varr. lectiones cod. Bas. 1. *O patres con. — rodiorum — incæptum — repperitur — vitam agunt* spl. *habent — D. Sillanum — Sillane — genus paenæ nov. — neque gladio* spl. al. *gaudio — si magnitudo — aut aliæ leges — quid convenit — arma tela atque militaria — indempnatum — letari — in manus sit — dampnatis.* A quibus quidem lectionibus quam ob rem discesserim vel per se clarum, vel iam paucis exponam. *O* ante vocativum omittere sollemne, nec nisi apud poetas ad commotioris animi affectus exprimendos passim occurrit, cfr. Virg. Aen 1. 76. Tuus, o regina, quid optes, explorare labor. Id. 198. O socii, neque enim ignari sumus ante malorum. 327 O! quam te memorem, virgo? — O dea certe, an Phœbi soror 522. O Regina, novam cui Iuppiter urbem etc. Aen. IV. 31 O luce magis dilecta sorori, etc. Ex ceteris varr. sola lectio *in manus* haud contemnenda videtur, quippe quam aliquis cum dictione *in potestatem habere* Sal. Iug. 112. *in custodiam habitum* Liv. 22, 25, *quæ sit in potestatem optimorum* Cic. Legg. 3, 17 conferat. Sed cum alias *in manu, in manibus* sit frequentissimum, videtur etiam hæc lectio inde orta esse, quod S

ex sequenti vocabulo ad prius translatum est. Sed satis memorabilis est discrepantia codicis Vaticani et Basiliensis primi, ille *qui reges* Vat. *quæ reges;* eademque lectio in Einsiedelensi fuisse videtur, idem Vat. pro *consuluerint* legit *consuluerunt* et duo alii Vatt. et quatuor Berolinenses *consuluerant;* perperam si quid video. Iam *consulere* cum accusativo ita iungi, ut significet idem quod *consultare*, negari nequit, cfr. Plaut. Persa v. 2. 63. „Certo illi homines mihi nescio quid mali consulunt, quod faciant." Lectio igitur *quæ reges etc. consuluerunt* non plane reiicienda est. nihilo minus tamen facile est ad intelligendum, hanc lectionem ab iis esse inductam, qui aut ad *memorandi* accusativum desiderabant, aut duo membra orationis æqualia esse debere iudicabant. Ceterum Orellius cum *quæ* recepisset, indicativum *consuluerunt* reiecit et ita magis etiam hunc locum corrupit; aut enim tota orationis vis in *quæ* est posita, ut sit *ea quæ*; aut in tota sententia: *qui — cons.* — Prior ratio indicativum, altera coniunctivum postulat. Ceterum Arrusianus Messus etiam *quæ* et *consuluerunt* tuetur. cfr. p. 219. ed. Lind. *sententiam dixere* Vat. *sententias* Bas. Leid. Eins. Paris. Tur. Utrumque recte dicitur, sed pluralis ea vis est, ut magis ea declarentur, quæ aliquis suasit vel impugnavit; singularis sollemnem formulam habet. Sed huic loco multo convenientius est, ad sensus animum lectoris advertere, quos Iulius Cæsar impugnat; quare lectio *sententias* alteri præferenda. *permovet — accendit* Vat. *permovit — accendet* Bas. et hæc quidem lectio sola probanda, tempore enim præsenti omnis vis orationis tollitur. *Equidem ego sic æstumo* Bas. *existimo* Vat. Paris. Eins. Tur. quæ quidem verba innumeris locis mutantur. sed hoc satis manifestum est, haud facile a librariis verbum simplex pro composito reponi. Accedit quod Salustius hoc vocabulum sæpius usurpat. cfr. C. 2. *vitam mortemque iuxta æstimo.* C. 10 *amicitias inimicitiasque non ex re sed ex commodo æstimare*; *quinis modiis libertatem æstimavere* Or. Macri. *ea nefanda æstimare.* Or. Lep. *facta vestra æstimavere. aestimo* C. 8. *Athen. res gestæ, sicut ego æstumo, satis amplæ magnificæque fuere.* Iug. 110 *Nam, ut ego aestumo,* Tac. Germ. 6. in universum æstimanti plus penes peditem roboris. Ann. XIII. 17. antiquas fratrum discordias et insociabile regnum æstimantes. Quint. III. 6. 80. quod, quid sit et quale sit, certe non potest æstimari

Digitized by Google

Liv. xxvi. 16. 4. quid magis e re publica duceret, æstimationem sibi permissam. Curt. iv. 5. 28. Aegyptios pro sociis ipsos, non pro hostibus æstimaturos. Eadem huius loci est ratio; nam ubi de modulo rei alicuius agitur, recte *æstumo* ponitur. Neque hoc tantum ad res externas refertur, sed ad ipsum iudicium. Ceterum quanta verborum *æstimare (extimare) existimare* in codd. mss. confusio sit, multis exemplis probavit I. Frid. Gronov. ad Liv. xxxiv. 2. 8. Sed tametsi haudquaquam omnia loca, ubi MSS. fluctuant, satis examinata sunt, hoc tamen pro certo poni posse videtur, verbum simplex non ita diversum esse a verbo composito, sed significationem, quæ proprie eadem fuit, verbo composito acui atque augeri. Similia sunt *promo expromo, purgo expurgo, puto exputo, solvo exsolvo, stimulo exstimulo, agito exagito,* et in omnibus, ubi propria significatio præpositionis *ex* vim suam non servat. *sævior* Bas. *severior* Vat. Par. Tur. prior lectio multo præstantior, ad *severior* auctor vix *paulo* addidisset. Neque satis iusta reprehensionis causa, si ea tantum paulo severior fuit; neque Cæsar illam pœnam tantum severiorem, sed *sæviorem* videri voluit, etsi ipse aliter locutus erat. Erunt fortasse, qui plane contra statuant. Cæsarem enim ut maiorem terrorem animis iniiceret, iis persuadere voluisse, vel paulo severiorem pœnam populi animos offendere; sed illi non cogitasse videntur, eum paulo infra, ut suum iudicium a vulgi dissentire doceret, Silani sententiam sibi non *crudelem* videri, dixisse, quo vocabulo significat, hoc ipsum esse populi iudicium, quippe quod iudices non *severos*, quod laudis est, sed *sævos* esse existimet, si debitam pœnam a scelestis hominibus exigant. *certe scio* Bas. Paris. Tur. *certo* Eins. Struv. illud solum rectum; non enim hoc auctor dicere voluit: hoc pro certo compertum habeo, sed cum quadam asseveratione suum iudicium confirmat. alii interpretes in omnia alia abierunt. *eamque modestiam.* copulam *que* tantum libri inferioris ordinis omittunt. Qua quidem addita num omnis vis orationis pereat, ut nonnullis videtur, aliis iudicandum relinquo. satis commode *que* omitti potuit, si notio nova adiecta esset, sed cum *modestia* tantum additum sit ad priora explicanda, locum suum tuetur particula. *sint in armis* Bas. *in armis sint* Vat. illud ad verbum, in quo vis sententiæ posita est, acuendum multo plus facit. *Possumus* pro *possum* nonnulli legunt, auctoritate cod. Turicensis in

errorem inducti; *in sententia* Vat. Eins. *in sententiam* Bas. utra lectio potior sit, non est dubium. *non animam eripi* Bas. *animam non eripi* Vat. Eins. perperam. *ex rebus bonis orta sunt.* Bas. Vat. Paris. optimi libri, quorum auctoritas iam sufficit ad hanc lectionem confirmandam. accedit ipsius sensus concinnitas. mala enim exempla non ex exemplis oriuntur, sed ex rebus vel consiliis, quæ aliis temporibus rei publicæ salutem afferebant, quæ non satis recte exempla appellantur. Ceterum nonnullorum librorum lectio *ex rebus domesticis* confirmat, *rebus* in libris fuisse. *ad ignaros cives* Bas. *eius* Vat. Paris. Einsied. illud sine dubio restituendum fuit. poterat dici *homines ignaros;* Cæsar, cuius animo liberæ civitates obversabantur, *cives* dixit, quod eiectum fuit, quia vim generalis sententiæ hoc vocabulo addito imminui statuebant. *Hi primo* Bas. *ii* Vat. *aut villas* Bas. *villam* Vat. *aut vas* V. *initium magnæ* V. quibus de lectionibus quid statuendum sit, nemo non intelligit. *senati decretum* Vat. quod fortasse aliquis præferat, quod alias Salustius in hac iunctura genitivum in *i* ponere amat, sed non omnia ad eandem normam exigenda sunt. *arma tela atque militaria* Bas. per transpositionem verborum. ceterum ille verborum ordo ferri posset, si *instrumenta* vel *instituta* additum esset. qui in epitheto offendunt, ii ad Dig. L. XVVII. 2. 56 relegandi sunt: „teli appellatione et fustis et lapis et denique omne, quod nocendi causa habetur, significatur." *circumvenire innocentes* Bas. *circumveniri* V. utrumque recte dici posse nemo negaverit, sed constructionis ratio diversa. si enim infinitivum activi ponis, *circumvenire* cum accusativo iunctum subiectum est, substantivi loco positum v. c. insidiæ innocentium, cui *alia* respondet; sin *circumveniri* legis, verba ita iungenda: innocentes cœpere circumveniri, alia huiuscemodi fieri; quod multo durius est: neque verborum ordo, neque sensus elegantia hanc structuram satis commendat. Quare vel hoc loco codicis Basiliensis auctoritas prævalet. Contra fuerunt, qui paulo infra *augere* pro *augeri* scriberent, quod non minus falsum et audacius etiam, quod ea lectio pessimornm librorum est.

c. 52. lectt. varr. cod. Bas. *variæ adsentiebantur — Itaque hæc vera esse non credidit censuit* (glossa) — *statuetis habetote* verbis *pro certo* omissis — *misereamini* spl. *miseremini* — *pr. omnia cædunt* — *nequiquam* aliq. erasum — *contempnitis.* Ex quibus maxime memorabilis

est glossa, verbis *Itaque — censuit* interposita, et cum iis particula *quod* iuncta, quæ supra lineam est. Unde fit manifestum ne emendatissimos quidem libros gravioribus vitiis carere. Id quod statim eo confirmatur, quod ante *habetote* verba *pro certo* omissa sunt, quæ deesse non possunt. Tertium accederet vitium, si *miseremini*, (quod super *misereamini* scriptum est) esset corrigendum Sed primum accedit auctoritas cod. Vat. et Paris. m. 2. tum iam olim exposui, quam ob rem hæc lectio esset retinenda, cfr. edit. min. Basil. 1832 p. xxviii. Primum enim *misereor* vix ullo loco absolute ponitur, *miseror* contra sæpissime ita occurrit. cfr. Tac. Ann. I. 39. *facunde miseratur* cfr. Liv. ix. 8. cfr. Quint. vi. 3. 70. ix. 3. 28. Neque tantum *complorare* significat, sed proxime ad significationem verbi *misereri* accedit. Aen. i. 601. *O sola infandos Troiæ miserata labores.* denique idem significat quod miseratione tactus cfr. Virg. Aen. vi. 342. sortemque animo miseratus iniquam. Quibus quidem testimoniis non ea modo refelluntur, quæ apud grammaticos, Fest. s. v. Non. p. 445. et Auctor. inc. ap. Putsch. p. 2206 de discrimine duorum illorum verborum disputata sunt, sed etiam auctoritas optimorum codicum defenditur. Denique pro *convertatur* quod cod. Basil. tuetur. in Vat. et Paris. est *convertat*, in Einsied. *vertat.* unde alii editores coniecerunt *convortet* vel *vortet.* Sed primum pro auctoritate cod. Bas. pugnat, quod et supra c. 6. *se convortit* non eiusdem modo sed nescio an omnium codd. sit lectio. accedit, quod etiam passiva forma huius verbi vim verbi deponentis apud antiquissimos scriptores obtinet, cfr. Non. p. 480. Denique habet quidem forma activa vim verbi reflexivi, quod dicitur, sed alio sensu, ubi de motu corporis agitur. sed h. l. in passiva significatione magna vis est, ita ut nulla causa satis iusta sit, cur ab auctoritate cod. Bas. recedamus. Iam qui formam futuri reponunt, ii vim huius sententiæ non satis intellexisse videntur.

iterum iam patriæ quod in Parisin. et Tur. est, nuper receptum fuit, etsi *iam* a sciolo quodam librario interpositum esse facile est ad intelligendum. Denique in Vat. est *in sinu sunt. urbis* om. idemque verborum ordinem pervertit et *occulte potest* habet, quo sententiæ concinnitas perit. *Ego ita censeo* Bas. quod exprimendum erat. Denique in fine *iique* pro *hique* nuper falso expressum est.

c. 53. *senati decretum* Paris. Einsid. Priscian. VI. 14. p. 268. invito Bas. *ac sicuti effeta parentum* quo in loco olim multi offenderant, bene se habent. ex sequenti enim nihil aliud quam *est* supplendum, et sententia hæc est: qualis effeta parentum, talis Roma inter urbes fuit, quod illa res publica, ut Augustini verbis utar de Civ. Dei v. 12., non habuit quemquam virtute magnum. Tota difficultas igitur in eo versatur, quod in altero orationis membro *Romæ* non nominativo casu positum est, sed propter vim sententiæ *quisquam virtute magnus* priorem locum obtinuit.

c. 54. *illam assequebatur* Bas. Tur. Paris. m. sec. Leid. *illum ads.* Paris. m. 1. *illum sequebatur* Einsid. *eo illum magis sequebatur* Augustin. l. l. Recentiores editores *sequebatur* corrigunt et *illum* aut omittunt aut uncinis includunt. Expressi, quod in optimis libris est. Et primum quidem falsi sunt ii, qui negant nos *assequi* posse quæ non petiverimus. Multa enim homines *assequi* solent, quorum nullum iis fuit studium. c. gr. Quint. VIII. 6. 74. risus — stultitiæ nomen assequitur. Cic. de N. D. II. 19. maturitatem. sæpius enim plane idem est quod adipisci, exæquare e. gr. nullam videor partem tuorum meritorum assecutus. Plin. Epp. IV. 8. ingenium alicuius aliqua ex parte. Sed etiamsi notio studii non plane perierat, hac ipsa re elegantia iudicii auctoris cernitur, quod cum in externis rebus fieri non possit, ut aliquid assequamur, quod non petamus, hoc Catonis moribus plane contrarium factum est. tum Augustini auctoritati non ita multum tribuerim, neque satis constat, quæ lectio sit codicum. Iam *assequebatur* etiam hac de causa magis probabile est, quod subiecti nulla est mutatio. Quam si quis statuat, necesse est, ut *illa* legatur, ut est in Paris. d. ap. Burnouf. Et hoc concesso facile etiam aliquis doceat, priorem syllabam in *assequebatur*. posse deleri, quippe quæ ex fine prioris vocabuli fuerit afficta. Iam *illa* pro pronomine tertiæ personæ positum cum magna vi notionem, quæ antecessit, repetit. Ita supra c. 51. „maiores nostri — audaciæ numquam eguere, neque *illis*.“ et semper vis oppositionis subest, quæ ne nostro quidem loco desideratur. Sed hæc omnia tantum ioci causa lusi, ut exemplo quodam docerem, multa satis probabiliter disputari posse, quæ a veritate longissime absint. Quare in lectione optimorum codicum acquiescendum esse puto.

c. 55. *iuncta*. Bas. omnia quæ ad auctoritatem lectionis *vincta* confirmandam laudantur, ad nostrum locum illustrandum nil faciunt. et

Digitized by Google

cum litterarum tractus magis *iuncta* quam *vincta* defendant, illud utique præferendum est. Nam *iungere ratem, pontem, trabes, tigna, robora* proprie dicitur in architectura, a quibus *vincire dolia*, et *opercula plumbo vincta* cfr. Liv. XL. 29. plane diversa sunt; et *vincire* de structura *cameræ* ne dici quidem posse videtur. qua in re *præcingere, alligare* multo sunt usitatiora cfr. Stat. Silv. 4. 3. 52: *saxa ligant opusque texunt cocto pulvere* cfr. Senec. Ep. 90. *alligare. inculta* optimorum codicum lectio, quam cur relinquamus nulla satis idonea causa est. nisi si quis omnia eo magis Salustiana esse putat, quo longius a communi usu dicendi recedunt. sed *incultu* duobus, quibus occurrit locis, alio sensu dicitur, i. e. per negligentiam, cui hic locus non est. præterea substantiva defectiva casibus aliter usurpare, quam ipsorum scriptorum auctoritate confirmari potest, non modo temerarium est sed plane Latinitatem pervertit. Ceterum *inculta — fæda — terribilis* bene sese excipiunt ut supra *loca inculta, fæda atque formidolosa* c. 52 Nolim tamen *incultum tenebris* iungere, etsi Ovidius *incultæ fonte genæ* dixit Heroid. VIII. 64. *tenebris* enim et *odore* arctius inter se cohærent. *indices rer. cap.* Bas. sed vocabulum initio lineæ positum, ita ut littera initialis facile omitti potuerit; alii *iudices*; *vindices* pauci libri e. gr. B. Pub. Wassii.

c. 56. *dum Romæ geruntur* spl. *hæc* Bas. quæ lectio non minus probabilis quam vulgata. *movere; scilicet ut fatigaret Antonium cum suis.* hæc verba in textum c. Bas. recepta sed ut spuria notata sunt. *Servitia repudiabat, cuius initio* etc. in optimis libris nulla varietas; neque dubitari potest de lectione, quam Priscianus his verbis commentatus est. cfr. L. XVII. c. 20 p. 81 ed. Kr.: „*Cuius* enim singulari ad rem retulit, id est cuius rei servitiorum.“

Pertinet hic locus ad multiplicem pronominis relativi usum, qui nondum satis illustratus est. Et attractionis quidem, quæ dicitur, lex et constructio ad sensum satis nota sunt. Sed Salustium etiam in structura pronominis relativi vulgaris usus fines esse transgressum documento sunt, quæ supra c. 18. leguntur: „sed antea item coniuravere pauci, in quibus fuit Catilina, de qua quam verissime potero dicam. quam anaphoram appellat Diomedes II. p. 440. ed Putsch. quod ex verbo *coniuravere* notionem substantivi hausit et ad id, quod mente finxerat, structuram accomodavit. Nostro autem

loco substantivum antecessit, et ex vulgari usu loquendi *quorum* sequi debebat, quod in nonnullis libris Franc. 1. Guelf. 6. Fabric. 1. legitur. Sed boni libri constanter omnes ad unum *cuius* tuentur, nisi quod in paucis *rei* additur. Cuius quidem scripturæ quænam sit ratio, quæritur. Facilis est responsio, cum neutro plurali *servitia* facile substitui posset singularis, isque apud Ciceronem sensu collectivo usurpetur Verrin. v. 4. „Et tamen cœptum esse in Sicilia moveri aliquot locis servitium suspicor.“ ad hoc quod eius animo obversabatur, structuram accomodasse Salustium. Quam quidem explicationem confirmat locus Plinii Panegyr. c. 11. „illos veteres et antiquos æmularis, qui hoc ipsum imperium peperere, quod modo hostes invaserant contempserantque, cuius pulsi fugatique non aliud magis habebatur indicium, quam quod triumpharetur.“ Neque abhorret Suetonius v. Cæs. 22. „Socero igitur generoque suffragantibus ex omni provinciarum copia Gallias potissimum elegit, cuius emolumento et opportunitate idonea sit materies triumphorum.“ Cum enim in cotidiano sermone pluralis et singularis *Galliæ* et *Gallia* sæpissime confunderentur, alterum altero facile mutari poterat. Quæ quidem explicatio quibus minus probabilis esse videtur, iis fortasse eorum coniectura satisfaciat, qui genitivum pronominis relativi substantivi loco positum esse statuunt, et cum nominativus, accusativus, ablativus sæpissime hanc vim obtineant, eandem etiam genitivo tribuunt. Iam quotiens alia substantiva e. gr. *rebus, sermonibus, querelis* etc. neutrum plurale pronominis relativi excipiat, satis constat. Sed etiam neutrum singulare totiens substantivi vicem gerit, ut genitivum sæpissime regat: e. gr. „quod alarum cohortiumque, quod roboris sit“ et alia multa apud Tacitum. unum exemplum accusativi addere placet. cfr. Plin. N. H. xi. s. 77. „Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membrana, quæ præcordia appellant, quia cordi prætenditur, quod Græci appellaverunt φρένας“ ubi et generis et numeri mutatio est. de Ablativo Liv. xxxvii. 24. „barbari, quo gaudent, reges habeant.“ Idem pronominis *eius* usus in notissima formula cfr. Liv. xlii. 8. 7. placere senatui M. Popillium Ligures restituere in libertatem bonaque ut iis, quicquid eius recuperari possit, reddantur curare. Ex Græcis recte laudantur Thucydides 1. 80. *Καὶ τίνι πιστεύσαντας ἀπαρασκεύους ἐπειχθῆναι; — ἀλλὰ τοῖς χρήμασιν; ἀλλὰ, πολλῷ ἔτι πλέον τούτου*

ἐλλείπομεν. Recte igitur Priscianus *cuius rei* interpretatur, hæc enim pronominis vis est, quod et contemtionem exprimit et omnem contortam explicationem removet. Eodem modo participium *futurum* vim substantivi habet. Sal. Iug. 100: Vigilias ipse circumire, non diffidentia futuri, quæ imperavisset. Eademque genitivi gerundii vis, qui apud Plautum, Terentium, Lucretium ipsumque Livium legitur. cfr. Plaut. Capt. IV. 2. 72: Nominandi istorum tibi erit magis quam edundi copia. Immo dicat aliquis etiam genitivum pronominis *hic* eandem vim tueri in illa dicendi formula, quæ est apud Terentium Adelph. II. 1. 8. „Tu quod te posterius purges, *huius* non faciam.“ in nominativo similiter ut *quod* cum genitivo substantivi iungitur: hoc commodi, quid hoc morbi est, hoc copiarum in Hispaniam portatum est. Liv. XLII. 18. quid hoc hominis est. Ter. Eun. 3. 4. 8. cfr. id ætatis, locorum: auctoritatis, honoris, virium. et Liv. XXII. 4. id tantum hostium, quod ex adverso erat, aspexit. Quæ omnia ita sunt comparata, ut pronomina sæpius vim substantivorum obtinere ostendant. quæ quamvis in nominativo et accusativo sit frequentissima, tamen vel ad genitivum transferri posse, non est quod negemus.

c. 57. *pistoriosen — presidebat — utpote* lect. var. cod. Bas. *qui magno exercitu locis æquioribus expeditos in fuga sequeretur.* ita omnes libri nisi quod in Fabr. 1. olim *expeditus* fuit, quæ lectio etiam in Fabr. 2 exstat. confirmat eandem lectionem Priscian. XVIII. c. 25. p. 240. ubi nuperrimus editor temere *expeditus* correxit, utpote qui codd. lectionem falsam esse neque regulæ a Prisciano propositæ congruere statueret. Fugit enim doctum hominem, hæc a Prisciano tantum eo consilio fuisse laudata, ut Græca ὡς ποιήσοντες Latinis *utpote qui* redderet. Male hæc inter se comparata esse nemo non intelligit, sed agitur de consilio auctoris. Iam omnes fere editores uno animo consurrexerunt, ut lectionem *expeditos* expellerent, *expeditus* reponerent. Operæ igitur pretium est hunc locum paulo accuratius inspicere illorumque argumenta diligentius examinare. Scriptor narrat Catilinam fugam in Galliam Transalpinam parasse, sed hoc consilium exsequi non potuisse, quod a fronte Metellus Celer cum tribus legionibus viam ei præclusit, a tergo cum magno exercitu Antonius instabat. Quod quo modo factum sit, scriptor explicat. Supra cap. 36. iam senatus decretum commemoraverat, ut Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturaret.

Hoc loco addit, cum *magno exercitu* et *locis æquioribus* iter illum fecisse, quæ non magis fugæ Catilinæ per montes, quam Metelli castris sub ipsis radicibus montium opposita sunt. hæc igitur non eo tantum consilio narravit auctor, ut causam propinquitatis Antonii explicaret, sed hæc omnia fusius exposita sunt, ut quo loco res Catilinæ essent, manifestius fieret. Id quod ex sequentibus intelligitur, „sed Catilina postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum.“ Verba igitur *magno exercitu* faciunt ad terrorem hostibus augendum, *locis æquioribus* sunt opposita montibus et saltibus, neque possunt referri ad sequentia. Non enim ideo exercitus expeditus est, quod per loca plana iter fecit. Sed *expeditus* non est in libris, contra *expeditos*, quod nullo modo cum antecedentibus iungi potest. Hanc ipsam ob rem alii *expeditus* emendarunt. Quod falso ab illis coniectum esse iam docebo. Primum enim non potest illud de solo duce intelligi ut apud Ciceronem Epp. ad Att. VIII. 9. „Pompeius expeditus antecesserat legiones Luceria.“ hic enim celerius ducis iter narratur, qui quo maturius Brundusium veniret, sine impedimentis, sine magno comitatu, et legionum agmine vitato, solus vel cum paucis paulo ante exercitum Luceria exierat. quo modo etiam Clodius iter fecisse dicitur a Cicerone pro Mil. 10. „Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis Græcis comitibus.“ Neque illi interpretes *expeditus* ad solum Antonium trahi volunt, sed ad totum exercitum pertinere statuunt. Sed id insolentius dictum neque ullo loco me legisse memini. sed *expeditus* exercitus dicitur, cuius milites sine impedimentis, sine longo illo carrorum, vehiculorum et iumentorum agmine, quibus arma, commeatus aliaque belli instrumenta imponebantur, iter faciunt sed sarcinas retinent Liv. IX. 31. „prædatum eo expeditæ ducuntur legiones,“ mox „arma capiunt, sarcinas congerunt in medium;“ cfr. Cæs. B. G. VII. 18. et hoc quidem sensu sæpius expeditæ cohortes commemorantur, quæ grave legionum agmen præcedunt, et omnia loca explorant, eæque fere cum funditoribus, velitibus et equitibus componuntur. cfr. J. 46. 50. 59. 103. sed aliquoties sine dubio milites levis armaturæ intelligendi sunt. cfr. J. 60. 100. cfr. 105. vel qui pernicitate corporis excellunt cfr. infra 59. *cum expeditis*. Tum magnum quoque exercitum per Italiam iter facientem expeditum esse posse, non negaverim et instar om-

Digitized by Google

nium audacissima illa Claudii Neronis expeditio, qui Hasdrubalem ad internecionem cecidit. Neque hoc est diffitendum admodum probabile esse, Antonii exercitum in tanta celeritate itineris impedimenta reliquisse. Sed inde non sequitur hoc utique a scriptore fuisse dicendum, præsertim cum hoc facile unus quisque intelligeret, sed multo minus inde aliquis docuerit, cur lectio ex omnium fere interpretum iudicio necessaria a librariis corrumpi potuerit. Sed quod rem conficit, neque *sequi* potest absolute dici, ubi idem est quod est *persequi*, neque *fuga* potest poni pro *fugientes*. Omnia igitur bene se habent: scriptoris consilium hoc est, ut demonstret, maximopere Catilinæ fuisse timendum, ne duobus exercitibus circumventus clauderetur. qui cum initio modo ad urbem, modo Galliam versus castra movisset, iam neque longius progredi neque in Etruriam prorumpere potuit. Ab altera enim parte Metellus in montium radicibus castra habebat, ab altera parte Antonius cum magno exercitu locis æquioribus fugientem secutus est. Quamvis igitur eius milites essent expediti et per calles et semitas facile iter expedirent, tamen propter hostium multitudinem brevi se undique clausum fore intellexit. Non igitur quattuor causas propinquitatis Antonii Sallustius enumeravit, sed quo loco Catilinæ res erant, more suo accurate diligenterque exposuit.

c. 58. *verbo* in rasura sed m. pr. scriptum; Bas. itidem *o milites* et infra iterum *o* supra lineam; de qua re iam supra disputatum est. *libuit vobis* Bas. 1. prius per errorem librarii. et *nobis* retinendum fuit, et tantummodo per incuriam typothetæ non expressum; optimi enim libri *nobis* confirmant. Sunt autem hæc sequentibus ita opposita, ut in prioribus communem omnium condicionem, in altero membro, quæ facultas paucis fuerit, commemoraverit.

adgrediamini Bas. Par. Eins. *adgredimini* Vat. dixerit aliquis formam imperativi melius convenire duro Catilinæ ingenio. Sed hoc magis in peroratione locum habet. Contra hic coniunctivus mediæ orationi interpositus aptius cadit. *is max. est peric.* Vatic. sed Bas. pronomen omisit et recte quidem; quod enim libri in *iis, his, illis* variant, inde facile intelligitur, alios aliter, quæ non exstabant, explevisse.

c. 59. *Nam uti planities erat inter sinistros montes et a dextra rupe aspera* hanc cod. Bas. scripturam etiamnum defendo. primum pro *dextra* codd. Paris. Tur. *dextera*, quod passim apud Sallustium

occurrit cfr. I. 10. cetera omnes boni libri confirmant, etsi alii admodum turbant. *rupem asperam, rupes asperas, rupes aspera* (etiam Bas. 1. m. pr.) quibus coniecturam *rupis aspera* addiderunt; sed hæ lectiones omnes inde ortæ, quod horum verborum sensum parum recte interpretabantur. sed ut structuræ ratio est simplicissima, ita etiam sensus apertus est. Planities erat a sinistra montibus inclusa et a dextra rupe aspera; quæ ita expressit Salustius, ut doceret, aciem latius non potuisse extendi. sed quæ scriptoris ars est, orationem variavit, et cum dicendum fuisset: uti planities erat inter sinistros montes et rupem asperam a dextra; in altero membro præpositionem adhibuit ad loci situm declarandum, in altero adiectivum, quæ coniuncta prædicatum faciunt; *inter* igitur etsi ad unum tantum substantivum refertur, tamen hoc significat, planitiem ultra montes sinistros non fuisse extentam; ab altera autem parte ea non solum rupe clausa sed etiam aspera fuit, ita ut ne in hoc quidem latere acies longius porrigi posse videretur. *aspera* igitur neque vim substantivi habet neque pro accusativo habendum, sed est nom. singularis feminini generis; qua quidem simplicissima explicatione omnes illæ interpretum nugæ concidunt. Ut igitur interpunctione sensum illustrem, verba ita describi poterant: „nam uti planities erat, inter sinistros montes et a dextra rupe aspera;“ Ita neque *montis* post *dextra* repetendum neque *aspera* pro substantivo habendum; quod qui statuunt, a veritate longissime aberrare mihi videntur. *centuriones omnes, lectos et evocatos, præterea* — ita hunc locum interpungendum esse censeo, alii: *c. o. lectos*, alii: *centuriones, omnis lectos et evocatos*, vel: *ab his centuriones, omnis lectos, et evoc.* quæ quidem diversitas inde fluxit, quod verba *lectos et evocatos* alii aliter interpretabantur. Iam *evocatos* posse seiungi a centurionibus per se patet, et testimonio locus est e Cæsare B. C. 1. 17: „militibus in contione agros ex suis possessionibus pollicetur, quaterna in singulos iugera, et pro rata parte centurionibus evocatisque.“

cfr. Cæs. B. C. 1. 3. „completur urbs tribunis, centurionibus, evocatis.“ III. 53. „evocatos centurionesque complures.“ quibus ex locis fit manifestum, medium quendam locum tenuisse evocatos et, ut olim equites illustres, fere ordines duxisse. quare in veteribus glossariis evocatus ταξίαρχος explicatur. Nihilo minus tamen aliis locis *evocatus* naturam participii retinet cfr. Cæs. B. C. II. 5. evo-

Digitized by Google

cati et obsecrati cfr. III. 21. atque eo in Italiam evocato. cfr. I. 23. „magnus numerus equitum Romanorum et decurionum, quos ex municipiis Domitius evocaverat;“ ita ut etiam hoc loco liberum sit iudicium, utrum *evocatos* aliquis pro participio an pro substantivo habere malit. iam nemo negabit, *lectos et evocatos* separari non posse; *lectos* supra legimus, c. 50. „libertos suos, lectos et exercitatos in audaciam,“ cui loco noster simillimus; scriptor enim, si *evocatos* a centurionibus seiunctim nominare voluisset, sine dubio *et* omisisset. Catilina igitur omnes centuriones, qui lecti et evocati erant, in primam aciem subduxit. falsa scriptura est *centurionis* in Bas. m. 1. et paulo infra *coloniis*. *tumulti* Tur. m. pr. confirmat Nonius p. 489. quam quidem formam Plauto, Terentio, Accio, Ennio, Afranio, Turpilio usurpatam fuisse satis constat. cfr. Non. l. l. et p. 483. 484. eodem loco Non. habet lectionem *in frontem*.

c. 60. *unde ferentariis* Bas. omissa præpositione *a*, quæ hoc quidem loco necessaria est; contra Einsied. *unde a signiferis ferentariis*, quæ glossa librarii est, *ferentariis* male interpretantis. *accersere* Bas. *accersire* Par. *arcessere* Eins. Tur. *Postquam fusas* super lineam man. rec. *Catilina* Bas. et sane initio nomen non minus apte quam fine orationis ponitur. positio, quæ adhuc obtinuit, inde orta, quod nomen suo loco omissum alieno illatum est.

c. 61. *quanta vis animi* Bas. sed *que* quod primitus fuit, erasum. *animi vis* Paris. *quem quisque vivus pugnando locum* optimum verborum ordinem exhibet Bas. et Paris. *pug. loc. vivus* Eins. Tur. *anima amissa* Bas. *am. an.* reliqui. *qui e castris* Bas. *de c.* vetustissimi Gruteri, quos nemo novit. *amicum alii hospitem* Bas. quæ lectio quamvis ferri posset, dummodo ante *alii* interpungeretur, tamen in tanta exemplorum copia, ubi *pars* et *alii* componuntur cfr. C. 2. I. 13. *urbes partim vi alias*. 38. 51. *pars cedere alii insequi*. 83. *probare partim, alia abnuere*; 50. 66. *multi-pars* 100. 40. *pauci—pars* 60; et cum Bas. fere solus *pars* omittat, tot codicum auctoritati cessi; sed hoc silentio non prætermittendum, ex multis, quæ laudavi locis, ne unum quidem eundem, quem hoc loco verborum ordinem habere. Quare probabilius aliquis esse dixerit, bis *alii* positum fuisse, unde etiam facilius fieri potuerit ut alterum omitteretur.

c. 1. *actores* Eins. Tur. m. 2. Paris. et in margine *operatores. auctores* Bas. pugnat igitur inter se codd. auctoritas et est sane lectio ita comparata, ut utrumque recte poni possit. Nihil enim est illorum sermone insolentius, qui hæc et similia interdicto aliquo diiudicant et unum alterumve Latine dici posse negant. Supra Cat. 3. *actores*, ubi scriptoribus opponebantur, ut ap. Cic. de Or. III. 15. *orator verborum — actor rerum* veram esse lectionem in confesso est. Præterea nostro loco *actores* etiam vulgarem illam habuerit commendationem, quod verbum paulo insolentius pro usitato vix a librario repositum esse videatur. Accedit quod vel nostro loco illud vocabulum videtur habere oppositum, quo eius notio acuitur, ut *scriptor, orator, auctor*, cfr. Nep. Att. 3. 2; Cic. pro Sest. 28, 61. Cæs. B. Civ. I. 26. sic h. l. *negotia*, quæ sæpius liberam agendi facultatem tolluut; idque propter multiplicem huius vocabuli *(actores)* usum necesse est; sed ipsa illa oppositio, quam necessariam diximus, si *actores* vera est lectio, non satis certa est. *Auctores* enim (actores) multo arctius cum *culpam* quam cum *negotia* iunctum, quod iam ex pronomine *quisque* colligitur. quod si vere dicitur, nemo *actores* probaverit; ut enim *auctor culpæ* recte dicitur, ita *actor* hac in iunctura locum non habet. Præterea vix putaveris, Salustium propter præcedens *accusatur* vocabulo usum fuisse, quod etiam ad iudicia trahi poterat. Neque significatio vocabuli *negotia* tam aperta est, ut etiamsi cum *(auct.)* arctius iungendum sit, id vocabulum illustrare possit. Rem conficit optimi codicis auctoritas.

tanto cura Bas. errore librarii. *multaque* Bas. Par. Tur. sed in Par. spl. *multum* Ein. illud præstantius; *multum* enim, quod aut rei modum auget, ut in *multum officere* C. 17. diu *multumque fatigati* I. 94. *multum auctæ* I. 19. aut ad temporis notionem transit, *multum pugnare* c. 69. *multum et familiariter agebat* I. 108. hoc loco ferri non potest. opponuntur enim *tanta cura — quanto studio;* quæ quidem opposita non debent temporis notione infirmari. et *etiam*, quod sequitur, non novam quandam rem inducit, sed ad idem rerum genus referendum est: *aliena — nihil profutura — multaque etiam periculosa.*

ubi Bas. Ein. Tur. fortasse etiam Par. qua in lectione multi offenderunt, quod vulgaris dicendi ratio *uti* postulat. Iam eo, quo,

Digitized by Google

unde, ubi, dici posse, ubi notio loci retinetur, per se clarum. sed non minus notum est *ubi* non solum referri ad personas, sed etiam rei facultatem declarare Cic. Cat. I. II. „habes ubi ostendas etc.“ de liberiore usu huius particulæ cfr. Iustin. X. 1. 6. Val. Max. V. 3. 2. Ext. Cic. Epp. Fam. VI. 7. Iam in qua structura, si verba sensu proprio intelliguntur, nemo offenderit, ea non debet insolita videri, ubi tota dictio translata est.

c. 3. *quibus per fraudem ius fuit, utique tuti aut* ita Bas. nisi quod *ius* et *vis* tam similiter scribuntur, ut facile alterum alteri substitui possit. sed hoc ipsum vocabulum interpretes maxime sollicitos habuit. cum enim alii libri *his, is, vis* exhibeant, fuerunt qui *is* reponerent, quo nihil potest cogitari ieiunius; primum quod illud pronomen omni vi caret, tum quia talem dicendi rationem Salustio obtrudere, hoc est de eius ingenio derogare.

Iam *vis* poni non posse ex sequentibus colligebant, *nam vi quidem regere patriam.* quid igitur prohibet, ne *ius* legatur? negant illi *ius* absolute pro potestate poni. sed *ius consulare* sive *ius prætorium* nemo umquam in dubium vocavit. at supra Cat. 20. legimus *in paucorum potentum ius atque dicionem concessit.* I. 31. *leges, iura, iudicia.* ibid. *parandi iuris et maiestatis constituendæ gratia.* Hist. Or. Lep. *ius iudiciumque omnium rerum* I. 14. *ius et imperium regni — ius imperiumque omnium rerum* cfr. Liv. 1. 17. *summa potestate populo permissa, ut non plus darent iuris, quam retinerent.* spectat igibus ius ad imperia et honores. cfr. infra c. 4. „furtim et per latrocinia potius quam bonis artibus ad imperia ad honores nituntur.“ Id igitur extra omnem dubitationem positum est, *ius* esse retinendum et recte statuerunt, videri Salustium imitari Demosthenem: ὅταν δὲ ἐξ ἐπιβουλῆς καὶ πλεονεξίας ἀπάτῃ καὶ βίᾳ κατέχηται (sc. τὰ πράγματα) cfr. Or. adv. Phil. Epist. p. 154. Sed magis dubia sunt sequentia *fuit, utique tuti.* primum offendit κακοφωνία in molesta similium terminationum compositione. sed hæc iam lenitur, quod *fuit* cum priore propositione iungendum est. Tum Einsied. *utique* om. Par. *uti* et spl. *tuti* habet. et *uti tuti* in Tur. et Leidensi est. Quare *utique* ex geminatione syllabarum ortum esse statuunt. Id quod per se satis est probabile. accedit quod propter *neque*, quod præcedit, particulæ *utique* vis quam maxime infirmari videtur. sed quibus alii argumentis huius particulæ auctoritatem impugnant, ea

ita sunt comparata, ut pæne me consilii pœniteat, quod eam eiecerim. Quod enim hoc vocabulum nullo alio loco apud Salustium inveniri docent, id, si illos audiremus, ad omnia ἅπαξ λεγόμενα tollenda valeret. Et quod *neque — utique tuti* explicant *neque adeo, neque fere*, plane non intelligo, quid sibi velint. quod hoc de rebus historicis dici posse negant, obscurius etiam dictum est; sed quod *tuti* nullo additamento egere demonstratum eunt, id plane ridiculum est. Vim particulæ explicant loca ex Livio laudata XXI. 38. 48. „turbasset utique novissumum agmen.“ XXIII: cetera utique ab Roma mittenda esse; XXV. 6: milites *utique* morituros in aciem misistis XXV. 23. huius *utique* redimendi et Epicydæ cura erat ingens XXVI. 22. si *utique* aliquem consulem creare vellent. XL. 9. regnare utique vis.

c. 4. *adeptus sum* multi libri, Vatt. Medd. Venett. et omnes codd. deteriores. sed *sim* optimi Bas. Par. Einsied. quæ quidem varietas hominibus doctis ansam præbuit, mira quædam de modis statuendi. Alienissima enim conquirentes docuerunt, lectionem minus bonam contra optimos libros esse retinendam. Neque satis habent perversam lectionem recepisse, sed etiam novam quandam doctrinam excogitant, ut idem aliis quoque locis facere liceat. Quos quidem vere et graviter exagitavit Madvigius ad Ciceronem de Finibus I. 4. II. p. 25. *clara, magnifica* Bas. coniunctione omissa; quod vix incuria librarii videtur esse commissum.

eas sustinent, Bas. ubi littera *s* aperte ex initio sequentis vocabuli repetita est.

c. 5. *obviatum est* et c. 7. *obviando* Bas. et priorem quidem lectionem etiam multi alii libri tuentur. quare fieri vix potest, ut errore librariorum tot in libros pervenerit; res autem admodum est memorabilis. Cuius enim vocabuli origo vulgo ad tertium vel quartum seculum refertur, ad Pseudo-Quintilianum, Vegetium, Palladium, Hieronymum, id in optimo Salustii codice scriptum. Iam facile quidem hæc lectio ex scripturæ compendio per ἀβλεψίαν oriri potuit, sed hoc recte inde colligitur, librarium, quem hominem haud indoctum fuisse merito statuimus, hoc verbum pro vero et genuino habuisse, ita ut ἀρχέτυπον huius codicis ad summum ad quintum sæculum referri posse videatur.

initium expediam Bas. Par. et plurimi libri. quæ lectio adhuc a me et ab omnibus interpretibus neglecta est, etsi locus est simili-

Digitized by Google

mus Catil. 4. „de cuius hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.“ Explicatio modi coniunctivi facilima: Exprimitur iudicium scriptoris, qui cum statueret, rei initium expediri non posse, nisi pauca prius explanata essent, digressionem fecit de Masinissa et de eius familia.

amicitia Bas. Par. alii; quæ lectio falsa interpretatione compendii scripturæ in libros irrepsit. Etsi enim apud Ovidium satis frequens est structura participii *receptus* cum ablativo, ea tamen a Salustii oratione aliena est, cfr. Hand. ad Hor. Tursell. III. p. 295. et nostro quidem loco propter adiectum *a P. Scipione* ferri non potest.

siphace Bas. *syphace* Tur. *siface* Ein. *suface* Par. quæ quidem forma mihi proxime ad Salustianæ orthographiæ rationem accedere videtur.

hiemsal Bas. Par. sæpius, littera *p* omissa.

c. 6. *et minimum* Bas. *et* quod omnes fere libri tuentur, plures editores eiecerunt, quod vulgari antithetorum compositioni non satis respondere videtur; sed significatio particulæ *et* propter sequens vocabulum paulisper mutatur et non minuit sed auget oppositionem. *pravis* spl. *parvis* Bas. *ab hoc* idem.

c. 7. *quis rebus* Par. *quibus* Bas. cum Salustius utramque formam usurpaverit, sola optimi cuiusque codicis auctoritas pro certa norma habenda est.

c. 8. *adduxit* quod optimi libri tuentur, non modo hanc ob causam præstantior lectio habenda, sed etiam propter significationem magis probanda quam *abduxit*, quod aut obscenum est, aut ad vim spectat

c. 9. *certo* Bas. Par. *certe* Ein. Tur. quod fuit, qui hoc loco præferret. et sane supra Catil. 51. Bas. *certe scio* exhibet, et utrumque recte dicitur. hoc vim affirmationis auget, illud non proprio iudicio, sed ipsius rei veritate fidem facit.

c. 10. *Iugurtha te* Bas. Eins. Par. *te Iug.* Vat. Tur. priorem lectionem præfero, quia orationem magis acuit. *si mali* Bas. sed *n* a m. sec. erasum, perperam si quid video. alia enim est ratio loci superioris Cat. 59 *si metu cesserimus*. ibi enim duo orationis membra magis disiuncta sunt. Sed diffiteri nolo, hæc omnia melius sensu iudicari, quam ad certam quandam normam dirigi.

c. 11. *negociis-hiemsal* Bas. *amministrando* idem. *his tribus proximis* Bas. *his* om. Ein. Tur. in Par. supl. unde factum est ut interpretes pronomen aut eiicerent aut transponerent. sed pronomen

additum non modo temporis spatium certioribus finibus circumscribit, verum etiam indignationem atque acerbitatem Hiempsalis magis declarat. *adoptatione* Bas. Par. *adoptione* Ein. Tur. Leid. m. 2. Sed dubitari non potest, quin illud Salustius prætulerit, primum ne vocabulo uteretur, cuius in iudiciis propria fuit significatio, tum quia plenioribus et antiquioribus formis delectatur. Etsi Gellius *adoptatio* pro *adoptione* usurpasse videtur Gell. v. 19. „quod per prætorem fit, adoptatio dicitur," et ipse Cicero eandem formam habet Tusc. Disp. 1, 14, 31. nisi forte, quod Wolfii iudicium est, ab Italo quodam philologo Sæc. xiv huic auctori obtrusum fuit!

c. 12. *Tarmida i* spl. Bas. *cum Hiemsal interim* Bas. eadem ratione, qua supra c. 10 *Iugurtha te.* verba, interposito vocabulo, magis acuuntur, idque plurimum facit ad vim orationis augendam. *repperitur* Paris. fortasse melius. *iussi fuerant* spl. *erant* Bas. ubi fluctuat iudicium. nam non minus sæpe explicationes quam emendationes super lineam scribuntur cfr. supra *parari — moliri* spl. *batur,* infra *quis* spl. *quibus* et ita sæpius. si res integra esset *fuerant* reponerem.

c. 13. *brevi tempore divulgatur* Bas. et pauci alii; manifesta glossa, quæ per incuriam librarii mediæ orationi interposita est. contra *Numidæ discedunt* idem Bas. solus, ut videtur, quem quidem verborum ordinem quamvis ille solus tueatur, tamen præstantiorem duxerim, ut supra Catil. 60. ubi *videt Catilina* etiam ab iis excogitatum est, qui orationem scriptoris per se satis gravem vel exquisito verborum ordine acuendam esse censebant.

c. 14. *vos in adfinium locum* Bas. Ein. Tur. Par. *in* spl. *affinium loco* Vat. scilicet antiquam illam et minus usitatam dicendi rationem vulgari mutarunt. quam quidem structuram non solum exempla confirmant, ubi *in locum* pro *loco* dicitur Cic. Verr. v. 28. 73. „in eorum locum et ad eorum numerum cives Romani hostilem in modum cruciati" Iustin. xii. 12. 29. „Craterus iussus Macedoniæ præesse in Antipatri locum" sed etiam dictiones apud ipsum Salustium Iug. 85. ne quis modestiam in conscientiam duceret, 82. in supertiam vortebant, 92. in virtutem trahebant. 73. sua necessaria post illius honorem ducerent. confirmat denique Cic. de Or. I 40. 183. quæ in concubinæ locum duceretur.

posse me a vobis Bas. *me* om. Vat. illud utique rectius. Salustius enim et alias accusativum cum infinitivo post talia verba

Digitized by Google

simplici infinitivo prætulit, cfr. Catil. 1. „qui sese student præstare“ c. 7. „sic se quisque hostem ferire properabat.“ fuit qui *possem* coniiceret. neque hoc improbandum et confirmatur auctoritate cod. Ein. qui tamen *e* post *m* spl. habet. *beneficia p. r. li.-ni* spl. quæ lectio satis probabilis, sed parum certa; quod *a* post *beneficia* facile omitti potuit et vocabula *populus Romanus* per compendia scribuntur, quæ librarii pro suo quisque captu explent. *secundum ea*, huius lectionis integritatem confirmat Priscianus XIV. 1. 584 ed. Krehl. „secundum quoque, quando pro κατὰ et μετὰ accipitur, loco præpositionis est; Salustius in Iugurthino: *Secundum ea, uti debitis uterer.*“ quam qui reiiciunt, Ciceronis et Cæsaris testimonia (B. G. 1. 33. in Vat. 6.) non curant, eos contentionis magis quam veritatis studiosos esse dixerim. *per se ipsa* Bas. sed lineola super *a*, vulgari librariorum errore; cfr. Catil. c. 20. *nosmet ipsi* 23. *suamet ipse scelera*, 52. *mecum ipse reputo.*

expeto Bas. 1. cui boni libri accedunt. quod cur infirmius dictum esse videatur quam *exspecto*, vix aliquis dixerit. Coniunctum videmus *admirari, optare, expetere*, — deposcere atque *expetere* — *summa cupiditate expetere* — et talia multa. Præterea *petere* et *appetere* paulo supra. Tum *expectare* et *expetere* facile inter se mutari posse nemo dubitat, sed hæc est quæstio, utrum melius conveniat. Iam *alienas opes exspectare* inopis est, cuius omnis spes in alius auxilio posita; contra *expetere* dicitur, cuius animus tam fractus est *(deformatus ærumnis)* ut ad hominum misericordiam tamquam in portum confugiat. *his finibus* Bas. Par. Ein. Tur. *iis* Vat. cfr. supra ad Catil. c. 20. *suphacem* Vat. quod prope ad scripturam cod. Paris. accedit. *liberis regnique* Vat. quam lectionem illi brevitatis Salustianæ admiratores cupide arripient; contra nemo non intelligit, quantum pronomen additum rei indignitatem augeat. eadem ratio alius variantis *numquam ergo* pro *numquamne*. — *versabitur* ubi Bas. et Vat. consentiunt, et in Par. et Tur. spl. Contra *versabimur*, quod Ein. Par. Tur. a m. pr. habent, omnes cupide amplexi sunt, qui minus codd. auctoritatem quam rhetoricam quandam sequuntur elegantiam. *se efferens* Bas. *ecf.* Vat. *sese* Par. Ein. Tur. quod iisdem rationibus ducti plures receperunt. *eius regnum* Bas. multo melius quam vulgatus verborum ordo: *reg. eius.* — *isdem dolis nonquit* Vat. quæ verborum formæ, cum certam quandam antiquitatem redoleant, utique reci-

piendæ, nisi Vaticanus auctoritate Basiliensi cederet. *multum laboris* idem Vat. certo quodam elegantiæ studio, quod ab hoc loco plane alienum est. idem paulo infra *propinquos ceteros, alium* et pronomen *meos* omisit idem. cfr. supra: *liberis regnique* etc. *anima est — atque luctu* lectiones Vaticanæ, testimonio sunt, hanc librum etiamsi vestigia antiquitatis retineat, tamen minus accurate scriptum esse quam Basiliensem. *ne fœdera* Bas. *neu fœd* Vat. Etiam hoc loco Bas. plus tribuendum. Sed in sequentibus, *ne (næ) ille*, quod cum Vat. Par. et Eins. defendit, a codicis Basiliensis auctoritate recessi; *ut* enim, quod ille exhibet, mera interpretatio alterius lectionis est. Sive enim librarius *ne* pro scripturæ mendo habuit, quod vis negativa particulæ, quam male interpretatus erat, eum male habuit, sive, ut insolentiam orationis molliret, in eius verbi locum, quod summam indignationem expressit, id substituit, quod vulgari sermoni erat accomodatius, *ne* utique præferendum est. Ceterum in fine orationis Vaticanus verba: *per vos, per liberos atque parentes vestros, per maiestatem populi Romani* non expressit et *subvenite misero mihi* ceteris omissis coniunxit, ordinem verborum *mihi misero* corrupit.

c. 15. vitiosæ scripturæ cod. Bas. *Hiemsalem — Numanciæ — contempnere — diviciis — vicia* sed in fine capitis per emendationem *Hiempsalis*

c. 16. Varr. cod. Bas. *præcium — haut — Mauretaneam* — sed utroque loco *i* correctum. præterea ante *legati* numerus *X* omissus; sed aliquid spatii relictum. *eadem ratione* spl. *via*, præterea *anteferebant* Bas. quod ut insolentius reieci. legimus quidem supra c. 14. *pars in crucem acti*, sed antecessit pluralis *capti* et *amicos* atque *propinquos* commemoraverat. Præterea *pars* cum plurali iungitur, cum *alii — pauci — plerique, multi* vel in universum pluralis exadverso stat. c. gr. cfr. Cat. 2. C. 48 I. 34. 60. Multo quidem sæpius infinitivus historicus sequitur, idque multum valuit ad hanc structuram sæpius usurpandam.

in amicis habuerat. lectionem exprimendam curavi, quam Codd. omnes ad unum tuentur; de codice enim Commelino, qui amissus esse videtur, nil certi dicere ausim. Sed dixerit aliquis, melius utique me facturum fuisse, si omnium fere interpretum consensui cessissem, et coniecturum *in inimicis* recepissem. Quorum quidem consilium quo minus sequerer, hæc me prohibuerunt. Primum in

Digitized by Google

hac re offendi, quod quæ lectio, ut illorum est iudicium, tam aperta fuit, ut de eius veritate nulla posset moveri dubitatio, ab omnibus librariis relicta fuerit, vel, si in ἀρχετύπῳ errore quodam vera lectio corrupta fuerat, ne unus quidem ex librariis hoc vitium odoratus sit. Ex qua quidem re satis probabiliter aliquis coniecerit corruptelam illam non plane fuisse absurdam. Præterea omnes consentiunt decretum illud, ut decem legati regnum Numidiæ dividerent, ex voluntate eorum, qui Iugurthæ rebus favebant, i. e. maioris partis senatus, esse factum. Quod si verum est, quomodo fieri potuit, ut eius legationis princeps is crearetur, qui Iugurthæ inimicus esse putabatur? Iam hoc quidem satis consentaneum est, amicos coli et observari, sed hominem auro corruptum vel contemnere licet, quippe qui necessitate quadam coactus est, ut ea, quæ volumus, suscipiat, defendat, adiuvet. Potuit igitur hoc admirationem movere, quod Iugurtha hominem, quem iam multo ante auro corruperat, novis officiis coleret et nova largitione sibi conciliaret. Neque Iugurtha hoc fecisse putandus est, nisi ut maiora etiam, quam adhuc assecutus erat, ab eo postularet. Quodsi enim maior pars legatorum a Iugurthæ partibus stabat, unius hominis gratia negligi potuit. Sed, ni fallor, Aemilius Scaurus hanc ipsam ob rem regi adversatus est, quod Opimius nimis facilem se ei præbuerat. Neque putaverim Aemilium Scaurum postea ex rogatione Mamilia inter quæsitores fuisse electum, nisi eum Opimii adversarium atque inimicum homines putassent. Immo si Opimius antea Iugurthæ regis consilia oppugnasset, erat ille non minus dignus, quem Salustius exciperet quam Aemilius Scaurus, neque, Opimio adversante, illud senatus decretum in Iugurthæ gratiam fieri potuisse videtur. Quæ quidem omnia ita sunt comparata, ut homini rem paulo accuratius examinanti dubitationem iniicere possint, utra lectio *in amicis* an *in inimicis* sit præferenda.

c. 17. Variantes cod. Bas. *amicicia — catabatmon — inicio — hiemsalis.* Verba: *genus hominum salubri corpore, velox patiensque laborum* in margine adscripta. *que* per negligentiam a librario adiectum esse videtur. Ceterum *arbori infecundus* optimus quisque cod. confirmat Bas. Par. Ein. Tur. Leid. omnesque meliores Cortii libri; refragatur Arrusianus Messus p. 230. ed. Lind. Sed primum ex hoc scriptore non potest colligi, eum dativum ponere noluisse, se-

quitur enim mox aliud exemplum cum genitivo. Tum apud ipsum Virgilium multis in libris legitur *oleæ*. Et dativum locum habere posse statuit Wagnerus, qui laudat Lucan. IX. 696. „sterilis tellus fecundaque nulli arva bono.“ Sil. II. 498. fecundum in fraudem hominum genus. Plin. II. 78. „tractus fertilis ad omnia“. Laudarunt alii Curt. VI. 4. 21. uberrimum gignendis uvis solum est. quod quomodo pro ablativo haberi possit, equidem non intelligo. et quamvis apud Tac. Annal. XIII. 57. „flumen gignendo sale fecundum“ legatur, tamen *sale* tantum per coniecturam a Puteolano restitutum est. Accedit Iustin. XLII. 1. 4. in omnia genera frugum fecunda est (Hispania). Quæ quidem loca id demonstrant, structuram cum dativo ab ingeniis Latinorum non alienam fuisse. Et hoc quidem in adiectivo *infecundus* facilius etiam fieri potuit, quod vulgo absolute ponitur. Iam cogites, quæso, quotiens Tacitus adiectivis, substantivis, verbis, dativum iunxerit, quæ apud nullum alium scriptorem sic construuntur; pauca laudasse satis erit. h. 2, 59. nudus exercitando corpori; h. 4, 68. turbidus miscendis seditionibus; 2. 6. parando bello tutum mare; Ann. 6. 24. tegendis sceleribus obscurus. Ann. II. 57. amici accendendis offensionibus callidi; h. 3. 49. quæ seditiosa et corrumpendæ disciplinæ mox in prædam vertebat. Similia alii quoque dixerunt e. gr. Virg. Eclog. v. 65. sis bonus o felixque tuis. Ov. Pont. IV. 6, 32. sontibus esse trucem. Liv. 27, 39. omni generi humano insociabiles. Senec. Herc. Oet. 1027. patri es scelestus. Quin immo Salustius ipse: „editiorem locum cepit, quam victoribus decebat;“ ad quem locum interpres bene animadvertit: Salustius græcissat. cfr. Voss. de constructione c. 35. Quare cavendum est, ne arctioribus finibus usum Latine loquendi circumscribamus, neve notissima illa formula „hoc non Latinum est,“ ad optimorum librorum auctoritatem infirmandam abutamur. *permixti sunt* cod. Bas. cfr. supra c. 4. *sum adeptus*.

c. 18. Variantt. cod. Bas. *inicio — getuli et libies* — idem habet *Medi et Armeni* medio vocabulo *Persæ* omisso. idem constanter *Armeni i* simplici scripsit, quod cum a ceterorum et Latinorum et Græcorum scriptorum orthographia recedat, est hæc terminatio pro forma contracta habenda, quæ ut *Di, isdem, peculi* ex vetere scribendi ratione servata est. sed etiam apud Florum et Melam nonnulli libri *Armeni* tuentur. cfr. Ducker. ad Flor. III. 12. 4. — *quas nox coegerat* Bas. Par. Eins. et optimus quisque ex Cortianis; *qua* libri deteriores et

Digitized by Google

interpretes. Causam si quæris, est contentionis studium atque incuria. Confirmat enim optimam illam lectionem Sulpicius Severus, Salustii imitator diall. I. 15. „quas nox coegerit, sedes habent," et Hieronymus Ep. IV. 3. „habitabant in tentoriis et quas nox compulerat sedes habebant." Ex quibus locis magni illi critici, qui soli sibi sapere videntur, colligunt iam mature in Salustii codd. veram scripturam depravatam fuisse! Quod quidem eorum hominum est iudicium, qui codices numerant non æstimant, et Gorlitzianos et Berolinenses libros venditant, quibus ne unius quidem boni libri inspiciendi copia fuit.

propius mare africam Bas. mendo scripturæ. *corrumpere* idem. quæ lectio ex terminatione in *ere* nata esse videtur. infra enim idem ad *addidere* superscripsit *vl. erunt.* — *proxume Carthaginem* Bas. et omnes meliores. sed ex Arrusiano p. 252 Lind. qui *proxima Carthagine* et infra c. 19. *proximi Hispania* habet, finxit aliquis lectionem *proxuma* et *proxumi Hispaniam;* hoc est bonis libris fidem derogare, ut nova quædam invenisse videaris.

c. 19. Varr. cod. Bas. *catabatmon — tereon — sirtes — mauretaneam — i — i* spl. — *iugurta — boccus. — de Carthagine silere melius puto* ita omnes libri excepto uno Eccard. qui *tacere* habet. Quintilian. II. 13. 14. „Nonne huic simile est illud Salustianum: *Nam de Karthagine tacere satius puto, quam parum dicere.*" contra Appuleius de Mundo c. 24. *de rectore quippe omnium non, ut ait ille, silere melius est, sed vel parum dicere.* et Hieronym. Ep. ad Paullin. 103. *super quo tacere melius puto, quam pauca scribere.* Quibus ex locis facile aliquis colligat, sæpius veteres parum diligentes fuisse in laudandis veterum scriptorum sententiis, quippe quas e memoria citarent. sed fuit, qui nos *tacere* legendum esse doceret, et *silere* Latinum esse negaret, Doederlinio auctore usus. At supra legimus: *eorum ego vitam mortemque iuxta æstumo, quoniam de utraque siletur.* Quid? quod Tacitus Agric. 41. dicit: ea sunt insecuta rei publicæ tempora, quæ sileri Agricolam non sinerent. Vellei. II. 18. 1. Mithridates, vir neque silendus, neque dicendus sine cura. Quare recte aliquis statuat, etiam hoc loco melius fuisse silere, quam tam multa contra usum sermonis Latini disputare. cfr. Serv. Virg. Aen. I. 342.

c. 20. Varr. cod. Bas. *numanciam — accendit* spl. *vl. intendit — Adherbalem dolore permotum* cfr. c. 21 *utriusque consedit exercitus*, ut in nonnullis editionibus scriptum est. Cat. 60 *seque cum paucis*

relictum videt Catilina. quod in libris est deterioribus, hoc ordine Einsied. Tur. Contra Bas. initio: *regno diviso.* sed per asteriscos transpositionem fieri iubet. sed vereor, ne nimis sit temerarium in Salustio ad exemplum librorum minus bonorum ordinem verborum mutare. Non enim ad rhetorum normam Salustii oratio conformanda est, quippe qui multo magis sententiarum vim spectarit, quam de verborum collocatione laboraverit.

c. 21. Varr. cod. Bas. *intelligit — iugurta.* In fine capitis verba: *de controversiis suis iure potius quam bello disceptare* in maiore parte codicum etiam in Bas. Par. Eins. Tur. Leid. omissa; tuetur e melioribus Erl. quæ quidem res, quantum ad codicum familias describendas valeat, postea videbimus.

c. 22. *accepta ratione* Bas. (*o* om.) librarii errore. *quod Roma dum proficisci parant* Einsied. quæ quidem lectio quamvis ferri possit, tamen merum librarii inventum esse videtur, qui formam substantivi ad proximum verbum accomodavit. *quod plura bene atque strenue fecisset.* usitatior structura, vel pueris nota, erat: *quo plura.* sed *quod* Bas. Eins. Tur. Par. et in hoc quidem *d* super lineam, multi alii libri. quare Cortius recte iudicat: esse etiam num deliberandum, utrum præferendum esset. Cuius quidem iudicium recentiorum assensum non tulit. Sed iterum redit quæstio, quibusnam rationibus librarios inductos esse putandum sit, ut vulgarem usum dicendi relinquerent et exquisitius orationis genus inducerent. Dixerit aliquis sæpius in libris MSS. *quod* et *quo* inter se confundi, ita ut hoc errore quodam fieri potuisse videatur. Sed cum meliores libri illam lectionem tueantur, cum in Parisino adeo super lineam *d* additum sit, communis hæc dicendi formula ad hunc locum referri non potest. Iam satis constat, in propositionibus comparativis, quæ dicuntur, sæpius *quod* poni, cum *eo* vel *hoc* præcedit. cfr. 64. *eo firmiora videbantur, quod* etc. 78. quæ eo facilius retinebant, quod. Quintilian. Inst. Or. VI. 2. 36; hoc magis quod illic ut litigatores loquimur, frequentius. Sed etiam contrarium non minus sæpe obtinet. cfr. Liv. XXV. 26. 16. Hispaniæ — duces desiderabant, quo diutius præfuerat iis; ubi plures codd. *quod* servant. XXII. 43. 6. simul ut, quod longius recessisset, transfugia impeditiora levibus ingeniis essent. ubi *quod* in optimis est et falso editur *quo.* Etiam XXV. 39. 8 „ibi vero, quo longius ab hoste aberant, et quia sub lucem — qui-

Digitized by Google

dam dilapsi erant, neglecta magis omnia ac dissoluta invenere.“ propter sequens *quia — quod* videtur esse restituendum. et innumeris aliis locis *quod* pro *quo* legitur, quod Drackenborch. sollemnem scribarum lapsum appellat. cfr. ad Liv. XXXVI. 33. 3. Ceterum quam sæpe Tacitus in his dicendi formulis a vulgari usu recesserit, non est, quod pluribus demonstrem. Non minus igitur Latinum est *quod plura* quam *quo plura* —; illud et codicum auctoritate confirmatum et Salustii ingenio convenientius, qui quæ in promptu sunt respuit et minus usitata atque insolita captat.

c. 23. *turris* Bas. *e* m. sec. correxit. *vim dolis* iterumque *præmia modo formidinem*, ubi priore loco *aut* altero *modo* excidit, idem. *non trahi posse* Bas.

c. 24. Scripturæ variantes in cod. Bas. *amiciciam — iugurtam — erumpnas. — sæpe vos oratum* Vat. om. *ad — vestra vis commoveri* Vat. omisso pronomine *qua*, quod Bas. tuetur, vel *quo* quod est in Leid. Tur. Eins. Par. sed in Tur. *qua* spl. et in Par *o* notatum et *a* spl. Unde erant, qui *quo* præferrent, quod ad remotius referri volebant; sed cum omnis orationis vis in verbis *vis vestra* posita sit, quippe cuius sensus sit: *sola vis vestra est reliqua*, is qui et verbum substantivum eiecit et *quo* scripsit, contra se ipsum pugnat, si, quæ optimi codicis auctoritate confirmata sunt, impugnat. *quid est reliquum* et Bas. et Vatic. confirmat. *cruciatum* Vatic.

c. 25. *Sed ab hisdem* Bas. *res invidia erat* Bas. præp. *in* omissa. sed verbum initio lineæ scriptum, ubi talis omissio facilius etiam fieri potuit. *rapiebatur* optimi, Bas. et Parisinus confirmant, etiam in Einsied. lineola, qua *ur* significatur, adpicta est; optimi igitur libri lectionem tuentur; Latinitatem nemo suspectam habebit; elegantiam orationis quod attinet, *timebat* forma activa orationis initio et forma passiva *rapiebatur* in fine optime altera alteri respondet, ut animus in diversas partes distractus ipsa orationis forma exprimatur. *ducta* Bas. at in fine lineæ, ita ut syllaba facile obscurari potuerit, id quod signo significatum esse videtur, sed *ducta* aperte Paris. Leid. *conducta* Ein. *di* spl. *diducta* Tur. servat. Sensus idem qui apud Tacitum Annal. II. 11. „distantibus locis invecti, ut hostem diducerent.“

c. 26. *armatus* Bas. ut videtur, Tur. in Par. *u* spl. *armatis* Ein. et in Tur. *i* spl. utrumque recte dici nemo non intelligit, nisi cui

est opinatio inhærens et penitus insita, se scire quod nesciat. scilicet cardo rei in eo vertitur, num obvii sint intelligendi, quos casus obvios obtulerit, an ii, qui se infesto venienti hostium exercitui obviam obiecerint. Errant enim, qui deditione facta omnes arma posuisse statuunt; cum enim Adherbal contra fœdus esset interfectus, facile credideris multos iterum arma cepisse, ne inulti animam amitterent. Hi igitur armati Iugurthæ obvii processerunt cfr. supra c. 21 et c. 50. *qui firmioribus animis obvii hostibus fuerant.* Immo dixerit aliquis, *armatis* ab iis esse inventum, qui dativum omitti non posse statuebant; et *armatis*, ad milites Iugurthinos relatum, non necessarium sed adeo superfluum esse nemo non intelligit. Denique peccant illi interpretes, quod *promiscue nullius rei ratione habita* explicant, est enim *nullo discrimine inter Romanos et Numidas facto.* Unde recte aliquis colligat, melius esse animo fluctuare quam pravis opinionibus inhærere.

c. 27. *Menmius* Bas. Par. — c. 28. *in animo inheserat* Bas. quod typothetæ errore non expressum est. Etsi enim *inhærere* fere cum ablativo sensu proprio, cum dativo sensu tropico iungitur, Cicero tamen Tuscul. Disp. I. 15. eodem modo: sed nescio quomodo inhæret in mentibus augurium quoddam. *præcipit* Bas. Par. alii. Contra septemdecim deteriores libros laudant eorumque auctoritate alteram lectionem confirmant. Quid his hominibus facias, qui contentionis studio adducti omnia vel alienissima conquirunt, ut meliora invenisse videantur? Facile eos vana gloriola perfrui patimur. *in quis fuit Scaurus* Bas. Spl. litterarum tractus, qui *M.* significare videtur. *Igitur inicio acriter Calpurnius paratis etc.* ordinem verborum, qui est in Basiliensi expressi, etiam *paratis* ille habet, quod ante male legeram *partitis.*

c. 29. *amministrabat* Bas. *assumitur — precio-induciæ — cum parvo* idem. *non* pallidiore atramento et aliena manu spl.

c. 30. *movere P. R. ne libert.* Bas. sed *R.* in rasura scriptum *monere pop. rom. ne remp.* Tur. Ein. *monere remp. ne* Par. *monere ne lib.* Leid. sed quicquid variant libri, vereor enim, ut omnium codicum variantes accurate exscriptæ sint, quam recepimus scripturam, solam veram iudico. Primum *ne* propter syllabam *re* quæ antecessit, facile excidere potuit; quotiens *res publica* et *populus romanis* in libris MSS. confusa sint, non ignorant, qui vel leviter in

Digitized by Google

libris MSS. legendis versati sunt; *movere* pro *monere* scribæ errore expressum est. *eam dicam, quam — disseruit* Bas. Tur. *ea — quæ* Ein. Leid. etiam Paris. sed lineolæ supra *ea — quæ* scriptæ. Cod. Bas. lectionem expressi, quam cum multi Latinam esse negarent, hac de re paulo accuratius disserendum est. Primum hoc tenendum Salustium non in universum Memmianum genus loquendi suo in libro reddere voluisse, sed unam ex eius orationibus perscribere statuit. quo ipso vocabulo cum h. l. usus esset, addit *dicam*. cuius verbi sensus alius esse non potest, quam verbi præcedentis; nisi quod, cum oratoris partes susceperit, rectius verbo *dicere* utitur. Sed cum non de Memmii eloquentia ageret, sed certam quandam orationem operi suo intexere vellet, non potuit pronomine neutro *ea* uti, quippe quod tantum ad sensus non ad formam orationis spectaret. Iam satis quidem constat veteres scriptores, Livium, Dionysium, Curtium dico, sæpius fictas orationes personis induisse, sed alia Salustii ratio fuit, quippe qui ad Thucydidis exemplum non modo orationem ingeniis et moribus hominum accomodaverit, sed ipsas illorum orationes ita memoria complexus sit, ut eas ornaverit quidem atque expoliverit sed non mutaverit aliasque fecerit. Neque hoc facile fieri potest in æqualium orationibus, quæ exstabant et omnium manibus versabantur. Quare recte ille his verbis usus est: *ac potissimum eam dicam*. Sed de structura *orationem disseruit* Manutius: „Fulvii liber *ea dicam quæ*. nec displicet, nam si legatur *eam dicam, quam* non video qui possit apte verbum *disseruit*, quod subsequitur, accomodari? quis enim probet hoc dicendi genus *orationem disseruit?* liberum tamen cuique iudicium relinquo.“ Et recte quidem ille. Nemo enim in Cicerone talia ferat. Sed Tacitus Annal. I. 21. bona libertatis incassum disserere; II. 27 curatius disseram initium; XII. 48. tuta disserere; Hist. II. 2. haud fuerit longum initia religionis, templi situm, formam deæ — paucis disserere; Ann. XII. 35. paria disserentes; Hist. IV. 69. vim Romanam pacisque bona dissertans. Aelius Lampridius in Alex. Severo c. 30. de quo in libris suis Marius loquitur, cum Hadriani disserit vitam. immo Salustius ipse c. 5 *instituta maiorum quomodo* etc. — *disserere*. Liv. XLI. 6. 4. ad disserendas res, quas gessissent. Phædrus Lib. V. Prolog. vs. 10. plures (fabulas) disseram. cfr. Burmann ad h. l. Torren. ad Val. Max. VI. 9. 1 ext. et Bunem. ad Lactant. Inst. Div. I. 1. 10. Cum

igitur ipse Salustius *instituta maiorum disserere*, Livius *res gestas disserere*, Lampridius *vitam disserere*, Phædrus *fabulas disserere* dicere potuerint, cum huic dictioni simillimum sit *dictis expedire* Virg. Aen. III. 377 et Georg. IV. 286. „altius omnem Expediam prima repetens ab origine famam“ cum verba et substantiva, quæ aut eiusdem originis sunt aut significationis similitudine sese contingunt, iungere usitatissimum sit, quidni etiam *orationem disserere* Salustius dixerit, præsertim cum vocabulum *orationem* longius remotum sit et interposito verbo *perscribere* iam habeat unde regatur et prodominibus *eam*, *quam* structura leniatur. Quod igitur verbum Gronovius cum accusativo iungi noluit, ita ut verba *quæ disserendo* in *quæ edissertando* mutaverit, Liv. XXII. 54. 8. quod Orellius apud Tacitum Hist. II. 2 pro *edisserendo* positum statuit, huius usus exemplis, quæ attulimus, ita confirmatus est, ut de insolentiore, quam Salustius usurpavit, structura vix dubitari posse videatur. Ceterum Salustius cum in antecedentibus iam verbo *dicere* usus esset, dictione *huiuscemodi verbis disseruit* id potissimum significare voluisse videtur, se non minus studium in verbis quam in sensibus illius orationis posuisse.

c. 31. *deortantur me a vobis* Bas. ut supra c. 24. *dehortatur me*, quod ad vim orationis multo gravius est. *his annis quindecim* Bas. Par. Ein. Tur. Leid. *annis* XII. Par. X. Guelf. I. 7. X. Fabric. I. parum accurate scriptor locutus esse videtur. integritatem enim scripturæ vix in tot librorum consensu sollicitaveris. Fuerunt enim, qui *XX.* scriberent, quod etiam Ti. Gracchi mortis in sequentibus mentionem facit et ex illo tempore amplius viginti anni erant elapsi. Sed primum religiosam illam diligentiam in temporibus notandis, quam multi ex nostratibus iactant, frustra apud veteres quæsiveris. Inprimis autem Salustium huius rei incuriosum fuisse nos ipsi supra ad cap. alii ad Catil. c. 37. et ad Iug. c. 10. animadverterunt. Nostro in loco primum hoc monendum est, non utique necesse esse ut Memmium etiam Tiberii Gracchi mortem his annis quindecim complexum esse statuamus; sunt enim sequentia a prioribus seiuncta. Tum fieri potest ut Memmius tantum quindecim annos numeraverit, quod ex eo tempore ad rem publicam accesserat, et tantum ea commemorare voluit, quæ ipse viderat. Fortasse etiam ad legem Iunii Penni respexit, qua peregrini urbe prohibebantur, et ab illo tempore potissimum initium tan-

Digitized by Google

torum malorum repetivit. Multa alia possunt cogitari, quibus ille permotus hoc temporis spatium egredi noluerit. Quare numerus xv est retinendus, nisi cuius animo tanta audacia inest, ut ipsum scriptorem erroris convincere malit. *surgitis* Bas. Par. x. *exsurgitis* Bas. 4. et plurimi libri, ut videtur. codices enim hoc loco non satis diligenter examinati esse videntur. *consurgitis* Rem. 1. *insurgitis* Vin. 2. Vrat. 2. Reg. Bodlei. Iam verbi simplicis eandem significationem esse posse, quam h. l. verbo composito tribuunt, nemo negaverit. cfr. Virg. Aen. x. 28. „In Teucros Aetolis surgit ab Argis Tydides." Et ut illud simplicitati orationis Salustianæ convenientius esse videtur, ita verba composita *exsurgitis*, *insurgitis*, *consurgitis* ab iis reposita esse putaverim, qui verbi simplicis vim satis magnam esse diffisi, præpositionibus adiectis acui et intendi statuebant. *maiores nostri* Bas. recte; quod interpretes reiecerunt, quod maior vis orationis esset, quæ ad solas rationes plebis spectet. quasi Memmius non et ipse ex plebe fuisset, et maiorum exemplum non ad omnes pertineret. quare, nisi alia et graviora argumenta afferuntur, cfr. Catil. 58. *licuit nobis* — in talibus optimorum librorum auctoritas valet.

suimet ipsi more Bas. Paris bcx. librariorum errore. *qui regnum parare aiebat* spl. *n.* Bas.

Vos in imperio nati Bas. Vat. Paris. b. c. x. z. lectio, quam olim reiectam iam in minore editione expressi, optimorum librorum auctoritate non minus quam sensus concinnitate defenditur. Eius enim animus, qui in possessione imperii natus est, magis a servitute abhorret, quam is, quem frivola quadam adulatione ad imperandum natum esse dixeris. vide infra: *vos imperatores omnium gentium — nonne summa ope.* alii scribunt *non* idque solum rectum esse statuunt; quæ nuper de harum particularum discrimine disputata sunt, ab ipsis grammaticis addubitata sunt, neque eam vim habere debent, ut optimorum librorum fidem tollant. cfr. Madvig. ad Cic. de Fin. II. 3. 10. p. 153. sed etiamsi vere illa dicta essent, *nonne* locum suum tueretur. Quamvis enim Memmius de plebis constantia dubitaverit, tamen ea orationis forma usus est, ut omnia a libertatis amore sperare videretur. *quo maius* Bas. et optimus quisque liber. sed quia deteriores variant, et *quod*, *quia*, *quoniam* exhibent, eo nonnulli editores insolentius *quod* prætulerunt, quod nemo damnaret, si meliores libri tuerentur. *iussis nostris* Bas. Tur. for-

tasse multi alii libri; in talibus enim vel acutissimi oculi falluntur, cum *uris* et *nris* maxime in antiquissimis libris distingui vix possint. ratio eadem, quæ supra. potuit orator ad solam plebem orationem intendere, potuit totius populi Romani dignitatem tueri. *virum flagitiosissimum* Bas. ut longe plurimi libri, *viros flagitiosissimos* Par. m. pr. *virum* duo libri omiserunt. quorum auctoritatem vel suum potius iudicium secutus editor *viro,* quæ Rivii coniectura est, eiecit, alius *virum* retinuit. tertia accedat coniectura: *viris* scribas. sed in Rivii coniectura admodum probabili acquiescendum puto. Corruptela inde orta esse videtur, quod librarii verborum iuxta positorum terminationem æquabant; iam qui *viro,* quod cum sequenti vocabulo *(flagit.)* coniunctum facile *viros* legi potuit, invenerunt, *flagitiosissimos* scripserunt; quorum oculi prius ad secundum vocabulum aberraverunt, *virum* reposuerunt. Viri notionem ab hoc loco non alienam esse poterant docere, quæ in Catilina leguntur. c. 40. *si modo viri esse voltis* c. 44. *memineris te virum esse.* quod autem orator singulari usus est, ubi de universæ plebis rationibus agit, hoc nollem ei vitio vertisset acutissimus Criticus. *sociis nris* Bas. et plurimi libri, *vestris* pessimi libri. res manifesta; sed sunt qui suis ipsorum iudiciis quam codicum auctoritati parere malint. perversæ scripturæ cod. Bas. sunt: *Vos autem. hoc est populi Romani* falsa interpretatione compendii scripturæ *p. r.* propter sequens *invicti. alterna sollicitudo*, infra *hostibus* tantum semel scriptum. Etiam Vaticanus varia peccat: *obviam ire potentiæ factionis — honores non prædas haberent — qui sunt ii — Itaque quam quisque — omnis idem cupere idem — curam libertatis — magis vobis fecisse — impunitum amittatis — nisi vendicantur.* Sed antiquioris scripturæ vestigia sunt: *sceleratissumi — ærari — M. Fulvi cædem — quod relicum.*

c. 32. *indicendo* Bas. Ein. Leid. Par. b c x Tur. multi alii. *dicundo* Par. z quod exprimendum fuit. Dixerit aliquis ad huius varietatis originem explicandam, *indicendo* idem esse quod iubendo, imperando, ut honorem templis divum, iter indicere cfr. Virg. Aen. I. 636. quod Memmius populum exhortatus sit ad iniurias vindicandas; sed videtur illa significatio nimis a vulgari sermone abhorrere, ita ut potius errorem quam callidum librarii inventum fuisse statuas. *accersebat* Ein. (Tur. m. 1) *bant* (Bas. Tur. m. 2) *arcessebant* Par. Leid. Quod quidem discrimen grammatici et Charisius p. 227. (151 Lind.)

Digitized by Google

et Diomedes p. 375. inter *arcessere* et *accersere* statuerunt, ut illud ad iudicia pertinere putarent, hoc idem quod *accire advocare* significare vellent, id codices quidem non confirmant. Primum enim hoc pro certo poni posse videtur, formam *accersere*, quam multi mendum scripturæ putabant, sæpius a librariis fuisse obscuratam. cfr. Cat. 40. 52. 60. Iug. 32. 43. 62. 72. 84. 109. 113. Tum illa grammaticorum regula ab iis inventa esse videtur, qui, quorum verborum apud scriptores usus promiscuus erat, ea aliquo discrimine disiungi volebant. Quare nil certi hac de re statui potest, nisi omnibus locis iterum diligenter excussis. quam facile enim oculi in talibus fallantur, nemo ignorat, qui eundem librum diversis temporibus examinaverit. Ceterum pluralis numerus solus auctoritatem habet, non enim ad Memmium hæc spectant, sed ad vulgi rumores, qui omnes fere nobiles de hoc crimine suspectos habebant. *venderent* omnes fere libri, nisi quod in libro Wassii *vendere* legitur. Est illa depravatio inde orta, quod librarii hæc omnia ad *fuerunt* referebant, unde etiam *agerent* in Bongarsii libro, in Ein. et Leid. L. scriptum est. unde iustissima Gruteri coniectura, qui *alii — vend.* ab antecedentibus seiunxit, et sequenti *pars* opposita esse voluit. *in animos* Bas. Par. Ein. Tur. Leid. sed Cat. 36. 5. *tanta vis morbi, uti tabes, plerosque civium animos invaserat.* contra Liv. XXVIII. 29. „nec maior in corpus meum vis morbi, quam in vestras mentes invasit.“ præpositionem igitur addi et omitti posse nemo est qui dubitet. cfr. Cat. 31. Iug. 13. 35. 39. 106 ubi *metus, mæror, tristitia* cum hoc verbo coniuncta sunt; quibus in locis præpositionem recte omissam esse iudico; de vehementioribus enim affectibus agitur; *morbi* autem alia est ratio. quippe cuius vis cum et ad corpus et ad animum pertineat, duplex est, et aut ad sensus aut ad intellectum refertur. hoc igitur loco *tabes*, ante verbum positum, etiam ad structuram mutandam valuit; superiore loco *uti tabes* tantum rei illustrandæ causa additum fuisse statuendum est. Ita apud Livium II. 34 *aliud multo gravius malum in civitatem invasit* præpositio addi vel omitti potuit, cfr. Drackenb. ad Liv. II. 47. sed utram dicendi rationem scriptor prætulerit, hoc tantum ex optimorum librorum auctoritate constitui potest. Quare hoc loco præpositio retinenda est. *Cassius prætor* Ein. Leid. Tur. *C. perlata rogatione* sed ante *perl.* aliquid erasum, Bas. contra *P. R. perl. rog.* Par. dittographia, ubi et scripturæ compendia,

scripta et explicatio addita est. *quo se p.* Bas. hæc in rasura scripta *quo* etiam Ein. Tur. *quoniam* Leid. Par.

c. 33. *nisi socios* Bas. Tur. in Ein. spl. *ni* inde ortum, quod propter sequens *s* syllaba exciderat. alia est ratio Cat. c. 23. *ni sibi obn.*

non saluti sociis Bas. idque erat restituendum; qui verborum ordo si antea expressus foret, nemini, opinor, in mentem venisset *socios* pro *sociis* corrigere. Criticus enim cogitasset, non id quæri, quo consilio Iugurtha in urbem venerit, sed quæ suspicio Memmii et plebis fuerit; quippe qui recte sibi persuaserint Iugurtham, ut suis ipsius et amicorum commodis serviret, verum aperire noluisse. Quam quidem falsam opinionem ut ex eius animo evelleret, Memmius hæc eum admonuisse putandus est.

c. 35. *Iugurthamque. que*, quod in omnibus libris est, deleverunt, ut hoc orationis membrum ad apodosin traheretur. quod quomodo fieri potuerit, vix aliquis inveniat, nisi ante totius loci sensum obscuraverit. Albinus, ut belli gerendi copia esset, Massivæ persuadere cupivit, ut regnum Numidiæ a senatu peteret. Quam ad rem probandam his rationibus usus est Massivam ex stirpe Masinissæ ortum, magnam Iugurthæ esse invidiam; simul eundem timeri, non quod eius armis resisti possi diffiterentur, sed quod ab eius insidiis et largitione timerent. quam ob rem senatum facile impelli posse, ut ei bellum indiceretur. *metu* igitur passive positum, quod iam ex præpositione *cum* aliquis collegerit, ad idem enim subiectum *invidiam* et *metum* referri necesse est. accedit quod ad illud consilium probandum nihil valuit, si Iugurtha ipse metu angebatur. *movere quam senescere omnia* Bas. Par. Ein. Tur. *moveri* longe plurimi. activum reiecerunt propter insolentiam structuræ; sed recte alii laudarunt I. 14. *si omnia, quæ aut amisi aut ex necessariis adversa facta sunt.* 31. *quod magis vos fecisse quam illis accidisse indignum est.* quæ quomodo ab hoc loco differant, equidem nondum intelligere potui. nam omnibus his locis idem vocabulum et obiecti et subiecti vim habet. Itaque ne necesse quidem fuit, ut alia loca adderentur. cfr. Cæs. B. Civ. I. 61. hoc inito consilio toto flumine Ibero navis conquirere et Octogesam adduci iubent; II. 21. quanto hæc dissimulare et occultare quam per nos confirmari præstat. Denique ad ipsius consulis ardorem et animi impetum declarandum

Digitized by Google

infinitivus activi adeo necessarius est. *præsidi* Bas. alterum *i* spl. m. sec. adpinxit. *animadvertit* Bas. Par. Ein. sed in Par. in medio vocabulo aliquid erasum est.

c. 36. *instanti cedere* perversus verborum ordo typothetæ cuiusdam, ut videtur, negligentia inductus; in libris est *cedere instanti.* — *ludificare* ita omnes libri quantum scio; sed Arrusianus Messus ap. Lind. p. 245 habet ludificor illum. Sal. Iug. *pacis mora principem ludificari*, unde nonnulli hanc formam recepere. sed iam sæpius vidimus, quam incerta sint testimonia grammaticorum, qui sæpius memoriter loca scriptorum laudant. id quod hic ipse locus confirmat, ubi *principem* pro *consulem* laudat. quare vix critici esse videtur, eius auctoritate uti, quem eodem loco impugnare necesse est. accedit quod forma activa antiquior et minus usitata est. *qui tunc Albinum* Bas. Par. x. *tum* reliqui.

c. 38. *subdole eius* Bas. Tur. *subdolus* Par. Ein. Leid. sed in Par. *e* spl. et recte quidem. terminatio *us* ex sequenti pronomine orta esse videtur. Adiectivum enim apud Sallustium sæpius quidem pro adverbio ponitur, sed fere ita, ut non minus ad ipsius subiecti indolem atque naturam declarandam quam ad verbi vim augendam pertineat. hoc enim loco ubi ablativus absolutus præcedit, ad solum verbum trahendum est, et recte scholiastes in Bas. 1. *fraudulenter* explicuit.

ita delicta occultiora fuere Bas. Par. Ein. Tur. omnes fere Leidenses. *fore* Leid. D. *delicto occultiori fuit* Par. m. 1. sed optimorum codicum lectio bene se habet. Facile quidem fieri potuit, ut Aulus hac spe ductus Iugurtham in abditas regiones sequeretur, sed non minus eleganter suum ipsius iudicium scriptor interposuit, idemque significat, hanc potissimum illius consilii causam fuisse.

die Bas. Ein. Leid. Tur. *diu* Par. idque satis probabile, quod in simili formula: *noctu diuque stationes et vigilias temptare* quam Charisius p. 123 ed. Lind. ex Lib. sec. Hist. laudat. Tamen contra optimi codicis auctoritatem, qui etiam infra c. 44. *die* tuetur, alterum illud recipere nolui. *Trachum* Bas. *threcum* Par. spl. *a.* — *erupere* Bas. mendo scripturæ. *nostri, plerique fœda fuga* Bas. quod ferri quidem possit, sed tamen vulgatus verborum ordo multo concinnior. *fame et ferro* Bas. Par. Ein. *ferroque* Tur. Leid. *memorem humanarum*

rerum hic verborum ordo optimi cuiusque libri auctoritate defenditur. *mutabantur* sic optimi libri, et quamvis multæ varietates lectionum in deterioribus libris insint, tamen bene se locus habet. *mutari* neque *dari*, neque *accipi* significat, sed proprio sensu accipiendum est. eodem sensu infra I. 83. *tamen non debere incerta pro certis mutare* et iterum l. l. *an mobilitate ingenii pacem atque bellum mutare solitus.* Romani igitur fœdas illas pacis condiciones acceperunt, quia gravior etiam metus mortis videbatur, quo quidem illis condicionibus acceptis liberabantur.

c. 39. *quæsiverat* Bas. Par. *quæsiverit* Ein. Tur. Leid. prius orationi Salustianæ magis convenit, alterum Ciceronis. utrumque igitur Latine dici poterat, sed illud et auctoritate codicum et constanti Salustii usu confirmatum. Non enim plane eadem loci est ratio, quem supra tractavimus, Catil. 18. *prohibitus erat consulatum petere, quod intra legitimos dies profiteri nequiverit* — In Leid. post *consulebat* hæc addita: *utrum fœdus quod pepigerat cum Iugurtha firmum sicque factum perdurare debuisset nec ne;* quæ quidem glossa præterea exstat in Sen. Vinar. Guelf. 3. Heuss. Bern. 3. Gorl. in margine sunt scripta in Fabric 1. Academ. Struv. Guelf. 2. et recte pro glossa habentur. *omnibus modis.* hic verborum ordo est, quem libri exhibent; *modis omnibus* typothetæ errore in aliqua editione expressum. *animo ardebat* omnes boni libri. *animus* deteriores, Struv. inc. Franc. Guelf. 7. 10. Leid. b. d. e. f. k. m. Paris. b. c. Bas. 4. cum utrumque recte dici possit, auctoritas codd. valet. Sed sunt utique, qui ne aliorum iudicium secuti esse videantur, quod mihi quidem non minus magni ingenii esse videtur quam si quis ipse nova quædam excogitet, ad alienissima delabantur. sed hoc loco *animus* minus etiam probari potest, quod et in iis, quæ antecedunt, notio subiecti inest, et quæ sequuntur, non ad animum sed ad ipsum consulem sunt referenda.

c. 40. *Interim* Bas. Par. Ein. Tur. Leid. et meliores, idque alteri lectioni *interea* præferendum. Quodsi enim vera sunt, quæ nuper de discrimine harum particularum proposita sunt, „in *interim* unitatem temporis inesse, qua duæ res contineantur h. e. alteram rem in idem tempus incidere, in quo altera agatur, *interea* autem duas res componere uno in tempore apparentes“ cfr. Hand, Tursellinus sive de particulis Latinis Commentarii Vol. III. Lipsiæ 1836. p. 421.

Digitized by Google

etiam his rationibus optimorum librorum lectio confirmatur. Et hoc unus quisque intelligit, particula *interea* alteram actionem alteri maiore quadam cum vi opponi sive utriusque dignitatem fere æquari; contra *interim* minora fere subiunguntur. Iam etsi Sallustius non solum bellum Iugurthinum memoriæ prodere statuit sed etiam de statu rei publicæ, et quo modo tum primum superbiæ nobilitatis obviam itum sit, hoc tamen per se manifestum est, omnium fere hominum et maxime Romanorum animos magis ad res bellicas quam ad altercationes tribunicias esse attentos; quod quidem ipse Sallustius particula *interim* significat. *G. Mamillus Limetanus.* ita omnes libri et ipse Bas. Ein. Tur. etiam ap. Cic. Brut. 33. plerique libri. *Manilius* defendit Pighius Annal. t. III. p. 123. et de nominum illorum confusione egit Gruter. ad Cic. de Or. I. 58. et Interpp. ad Liv. XXVII. 35. Magis etiam libri variant in *Limetanus*, ubi omnes librariorum errores exscribere longum et molestum est cfr. Cort. ad h. l. et Orellii Opp. Cic. T. VIII. Index Legum p. 217. *neglegisset* Bas. Paris. Z. Ven. 1. m. pr. *neglex.* Ein. Tur. Leid. illam formam confirmat Diom. p. 366. exemplo ex Aemilio Macro allato et Priscianus X. 6. 33. p. 496. Kr. neque eius lectionis auctoritas imminuitur, quod aliis locis sine ulla varietate *neglexit* scriptum est cfr. Cat. 18. hoc enim loco legis formula refertur, ubi vetera verba mutare Sallustio religio fuit. Et in universum falsissima eorum est ratio, qui si forma quædam antiquior uno alterove loco a scriptore usurpata fuerit, eandem omnibus locis restitutam volunt. Aliis enim locis alius orationis color, aliud scriptoris consilium est. *per socios Italicos* sed *per* alio atramento et manu recentiore scriptum Bas. utrumque recte dicitur; *per* omisso arctius iunguntur socii Italici cum nomine Latino, addito seiunguntur, quod utrumque passim occurrit. cfr. S. C. de Bacchanalibus: CEIVIS ROMANVS. NEVE NOMINUS (sic) LATINI. NEVE. SOCIVM QUISQUAM. Cic. de Rep. I. 19. *concitatis sociis et nomine Latino.* Id. 3, 29. *sociorum nominisque Latini iura neglexit.* infra c. 42. *modo per socios ac nomen Latinum.* et passim. Sed quænam illa impedimenta fuerint, accuratius auctor non exposuit. fuit, qui de seditionibus movendis cogitaret, tamquam hoc non suffragiis fieri potuerit. de Latinis hoc dubitare insulsum est. sed etiam multos socios ius suffragii ferendi ante legem Carbonis adspirasse et pro civibus Romanis se gessisse satis constat.

Unde Lex Licinia et Mucia de civibus regundis nata, quam ipse Cicero non modo inutilem sed perniciosam rei publicæ fuisse dicit. cfr. Ascon. in Cornel. p. 67 Orell. cfr. Ascon. p. 3. Or. „ius dedit Latii, ut possent habere ius, quod ceteræ Latinæ coloniæ, id est, ut gerendo magistratus civitatem Romanam adipiscerentur.“ Cic. pro Balbo 24. Liv. xxxix. 3. (Latinis) querentibus magnam multitudinem civium suorum Romam commigrasse et ibi censos esse etc. – Hac conquisitione duodecim milia Latinorum domos redierunt. Liv. xli. 8. Lex sociis nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent — et paulo post: hæc ne postea fierent, petebant legati, et ut redire in civitatis iuberent socios, deinde ut lege caverent, ne quis quem civitatis mutandæ causa suum faceret neve alienaret; et si quis ita civis Romanus factus esset, [id ratum ne esset]. Cuius quidem rei causam Ascon. l. l. exponit: „Cum summa cupiditate civitatis Romanæ Italici populi tenerentur et ob id magna pars eorum pro civibus Romanis se gereret, necessaria lex visa est ut in suæ quisque civitatis ius redigeretur.“ Ex quibus quidem locis facile patet, iam illis temporibus socios et nomen Latinum in comitiis iure suffragii multum valuisse, ita ut utili eorum opera uterentur homines factiosi.

decreverit, *voluerit* in Par. spl. in Ein. omissa, sed retinet Bas. Leid. Sed cum illa verba etiam in multis aliis libris desiderentur Vin. 2. Acad. Sen. 2. Heuss. Inc. 1. Vratislav. 2. Guelf. 3. 9. Leid. A. Bas. 4. Paris. b. c. et cum *iusserit*, vocabulum proprium in hac re, initio positum sit, haud male aliquis coniecerit, duo addita esse a glossatoribus, ut vim antecedentis verbi declararent; idque et olim suspicatus eram, neque nunc omnis abest suspicio. Nondum enim satis firma videntur allata esse argumenta, quæ horum verborum auctoritatem defendant. Quodsi enim hæc eo consilio addita sunt, ut et ardor plebis significaretur, et ut rogationis perlatio pluribus verbis diceretur, potius inversum ordinem exspectaveris, *vol. decr. iuss.* Qui autem nescio quæ discrimina significationum inducunt, in maiores etiam errores se implicant. Optime fecisse videntur, qui *decreverit* et *voluerit* a vocabulo *rogationem* seiungunt et absolute dicta esse volunt. Mihi quidem illa etiamnum suspecta esse videntur, nisi quis forte statuit, Salustium ipsius plebisciti formulam expressisse; in legum enim formulis synonyma cumulare

Digitized by Google

etiamnum usitatum est. Nam ea solum ratione fieri potest, ut calumniæ et perversæ interpretationi nullus locus relinquatur.

c. 41. *partium mos popularium* Bas. sed cum signis transpositionis. *senatores factionum* Ein. Par. sed in hoc *us* spl. *senatus* om. Nazar. *senatus* et *orum* spl. Tur. *atque abundantia* Bas. 1. et optimi libri. *et abund.* negligentia typothetæ in nonnullis editionibus expressum. *res secundæ* ita codd. *secundæ res* Leid. L. et in nonnullis editionibus. *acerbiusque fit* Bas. Par. spl. (ceteri *fuit*,) quæ quidem lectio non plane sensu carere videtur, sed tamen durissima est. quare in reliquorum librorum consensu vulgatam non mutandam esse duxi. *nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vertere* ita boni codd. sed post *dignitatem* habent Pal. 7. 10. tres Wassii libri, Guelf. 3. 11. 12. Bern. 1. August. m. *in dominationem*, pauci *in superbiam*, id quod Victorius recepit; altera glossa nuper recepta est. Sane mireris hoc ab homine docto factum esse, quem si alius idem ausus est, dies prius quam verba deficerent, quibus talem inconsiderantiam perstringeret. neque ulla satis probabilis causa affertur, cur hoc ita fieri necesse fuerit. Nam dignitatem non minus facile quam libertatem in lubidinem verti potuisse ne ipse quidem negavit. hæc enim pestis rei publicæ fuit, quod neutris neque modus neque modestia inerat, et quod utrique eodem vitio laborabant; ea malorum causa, quibus res publica pessumdata est. Igitur omnia vana et irrita, quæ allata sunt; si enim omnes glossas ex deterioribus libris recipere placet, oratio Salustii brevi alia fiet. *quoat* Bas. *semet ipsam* Bas. Leid. Ein. Tur et omnes fere libri. *ipsa* Rivii libri et ceteri Leid. Pemb. B. Pub. apud Wassium. Nominativum in hac dicendi ratione sæpius restituerunt interpretes; et est ille satis frequens. cfr. Catil. 20. *nosmet ipsi;* 23. *suamet ipse;* 52 *mecum ipse;* 32 *secum ipse;* sed neque accusativum hoc loco aliquis recte reprehenderit; non enim vis sententiæ in hoc vertitur, quod avaritia ipsa fructum laboris perdiderit, sed quod, postquam omnia polluit, fœdavit, corrupit, sibi ipsi perniciei fuit. quare *ipsam* bene se habet, neque omnia ad eandem normam exigenda sunt. simile illud Livianum XXXIII. 17. extr. armis magis muros quam se ipsos mœnibus tutari.

c. 42. *æquites* Bas. *tribunum*, *alterum triumvirum* Bas. Ein. Tur. sed *alterum*, *alterum* Par. et pauci alii retinuisse videntur.

Sed etiamsi in nullo libro exstaret, tamen hoc loco esset supplendum.

necaverant Ein. in Tur. spl. non plane contra morem, sed propter *obviam ierat*, quod paulo ante positum erat, hoc loco non admittendum. *Sed bono vinci satius est, quam malo more iniuriam vincere*; cum his compararunt Thuc. IV. 19. *νομίζομέν τε τὰς μεγάλας ἔχθρας μάλιστ ἂν διαλύεσθαι βεβαίως, οὐκ ἢν ἀνταμυνόμενός τις καὶ ἐπικρατήσας τὰ πλέω τοῦ πολέμου — μὴ ἀπὸ τοῦ ἴσου ξυμβῇ, ἀλλ' ἦν, παρὸν τὸ αὐτὸ δρᾶσαι πρὸς τὸ ἐπιεικὲς καὶ ἀρετῇ αὐτο νικήσας παρὰ ἃ παρέδεχετο μετρίως ξυναλλαγῇ. Bonus* igitur etsi in universum dictum est, tamen potissimum senatorum factioni dictum est. Leviter enim Gracchos reprehendit, quod non satis moderatus iis animus fuerit, sed magis etiam senatum, quod non potius se vinci passus sit, quam malo more i. e. vi et armis, et magna cæde civium facta, adversarios vicisset. Nil igitur mutandum. *bono* collective pro *bonis* positum; quo nomine maxime appellari volebant, qui senatus auctoritatem defendebant. Salustius igitur consilio hoc nomen iis tribuit, ut quid bonum virum deceat, in memoriam iis revocet. Haud dubie sequenti vocabulo *malo* oppositum est, sed non ut pro eodem casu habendum sit; *satius* cum dativo iunctum, ut apud Livium XLII. 23. perire namque semel ipsis satius esse quam sub acerbissimi carnificis arbitrio spiritum ducere. *malo more* non simpliciter pro *modo* dictum, quocum sæpius coniungitur, ut apud Horatium *apis Matinæ more modoque*, apud Demosthenem *τούτῳ τῷ ἔθει καὶ τῷ τρόπῳ τῆς πολιτείας χρῆσθαι* Olynth. II. p. 34. sed constantem consuetudinem significat, ita ut vel hoc vocabulo malas artes potentiorum castiget.

c. 43. *fugam, Metellus et Silanus* Bas. Par. Ein. Tur. Leid. et omnes boni libri, addunt prænomina *Q. Met.* et *M. Sil.* Guelf. 10. Vin. 2. Franc. Leid. G. Ven. 4. Vat. 4. et Misn. quorum librorum auctoritas est fere nulla. At solet Salustius, cum primum viri alicuius mentionem facit, prænomen addere. Verum est; sed potuit fieri, ut Salustius eos consules creatos esse iam ante a se narratum esse putaret, quod quidem post tam longam digressionem facile sibi persuadere potuit. Forma certe orationis ita est comparata, ut illos consules creatos esse iam pro re nota et omnibus manifesta ponere videatur. *alia omnia sibi cum collega ratus*, in qui-

Digitized by Google

bus multi offenderunt, etsi scriptura non variat, Orellius Præf. VIII. auctoribus Ruperto et Wassio notissimam illam formulam in auxilium vocat: Plin. Epp. 8, 14: „qui hæc sentitis, in hanc partem, qui alia omnia, in illam partem ite.“ ita ut sensus sit: ratus prorsus alia sibi esse agenda quam quæ collega ageret, ut Cælius apud Ciceronem Epp. ad Fam. 8, 9, 3: seorsus a collega puto mihi omnia paranda. *Cum* igitur, quod plurimum dubitationis movit, hoc loco non coniunctionem vel communionem quandam significare voluit, sed nihil aliud quam consulatus, quem cum collega administraret, hanc esse rationem docet, ut et collegæ et sibi munus plane diversum iniunctum esse videatur. sed aliud est, *in alia omnia abire*, aliud *alia omnia sibi cum collega esse*. Immo contrarium est: *cum* enim hoc ipsum exprimit, omnium aliarum rerum curam ad collegam pertinere, hoc sibi soli iniunctum. *Milites eligere, scribere* Bas. Par. Leid. Tur. omnes fere libri. *eligere* om. Ein. Vat. 4. unus Rivii. glossam igitur verbi *scribere* esse statuerunt. Sed glossa locum priorem occupat, et tantum in Leid. M. N. *scribere eligere;* quod cautiori quidem critico frenos iniiciat. Accedit quod glossator iste, quem illi sibi fingunt, ne usitato quidem vocabulo usus est *legere*, sed *eligere* posuit. At dixerit aliquis, hominem illum inconsiderantem Græcum verbum ἐκλέγειν expressisse cfr. Polyb. VI. 19. vel eo confugiat aliquis, ut dicat, apud Livium non uno loco *legere* et *eligere* in codd. variare cfr. II. 1. 10. X. 3. 3; XXI, 39, 8: XXIX, 22, 12; XXXI, 14, 2: XXXIX, 49, 2; 52, 2; XL, 35, 14; et apud Iustinum adeo utrumque mutari cfr. Iustin. II. 7. 4. XIII, 1, 13; III, 13, 1; V. 3. 3; addatque in universum argentea ætate verbum *eligere* frequentius fuisse usurpatum, idque exemplo Quintiliani confirmet. Audio; sed in conscribendo exercitu nemo umquam hoc vocabulo pro *legere* usus est. Quare equidem in animum inducere non possum, ut vocabulum, quod omnes fere libros ipsosque præstantissimos occupavit, a librario adscriptum esse existimem. Neque tam absurdam esse duorum verborum compositionem, poterat docere oscitantes Iustinus auctor, qui XXII. 3. 1. hæc habet: „His ita gestis militem legit exercitumque conscribit.“ Licuit igitur scriptori, quod uno verbo exprimi poterat, ad ducis sedulitatem et industriam declarandam pluribus verbis illustrare. Sed fortasse illi opponent, hoc si auctoris fuisset consilium, proprio vocabulo illum

uti debuisse. Quod si elevari vix potest, fortasse statuendum est, duplex militum genus intelligi, alterum quod ex classibus scribebatur, alterum quod ex emeritis et veteranis eligebatur, qua de re vide infra Iug. 84. „postulare legionibus supplementum, auxilia a populis et regibus sociisque accersere, præterea ex Latio fortissimum quemque, plerosque militiæ, paucos fama cognitos accire, et ambiundo cogere homines emeritis stipendiis secum proficisci.“ Et apud Curtium quidem VII. 5. 27. ipsi veterani appellantur *electi*, et ita *lectos* et *evocatos* coniungi supra vidimus Cat. 59. et liberti Cethegi *lecti et exercitati in audaciam* appellantur c. 50. Immo Iulius Cæsar in re simili vocabulo *electos* utitur, „adolescentes atque expeditos ex antesignanis *electos* milites ad pernicitatem“ B. Civ. III. 84. et participium quidem *lectus* atque *electus* apud ipsum Ciceronem sæpius eadem significatione usurpari, in dubium vocari non potest. Iam cum ex evocatis maxime centuriones et tribuni militum sumerentur, potest Salustius videri accuratissime dilectum exercitus describere, quomodo Polybius hoc factum esse enarravit, ut primi tribuni militum legerentur, postea gregarii milites conscriberentur.

Ceterum ad ea patranda senatus auctoritate socii nomenque Latinum et reges ultro auxilia mittendo, postremo omnis civitas summo studio adnitebatur. ita cod. Bas. ipsamque interpunctionem confirmat. *mittendo* itidem omnes meliores. *mittere* deteriores, unus *mittunt*, alius *mittebant;* quæ omnia librariorum inventa sunt, qui structuram *ad ea patranda — mittendo — adnitebatur* non intellexerunt. *Senatus* igitur pro nominativo habendum et *auctoritate* ad *adnitebatur* trahendum; quæ quam bene inter se cohæreant, non opus est, ut pluribus exponam.

artes bonas Bas. 1. 4. Tur. vetustiores Rivii et fortasse multi alii libri; nam in ordine verborum restituendo adhuc multa neglecta sunt. alii: *bonas artis*, ut supra c. 41; *in optimis artibus* c. 85; *aliasque bonas artes* I. 1. *multæ bonæque artes* I. 28; contra *artis bonæ* Cat. 2. 10. Auctor Ep. 2. de rep. ord. *neque disciplina neque artes bonæ.* Cum igitur utrumque recte dici possit, hæc ad auctoritatem optimorum librorum sunt conformanda.

c. 44. *a spurio Albino proconsule* Bas. 1. Par. Leid. *Albino proconsule* Tur. m. 2. *Albini* nonnulli alii libri; quam quidem lectionem quare potiorem ducamus, vix probabilem rationem afferas. Contra ple-

Digitized by Google

num nomen Sallustius non scripsisset, nisi ab ipso duce exercitum Metello traditum fuisse dicere voluisset. Satis enim erat *proconsulis* vel *Albini* exercitus.

iners imbecillis Bas. 1. *imbellis* alii; refertur illud vocabulum et ad infirmam valetudinem cfr. Vellei. II. 114. et ad animi ignaviam cfr. Sen. Ep. 85. quantulum sapienti damus, si imbecillimis fortior est? cfr. Tacit. Annal. XV. 5. sibi imbecillum equitem pabuli inopia. sed ut illam lectionem non contemnendam dixerim, ita propter sequentia altera potior habenda est.

spei bonæ Bas. Par *bonæ spei* Ein. Leid. Tur. prior verborum ordo fere sollemnis, ita ut nil mutandum sit.

Sed neque muniebantur hæc verba in omnibus fere codd. omissa sunt; nisi quod Leid. *G.* habet *sed neque muniebantur ea*, locumque auxilio antiquissimi codicis restituit Cyprianus a Popma, qui fortasse ipsum illum Lugdunensem librum inspexerat. confirmantur hæc verba, quæ sensus postulat, auctoritate Cornelii Frontonis qui in editione Romana p. 163. totum hoc caput exscripsit; cuius quidem loci hae variantes notandæ: *traditus — laborum patiens — in stativis — odos — muniebantur, neque* (*ea* om.) *— diu noctuque vagabantur, palantes* (*et* om.) *— probra ea in illo. — laborum patiens* supra c. 28. legimus et non minus recte dicitur *— odos* antiquior scriptura. sed *traditus* falsum, neque *ea* post *mun.* omitti potuit, sed alterum *ea* superfluum. *et* ante *palantes*, quod commode omitti vel facile excidere potuit, sola Frontonis auctoritate vel eius libri, quo Maius usus est, delere nolui; sæpius enim imperfectum cum infinitivo historico iungi satis constat, et quod aliquis dicat, propositionem generalem *lixæ — vagabantur —* sequentibus per partes illustrari, ne id quidem hanc vim habere potest, ut *et* utique expellendum sit.

c. 45. *ne quispiam* Bas. 1. *quisquam* vulgo. illud sine dubio præferendum, iam hanc ipsam ob rem, quod talia a librariis non inveniuntur, sæpius obscurantur.

c. 46. *romæ* Bas. et omnes fere libri. sed Nonius p. 325. *Roma.* cuius auctoritate fuit, qui hanc lectionem reciperet. *certiores enim fieri* homines aut litteris aut nuntio. novum. cfr. Cæs. B. G. I. 11. Cic. ad Att. IX. 2. Plaut. Pseud. I. 1. 16. Virg. Aen. III. 119. quare facile patimur eum suo uti iudicio. *alium alio divorsos* Bas. Paris. X.

præpositione *ab* incuria librarii omissa. etsi enim *diversus*, ubi idem quod *dissimilis* significat, cum dativo et, quod nonnullis placuit, cum ablativo coniungitur cfr. Vell. II. 75. *diversa præsentibus et contraria exspectatis*, hoc tamen loco, ubi singuli et seiuncti intelliguntur, præpositio plane omitti non potest, quam et orationis Latinæ norma et Salustii consuetudo postulat. *cum paucis diebus* Bas. quod aliquis transpositum existimet et ad sequentia *infesto exercitu* trahat. et sunt quædam puncta, quæ id suadere videntur. Neque hoc est diffitendum, cum ablativus antecesserit, commode præpositionem poni potuisse, præsertim cum et alias Salustius sæpius præpositionem adiecerit. c. 49 *ipse propior montem cum omni equitatu;* infra *C. Marius cum equitibus;* 100. *Sulla cum equitatu apud dextumos;* c. 20. *fines eius cum magna manu invadit* et l. l. *cum prædatoria manu.* Neque c. 38. „intempesta nocte de improviso multitudine Numidarum Auli castra circumvenit," contrarium comprobant. ibi enim ablativus instrumentalis est; et minus etiam quod mox sequitur, *munito agmine accedere*, ubi modalis est. De vario historicorum usu exposuit Krüger Gr. Lat. p. 506. Anm. 2. Sed hoc loco præpositionem ante *intento et infesto exercitu* restitutam velim. *Late explorare. Omnia illa* Bas. quod quamvis ferri posse videatur, tamen a vulgato ordine non recedendum esse puto. *temptare* omnes libri, quæ si vera lectio est, non ad Metellum sed ad hostes refertur. quod num fieri possit, multum dubitationis movit interpretibus. fuerunt qui *signa* subiectum esse statuerent, quod quidem monstrum puto. Iam subiectum accusativi cum infinitivo omittere, ubi ex antecedentibus facile suppletur, apud Salustium satis frequens. cfr. I. 47., iubet frumentum et alia comportare Cat. 16. fidem fortunas pericula vilia habere — post maiora alia imperabat; I. 99. ne signa quidem, uti per vigilias solebant, canere iubet. Iam nostro loco in antecedentibus dictum erat, *pariter ac si hostes adessent* et illa deditionis signa et ipsa ab hostibus facta erant; quidni igitur hoc vocabulum omitteret, cum, quæ totius sententiæ est ratio, nonnisi ad hostes referri possit. Ipse enim Metellus, cum in hostium finibus procederet, iis insidias struere non potuit.

c. 47. *Vaga* sed *cc* spl. Par. *oportunitates* Bas. Leid. Eins. Tur. *oportunitatis* Par. *commeatum* omnes fere libri. sed in Bas. *commeatu* cum lineola recentioris atramenti, ut videtur. *oportunitates* quod in

Digitized by Google

libris est, nullo modo potest retineri, nisi quis *ob* ante hoc vocabulum omissum putat. quamquam pluralis ne sic quidem satis frequens, sed legitur apud Livium XLV. 30. et a Salustii oratione non alienus. alii *oportunitatis* pro genitivo habuerunt et a *gratia* eum rectum esse statuerunt, quod et ipsum insolentius dictum est; nullo enim loco *gratia* tam longe a genitivo seiunctum legitur. Præterea quam maxime e more Salustii est, in duobus eiusdem propositionis membris structuram variare. *oportunitates* igitur a librariis propter antecedens verbum scriptum, cuius subiectum non quidem expressum est, sed facile intelligi potest; sunt enim Vaccenses. quare recte coniectum esse puto: *oportunitate*. Eadem fere ratio alterius lectionis *commeatum* est. Vix enim animum inducere possum ut putem, Salustium tam aliena, *frequentiam et commeatum*, iunxisse. commeatus enim sine dubio iuvat exercitum. Hac in re neque coniecturæ neque opinationi locus est, sed quod librarios structuræ ratio fugit, *commeatum* cum *frequentiam* coniunxerunt, ignari, *et* ad sequentia *et iam* esse referendum. *commeatu* igitur et hoc loco recte legi videtur.

c. 48. *animum advortit* Paris. m. 1. *milia habens passuum* XX. Bas. sed *habens* oblitteratum; sed *milia XX tractu* Paris. *milia xx passuum* Ein. Tur. unde *passuum* a nonnullis interpretibus deletum est. quam coniecturam confirmare videtur Arrusianus Messus p. 215. cuius auctoritas quam infirma sit, iam sæpius vidimus. sed ex hoc loco ne colligi quidem potest, eum in suis libris *passuum* non legisse. cfr. Non. p. 185. Neque quæ Salustii loca laudantur Iug. 75. 91. 106 ad nostrum locum faciunt, cum *spatio* vel *intervallo* adiectum sit. Etsi igitur hoc vocabulum sæpius omissum vel perperam intrusum esse docuerunt Gronov. ad Livium VI. 32. 9; Fabri ad Liv. XXI. 59. 1. nostro tamen loco optimi codicis auctoritate satis defenditur. *in immensum pertingens* Bas. et omnes fere libri, nam etiam in Par. ubi *pertinens* scriptum, eadem manus *g* adpinxit. Sed hoc vocabulum in dubium vocaverunt Drackenb. ad Liv. XXV. 24. 6. Burman. ad Quint. II. 4. 27. Oudend. ad Cæs. B. C. I. 68. 3. et III. 69. Ruddim. Gramm. Instit. ed. Stallbaum. II. p. 135. p. 30. Schellerus in Lexico. Omnibus enim illis locis et præterea ap. Cic. N. D. II. 9. Plin. N. H. XI. 37. 55. Lucret. IV. 278. variat scriptura et ab editoribus *pertinere* repositum est, ita ut hoc vocabulum non modo suspectum sed plane nullum esse interpretes suspicati

sint. Sed ut concedam hoc in Cicerone ferri vix posse, neque in Quintiliano multum auctoritatis habere, Salustiani certe et Liviani libri id satis tuentur.

murtetis Paris. *humi arido atque arenoso* non solum optimorum librorum Bas. Par. Ein. (reliqui *humo arida atque arenosa*) sed etiam grammaticorum testimoniis defenditur. cfr. Priscian. XVIII. 31. 306. p. 271. ed. Kr. Arrus. Mess. p. 234 ed. Lind.

c. 49. *suorum consedit. acie* spl. et super *con* vl. *in* et *montem* superscriptum Bas. *insedit* Prisc. 2. p. 215. *ærumpnarum* idem. *postremo cuiusque* Bas. Par. Ein. Tur. *pro* omisso, quod etiam in multis aliis libris deest, constante librariorum errore. *monte digrediens* Bas. Eins. Tur. Par. *i* spl. omnes Leidenses præter L accedunt multi alii libri; quo quidem verbo significatur, Metellum nondum monte descendisse, hoc enim postea factum: *in planum deducit,* sed tantum exprimit summum montem ab agmine fuisse superatum exercitumque a culmine paulum processisse. cfr. Liv. XXXVIII. 13. *nil via digressus.*

conspicitur. Donatus ad Terent. Ennuch. II. 3. 92. ad *habent despicatam*. . . . . „alterius verbi declinatio, ab eo quod est *despicor*, Sallustius: cum interea Metellus monte digrediens cum exercitu conspicatur“ et passivum quidem huius verbi etiam Varro usurpavit ap. Prisc. VIII. 4. p. 370. ed. Kr. „paupertas enim hæc, tamen non ita nutricata, ut nunc conspicatur.“ quare salva est Latinitas; sed libri non addicunt. Iam fieri quidem potest ut in codice aliquo, quem Donatus inspexit, *conspicatur* legeretur, fortasse antiquarii cuiusdam invento, qui asperitatem orationis Salustianæ augere etiam cupivit; sed talem lectionem omnibus libris invitis inducere mihi quidem temerarium esse videtur. Magis etiam a vero aberrant, qui hanc lectionem ex Donato recipiunt sed plane contrarium statuunt, et verbi vim activam esse volunt, quod iam a Iugurtha ad Metellum transitus fiat. quid autem conspicit dux Romanus? respondet interpres: insolitam rerum faciem. Sed hæc non dicta sunt. Nihil ad rem; logices et rhetorices leges id postulant; sed melius etiam Leid. D. G. qui *exercitum conspicit* habent. Sed optime a Iugurtha ad Metellum transitus ita fieri videtur, ut is, cui ille insidias parabat, in conspectum hostis venisse dicatur. Quod si cui non satis elegans neque concinnum videtur, certe id non scriptoris culpa factum esse videtur. *instituit* Bas. Leid. C. multi alii libri *con-*

Digitized by Google

stitit Fabric. Rivii. sed *constituit* solum se recte habet; *instituit* novus librariorum error. *proxumum* h. l. Bas. *sicuti* idem.

c. 50. *degredi* h. l. aperte Bas. sed *digredi* Ein. Tur. et Paris. *i* spl. neque hoc est diffitendum, recte utrumque poni potuisse et habet *digredior* Arrusian. Messus p. 223 ed. Lind. sed cum simul *colli* in uno cod. et *dig. illi loco* legatur, huius grammatici auctoritati non ita multum tribuendum, cfr. supra Iug. 1. *diffluxere*, ubi alii *defluxere* solum rectum habent. cfr. Iahn. ad Virg. Georg. II. 8. p. 402—407. et Herm. Schmidt. Disp. de verborum *dimovere* et *demovere* discrimine Viteb. 1844. *animadvertit* hoc loco omnes libri, sed supra c. 48. Paris. m. pr. *animum advortit.* — *exhistimans hostis* — *transvorsis* Bas. *prætergressos* Bas. ut plurimi libri. sed *um* Leid. a. b. d. e. f. h. k. L. Pal. 5. 7. Pemb. *λ. γ.* quod vel sine ullis libris recipiendum est; quippe quod iterum librariorum incuria in codices pervenerit, qui terminationes vocabulorum sæpe ad proxima quæque conformant.

c. 51. *cæperat* — *fors omnia agere* spl. *re* Bas. *orare et hortari* Bas. Ein. Tur. multi alii; *et* deteriores libri omittunt. *hostis fugientes* ita Bas. *sed ne iug. quidem* idem; spl. adpictum *c* eadem manu.

c. 52. *locus advorsus* Bas. sed paulo post *adverso.* — *pluresque* Bas. sed *plerosque*, quod reliqui libri tuentur, multo præstantius vel potius solum verum est.

c. 53. *quatuor capti sunt* Bas. Par. *fessi letique* Bas. ut longe plurimi libri. sed spl. *lassati* et in marg. *lassitudinis* vel *cessationis. lassique* tantum pauci et deteriores libri Vin. Vrat. 2. Guelf. 3. 4. Leid. i. quos tamen h. l. veram scriptoris manum expressisse statuendum est. Dixerit quidem aliquis animi lætitiam propter hostes fugatos animis eorum tantam fiduciam addidisse, ut, nihil mali timentes, nullum amplius laborem suscipiendum esse statuerent, et tam propter lassitudinem quam propter securitatem omnia abnuerent; sed nihilominus horum verborum iunctura paulo insolentior esse videtur, quam quæ ferri possit. primum enim *læti* non cum *itinere et opere* castrorum iungi potest; tum ne *prælio* quidem ab illis seiungi potest; quod etiamsi solum cum *læti* iungeretur, tamen potius *prælii exitu* dicendum erat. *læti* igitur potius ex librarii errore quam ex iudicio fluxisse putaverim. Ita Horatius c. II. 6. 7. *lassus maris et viarum militiæque* et Iustin XXVIII. 4. *lassos reficere. fert* Bas. et omnes boni libri. *ferunt* pauci deterio-

res; *ferri* Vin. 1. *ferre* Inc. 2. Fabr. 1. m. pr. Tegern. idque contra optimorum librorum auctoritatem a nonnullis receptum est. *detractant*; ita scribendum fuit; eadem forma est infra in fragmentis libri tertii: *militiam detractantibus*, et nostro loco Leid. d. e. h. k. l. m. n. et multi alii libri. in Bas. perperam *decretant*, sed *detrectant* Par. Ein. Tur. cfr. Drackenborch ad Liv. xxxiv. 15. 9.

c. 54. *in hisdem — militiæ — contione* — Bas. *iam pugnatum satis* idem. qui verborum ordo ut a vulgato recedit, ita ad vim orationis augendam multum facit. *etiam regis tum animum* Bas. Ein. *regis etiam tum an.* Par. *etiam tum regis an.* Tur. *an. regis etiam tum* Leid. in tanta optimorum librorum discrepantia vulgatam sequor. *inicum* Ven. 2. eamque scripturam expressi, quippe ex quo fonte vulgata *inimicum* fluxerit, quæ omnes fere libros occupavit. ad firmandam illam lectionem plures libri accedunt, qui *iniquum* habent. ex. gr. Guelf. 1. 2. 3. Leid. d. g. m. *in acie* Bas. Par. Ein. Tur. alii. *in* a nonnullis interpretibus eiectum est, quod aliis locis non additur. cfr. infra c. 97. *non acie neque ullo more prælii sed catervatim — in nostros concurrunt.* sed ibi præpositioni non locus fuit, ablativus enim modi, qui dicitur, tali additamento facile caret. Sed Liv. v. 41. „quod nec *in acie* ancipiti usquam certaverunt prœlio.“ *in acie* igitur est nostro loco: exercitu in aciem educto, et scriptor orationis variandæ causa præpositionem adiecisse putandus est. *in loca Numidiæ* Bas. Ein. Tur. *in Num. loca* vulg. *interficit*; *iubet* ita omnes fere libri. *interfici* Par. cod. Putschii et Servius ad Aen. v. 546 ut nunc quidem editur. et est hæc lectio tam elegans, ut facile omnibus probetur. contra offendit in plurimorum librorum lectione horrida illa duorum verborum compositio. et quod interposito verbo finito *interficit* duo orationis membra nimis disiunguntur. Sed primum asperitas illa compositionis interpunctione lenitur, tum in tanta facilitate vulgatæ non satis intelligitur, quo modo altera lectio in Salustii orationem inducta fuerit. tum nescio an me animus fallat, sed videtur illa Metelli industria atque vis bellica ipso verborum ordine quodammodo significari. *ex inopia* ita omnes fere libri: *ex copia* Guelf. 4. m. pr. et Guelf. 2. *ex in copia.* qua quidem lectione ipsius perversitatis fons aperitur. Cum enim a rebus dubiis, in quibus Iugurtha versabatur, vocabulum *copia* abhorrere videretur, librarii hoc in *inopiam* mutarunt, immemores illi *copiam* esse vocem mediam, quæ non mi-

Digitized by Google

nus ad res adversas quam ad res secundas referatur. vide supra c. 39 et 76. 90. 98.

c. 55. *quo clarior erat* Bas. Par. Ein Tur. Leid. verbum substantivum recte utroque loco positum esse videtur, ita enim oppositio duorum orationis membrorum magis firmatur; non enim suum iudicium scriptor expressit, sed famæ et gloriæ ipsius Metelli actionem opponit.

c. 56. *sese Numidæ gerunt* Bas. Par. bcxz. Leid. a. c. d. g. h. i. m. *agunt* Tur. Naz. Commel. Fabr. 1. 2. alii. Latinum utrumque; sed cum illud duo optimi libri tueantur, utrum præferendum sit, dubitari non potest. Præterea *se agere* argenteæ ætatis scriptoribus magis usurpatum. cfr. Tacit. Hist. III. 2 „quanto ferocius ante se egerint, tanto cupidius insolitas voluptates hausisse.“ et sæpius quidem substantivum additur, quod vitæ genus exprimit, *consulem, amicum, senatorem, virum, principem, arbitrum, filium principis* etc. contra cum ablativo vel adverbio verbum iunctum raro pronomen adsciscit. Etsi igitur Ruhnkenius ad Rutilium Lupum p. 87. hanc dicendi rationem compluribus exemplis illustravit, vereor tamen, ut satis commode ad orationem Salustianam referri possit.

c. 57. *in proximis* Bas. mendo scripturæ; *picem et sulphure tedam mixtam ardenti* Tur. *sulphur et tædam mixtam ardentia* Par. z. m. pr. sed *e* spl. *m* puncto notatum et *a* erasum. præterea *ardenti* Par. b. *ardentia* Par. x. *picem sulphure et teda mixtam ardentia* Bas. Vin. 1. Sen. 1. Paris. c. d. Bern. 3. Pemb. B. Pub Mark. λ. Guelf. 4. Leid. L. etiam Naz. nisi quod *tædam* legit. Inter varia dicendi genera hæc lectio ut meliorum librorum auctoritate firmata, ita etiam ad sensum ceteris præferenda est. Satis constat in urbium oppugnatione non minus sæpe igni quam telis et oppugnantes et obsessos uti. sed sudibus præustis etiam alias rustici inprimis pugnabant cfr. Virg. Aen. VII. 524. stipitibus duris agitur sudibusve præustis, et 506. improvisi adsunt, hic torre armatus obusto. cfr. Aen. XI. 894. Ovid. Met. XII. 299; sude figis obusta — sed etiam ipsa tela accensa mittebant cfr. Liv. XXI. 8. 10. (telum) sicut in pilo, quadratum stuppa circumligabant linebantque pice; quod cum medium accensum mitteretur conceptumque ipso motu multo maiorem ignem ferret, arma omitti cogebat. cfr. Cæs. b. g. v. 40. multæ præustæ sudes, magnus muralium pilorum numerus instituitur. Liv.

XXXVIII. 6. „alii cum ardentibus facibus, alii stuppam picemque et malleolos ferentes, tota collucente flammis acie, advenere.“ Obsessi igitur ut impetum hostium propulsarent, non modo picem ardentem in oppugnatores coniecerunt, sed etiam sudes et pila ardentia misere. Hanc ab rem illud vocabulum in fine positum; contra si *ardenti* legitur, id eo quidem loco poni plane non potest. Neque pix sulphure et tæda *ardenti* mixta erat, sed ardentia illa mittebantur. Iam sunt quidem, qui *tædam pice et sulphure mixtam* melius dici statuunt quam *picem sulphure et tæda mixtam.* sed primum hoc ad sensum loci mutandum parum facit, tum ne in aliis quidem locis *tædæ* plus quam *pici* tribuitur, cfr. Cæs. B. Civ. II. 11. III. 101. ubi cupæ *tæda ac pice* refertæ commemorantur; et haud dubie *picis* erant partes primariæ, quippe cui sulphur admiscebatur ad ignem facilius concipiendum, tæda ad flammam alendam latiusque spargendam.

c. 58. *expectantibus — frustrari — a tergo — misit* Bas. et primum quidem constans veterum librorum scribendi ratio retinenda et *s* eiicienda fuit. *frustrari* et *frustrati* locum habere possunt, sed infinitivus et Salustianæ orationi in universum et huius loci structuræ melius convenit. etiam *a tergo* melius quam *ab tergo* scribi videtur; etsi supra c. 56. idem Bas. *ab tergo* tuetur. *clamorem vel tumultum hostilem.* Bas. Par. z. hoc ita a Salustio scriptum esse nemo putaverit; ferri poterat *et tumultum*, quod in Leidensi L. esse dicitur et Parisini b. c. habent; sed *veluti tumultum* Bongarsii liber; sed optime quatuor Wassii libri *et tumultum host.* omittunt. unde fuerunt qui etiam *hostilem* delerent; neque hoc est diffitendum, ita demum hoc pro interpretamento vocabuli *clamorem* haberi posse. neque *hostilem* esse clamorem Metellus compertum habuit; et dixerit aliquis huius vocabuli auctoritatem etiam eo imminui, quod in Leid. g. *hostium* scriptum sit. Sed rem in medio relinquo. *misit* optimi libri, Bas. Par. Ein. Tur. neque est quod in sequente t. præsenti offendamus; quippe quæ temporum mutatio apud Salustium sit frequentissima. cfr. 53.

c. 59. *uti superiore — uti equestri* utroque loco *uti* Bas. *adversi sequi concurrere.* Bas. Ein. Tur. (in quo *adversis equis* spl.) Paris. b x; sed Par. z veram lectionem tuetur, quæ verbis male distinguendis obscurata fuit.

c. 60. *remisserant* Bas. perversa scriptura. *sicuti* Bas. Par. sed *sic* in Par. punctis notatum. *huc et illuc. et*, quod a nonnullis tenta-

Digitized by Google

tum est, optimi libri tuentur. neque quod sæpius omittitur, inde recte aliquis colligat, etiam hoc loco esse illud delendum.

c. 61. *incæptum* Bas. *niti, nisi* Bas. Par. b c x. *διττογραφία. in his urbibus* aperte Bas. alii minus bene *is. ab se defecerant.* Bas. *a se* Par. sine sensu. nullæ enim urbes a Metello defecisse dicuntur. veram lectionem *quæ ad se defecerant* servavit Arrusianus Messus p. 224. ed. Lind. contra Priscian. VIII. 7. p. 387. ed. Kr. *ab rege defecerant*, quomodo Victorius edidit. sed Arrusiani testimonium confirmant nonnulli codd. Bas. 4. Fabr. 1. m. sec. et aliquot Rivii et Gruteri libri. *clam de Massivæ nece;* alii præpositionem postponunt *Massivæ de n.* Commel. alii, quibus Orellius obsecutus est. *deinde fide data* Bas. non *dein*, ut in aliquot editionibus est.

c. 62. *accedit* Bas. *n* spl. *captos occisos* Bas. Par. Ein. Tur. *aut* quod plurimi libri servant et nuper quidam editor recepit, a librariis interpositum est, qui diversa et opposita ἀσυνδέτως poni posse diffitebantur.

accersi Bas. 1. m. pr. (sed *arcessi* correctum) Eins. Tur. Par. x. alii ut infra c. 113 *accersi* Bas. Par. x. b. m. sec. *accersiri* Par. b. c. z. Leid. Gruterus, Carrio, Gryphius, Veneta 1470. quare pugnant inter se optimi libri, ita ut admodum difficile sit ad constituendum, utra forma Salustio magis placuerit. Reliquos scriptores quod attinet, Oudendorpius ostendit, Cæsarem fere forma passiva in *iri* terminante usum fuisse, et sæpius etiam apud Livium libri mscrpt. variant cfr. III. 45. 3. ubi Drackenborch. formam *accersiri* tamquam spuriam notavit, ut ad III. 9. 13. alteram formam *accerso* damnaverat. cfr. ad II. 19. 10. IV. 2. 12. IX. 9. 12. XXIV. 2. 4. quibus omnibus locis non modo forma in *ire*, sed etiam *accerso* improbatur. quod parum recte ab eo factum esse grammaticorum testimonia satis comprobant. cfr. Charisius p. 227. qui hæc habet „*arcesso*. Errant qui putant ex eo, quod est arcessio (Lind. *arceo*), sed *accersio* sicut arcesso. Sed interest quod *arcessere* est accusare, *accersere* autem vocare. hæc duo verba sunt tertii ordinis et *arcessere* non *arcessire*, *accersere* non *accersire*, et imperativum *arcesse* et *accerse* non *arcessi* et *accersi*." cfr. Scaurus de orthographia p. 2260. „item *accerso*, quamvis alii *arcesso* dicunt non sine ratione cet. Sed quidam differentiam esse voluerunt, ut *arcesso* quidem ab eo verbo esset, quod est *arceo*, *accerso* vero ab eo, quod est *accio*." cfr.

Diomedes p. 375 et Velius Long. p. 2232. Ex quibus quidem locis hoc est manifestum, *accerso* formam esse satis probatam, contra infinitivum quartæ coniugationis visum nonnullis suspectum. cfr. c. 32 et c. 72.

eorum et aliorum Bas. Par. b c x z *atque* Ein. Tur. Leid. quod qui defendunt, statuere videntur, *alios* illos, quos Salustius ne nominare quidem voluit, honoratiore etiam loco fuisse quam senatores; quod contra se habet. *mauretaneam* Bas. m. 1. *i* utroque loco correctum. *nequi quam* Bas.

c. 63. *diis* — (postea *dis*) — *capiundum* — *miliciæ* — *diviciarum* — *puericiam* — *paciens* — *faciundis* — *greca* — *mundiciis* — *artis* m. pr. — *omnis* scripturæ cod. Bas. *prospere eventura;* nonnulli contra auctoritatem optimorum librorum Bas. Par. Ein. Tur. Leid. *prospera* scripserunt, quod non minus bene Latinum, sed ab hoc loco alienum est. *appetere non audebat. consulatum* om. Bas. Ein. Tur. Par. b. x. z. in Tur. *cons.* spl. præterea *cons.* delent quinque Palat. quinque Guelferb. multi ex Italicis, qui etiam *appetere* confirmant. quæ quidem lectio cum multum difficultatis habeat, accuratius examinanda esse videtur. Dicat aliquis *consulatum* eo fuisse omissum, quod oculus librarii a superiore linea ad inferiorem aberraverit. Et est sane ita in optimo cod. Bas. ut *appetere* locum supra *consulatum* teneat, ita ut hoc fieri potuisse facile concesseris. Sed tamen multo sæpius fit, ut a librariis talia addantur quam eiiciantur. Præterea cum in duobus et optimis et inter se diversis libris hoc vocabulum omissum sit, illius argumenti vis valde imminuitur. Accedit quod etiam vocabulum *appetere* difficultatem movet. qui enim concedunt, *petere* absolute poni potuisse, idem in *appetere* fieri posse negant. Illud enim sollemne et proprium in hac re vocabulum, *appetere* non ita. Salustius bis hoc vocabulo usus est, Catil. 14: *adulescentium familiaritates appetebat.* et Iug. 14. *in suis dubiis rebus societatem vestram appetiverunt* cfr. c. 64. *appetere a p. r.* Cicero *appetitu* et *appetitione* Græcum ὁρμὴν expressit, et procul errant, qui *appetere* nihil aliud quam *concupiscere* esse volunt. Contrarium vel unus Ciceronis locus probat. Phil. III. 14. quod agendum atque faciendum, idem non modo non recusem, sed appetam etiam atque deposcam. Salustius igitur consilio hoc vocabulo usus esse videtur, quod neque idem, quod Cicero, dicturus erat, (Offic. III. 20. Marius cum iam septimum an-

Digitized by Google

num post prætúram iaceret, neque petiturus umquam consulatum esse videretur) neque negaturus erat, Marium hunc honorem concupivisse. Sive erat modestia, sive causæ diffidentia, Marius non ea fuit audacia, ut ad illum honorem aspirare auderet. Sed eo quidem sensu *appetere* absolute dici posse, negarunt interpretes. Sed verbum impersonale certe absolute dicitur. Plinius etiam cum vi transitiva absolute posuit Lib. VIII. c. 15. Et primaria huius verbi significatio ea est, ut non magis quam *niti* et *aspirare* ad sensum explendum accusativum postulet. Iam cum scriptori notio consulatus per totum hoc caput in animo hæreat, cum aliud ne cogitari quidem possit, cum idem in iis, quæ mox sequuntur, in memoriam revocetur, mihi quidem non durius esse videtur, quod non disertis verbis expresserit, ad quod Marius aspirare non audebat. *egregius factis* Bas. et longe plurimi libri. cuius lectionis auctoritatem confirmat, quod in multis libris *egregius factus* est. accedit quod *factis*, cuius vis primaria est, ita multo magis acuitur, cfr. Tac. Dial. c. 8. *egregius moribus*. Et cum supra Catil. 23 fere eandem sententiam iisdem verbis expressisset, „namque antea pleraque nobilitas invidia æstuabat et quasi pollui consulatum credebat, si eum quamvis egregius homo adeptus foret“ hoc loco *factis* adiecit, ut oratio magis ad Marium referretur.

c. 64. *petendi — obtanda — primum commotus insolita re mirari primum eius — neu tam super — cupienda — appetere.* Bas. Et *primum* quidem post *mirari* positum habent etiam Paris. b c x z. et potest hic locus commodior videri, quia verba, quæ sententiam continent, arctius inter se iuncta esse videntur; sed sequens *postquam* tamen *primum* initio poni iubet et fuerunt fortasse librarii, qui hoc cum *consilium* iungere vellent, quare auctoritatem Bas. et plurimorum librorum sequor, sed *primo* contra omnes codd. corrigere audacius visum. quam enim legem in ipso Sallustio invenisse sibi videntur, ea ne eius quidem auctoritate, nedum aliorum scriptorum usu confirmatur.

appetere a p. r. quod Sallustius eo consilio posuisse videtur, ut propriam petendi notionem excluderet. Ut enim in antecedentibus eo vocabulo usus erat, ut Marii mores et ingenium melius perspiceretur, ita hoc loco hoc verbum adhibuit, ut Metellus Marium non modo dehortatus esse videretur, sed simul eius accusaret arrogan-

tiam. *petunt* enim qui aliquid impetrare cupiunt, *appetunt* qui vel iure id sibi tribui statuunt, vel tantum studii adhibent, ut precibus eorum cedere necessarium esse videatur. sed si qui sunt, qui negent, *appetere aliquid ab aliquo* Latine dici potuisse, ii velim cogitent *appetere* si minus eandem, tamen similem significationem quam verbum simplex habere eandemque sequi structuram. Sed ne necesse quidem fuit, ut verba *a pop. Rom.* arctius cum *appetere* coniungerentur, sed possunt illa posita esse ut apud Livium XXI. 5. silentium ab hostibus fuit. 13. nec a Romanis ulla vobis spes est. I. 50: ne id quidem ab Turno tulisse tacitum ferunt; XL. 34; pacem cum iis populus Romanus non a se tantum sed ab rege etiam Massinissa præstitit.

c. 65. *paululum inminuta* Bas. Paris. b c x z. *paulum* alii. *si vi iugurtha* Bas. vitium ex repetitione primæ syllabæ ortum, quod eo facilius fuit, quod *ui* in fine lineæ positum et *iugurtha* in initio sequentis. *contumeliarum imperatori cum suo auxilio pœnas petat.* Bas. et omnes boni libri; quod alii in *imperatoris*, alii *in imperatorem* mutarunt, parum illi memores liberioris dativi usus et apud Salustium et apud Tacitum. neque illos moverunt quæ in Catilina leguntur, c. 32. *neque insidiæ consuli procedebant*, et *insidias consuli maturent;* neque Taciti auctoritas eos a temerario emendandi studio retinere potuit; cfr. Annal. XII. 55. vim cultoribus et oppidanis ac plerumque in mercatores ac navicularios audebant; XIII. 21 ultionem in delatores et præmia amicis obtinuit. Sed iam diu Drackenborchius ad Liv. III. 46. 2; animadvertit, Livium dativum pro genitivo nominibus addere solere; quod ut supra vidimus, apud Tacitum frequentissimum est. Alia, contra optimorum codicum auctoritatem mutata hæc sunt: *uti sellam* pro *ut*, iterum *uti contumel.*, *in eos* post *contumeliosum* deletum, et *spes pacis* ordo verborum temere mutatus; quæ omnia fusius refutare longum est, neque optimorum librorum auctoritas contra omnes audaciorum hominum scrupulos defendenda est. *Maniliam* Bas. Par. c. *mamillium* Par. b. *mamilium* Par. z.

c. 66. *vacenses — volgus — tercium — plebes.* Bas. *aliaque, quæ* idem; sed Par. *alia, quæ.* cuius auctoritate impulsi nonnulli editores *que* eiecerunt. sed quam facile particula excidere potuerit, nemo non intelligit. *aliaque* satis frequens apud Salustium Cat. c. 32. 52. Iug. 3. 36. *atque alia* 64. *et alia* 85.

c. 67. *trepidare, arcem* optimi libri Bas. Ein. Par. z. b. c. x. *ad arcem* Tur. Leid. alii. quod omnes fere editores receperunt. Sed priorem lectionem cur illi non admiserint, equidem non intelligo. Zeugma est, neque ex durissimis; multo magis aliena Tacitus composuit, cfr. Agric. c. 45. nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Hist. II. 20 quod arduum sibi, cetera legatis permisit; Ann. IV. 29. fossam loricamque contexens. Hist. V. 22. utque ad fallendum silentio, ita cœpta cæde, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant. cfr. Liv. XXI, 31. (fluvius) nova semper vada novosque gurgites — ad hæc saxa glareosa volvens. XXII. 19. navibus prope terram, exercitum in litore ducebat. XXV. 39. ni cruenta scuta Romanorum visa indicium alterius cladis Pœnis atque inde pavorem iniecissent; et mox c. 69 *civitas cuncta pœnæ aut prædæ fuit,* ubi nemo umquam simpliciter *pœnæ esse* dixerit. Quibuscum si nostrum locum comparas, structuram minus duram invenies. *prohibentur* et hostes a locis, et loca ab hostibus; Liv. XXXI. 25. agros sociorum populationibus prohibiturum. III. 28. iam se ad prohibenda circumdari opera Aequi parabant. Nihil igitur opus est quam ut *adire* vel *ab aditu militum* suppleatur. quem ad modum igitur supra dictum est: *insequentes mœnibus prohibuit* et Cat. c. 28 *illi ianua prohibiti,* ita etiam arx recte prohiberi per zeugma dici posse videtur.

c. 68. *Vaccæ* Bas. *Vage* Par. sed *cc* spl. *quendam* Bas. *a* spl. Par. *abnuentis omnia docet* Bas. *in primo latere* omnes fere libri; *late* Vat. 1. Par. c. Barb. 5. m. pr. id quod iam ante Palmerius coniectura assecutus erat, quæ recte ab omnibus editoribus recepta est, primum enim latus exercitus pro fronte vel *prima fronte* cfr. Liv. X. 14. nemo umquam dixit. *in primo* dictum ut *in medio, in extremo, in proxumo* etc. Ita apud Livium II. 20. provolant in primum. et ad *late* cfr. Liv. IX. 27. latius patefacta acies.

c. 69. *animum advertere ad se vorsum* Bas. Par. b. x. z. *an. advortere* Par. c. *volgum — turris* Bas. *ex Collatio* Bas. *col.* spl. Par. z. et Tur. m. sec. *Latio* Ein. quod solum dici potuit, non enim de patria, sed de iure Latii agitur; de sociis enim Latinis virgis supplicium sumere licuisse manifestum est ex Plut. v. C. Gracchi c. 9., ubi lex M. Livii Drusi commemoratur, quæ id fieri vetabat. *ὅπως μηδ' ἐπὶ στρατείας ἐξῇ τινὰ Λατίνων ῥάβδοις αἰκίσασθαι,* quæ non perlata vel mox

antiquata esse videtur. Ceterum si pro veris habenda, quæ Plutarchus v. Marii c. 8. tradit, præcipua in Turpilii supplicio opera Marii fuit, qui cum ipse summum supplicium de Turpilio sumendum esse censuisset, postea tantam sævitiam Metello crimini dedit. quod Salustius aut ignorasse aut dissimulasse putandus est. Certe hæc vafritia a moribus Marii non abhorret.

c. 70. *acceptabilemque — molliciam* scripturæ cod. Bas. *die noctuque* h. l. omnes boni libri tuentur, cfr. supra. *magnis opibus clarum*. fuit qui contra libros scriberet, *magnis opibus, carum* quod Salustius I. 12. et 108 ita dixerit et quod plane diversæ significationis adiectiva *que* coniungi non debuerint; sed c. 71. *fidus acceptusque* dictum est; neque vis particulæ eo valet, ut omnia, quæ illa iungit, inter se similia sint, sed ut ad eandem sententiam confirmandam referantur. quæ quidem huius loci ratio est, ubi quanta gratia atque auctoritas Nabdalsæ fuerit, per singula exprimitur; denique eadem vocabula iungit Tac. Annal. XII. 29. *Vannius — clarus acceptus*. cfr. infra: *gloria opesque inventæ; is postquam — ad tempus non venit metusque rem impediebat.* Sed putidum est exempla conquirere ad usum dicendi illustrandum, de quo adhuc nemo dubitavit. *Metelli virtute* Bas. et Tur. confirmat.

c. 71. *negociorum* Bas. *paulo post* idem. *et ex consuetudine* Bas. *et* Grutero teste meliores et addiderim longe plurimi libri. (talia enim in libris mscr. examinandis oculos facillime fallunt.) omiserunt priores interpretes, quippe qua particula facile carerent. Neque eam desideraveris, sed quoties apud Salustium verbum substantivum omittatur, iam sæpius animadversum est. cfr. supra c. 1. et huius ipsius capitis initium. *repperit* Bas. alii; *uti acta erat ex perfugis cognovit* Bas. Leid. Ein. Tur. Par. b c x. *ex servis* spl. *ex perfugis* Par. z. Med. 8. Ven. 1. qua quidem ex varietate manifestum fit, hoc vocabulum a glossatoribus additum, quippe qui docerent, quo modo Nabdalsa de perfidia clientis certior factus fuerit. Eiusmodi glossæ vel optimos libros occuparunt, et partim iam ad antiquissimos grammaticos referendæ sunt.

c. 72. *civis hostesque iuxta* Bas. Par. z. *civis hostis* Par. x. sed contra optimorum codicum auctoritatem nihil mutandum. *alio atque alio loco*; sed *atque alio* omnes fere libri omittunt, etiam Bas. Par. b. c. x. z. Ein. Tur.; retinent, si Havercampius recte varietatem lec-

Digitized by Google

tionis notavit, plurimi Leidens. neque omitti hæc possunt; namque unum *alio* quid significet, nemo satis commode explicaverit. cfr. supra 18. *alia dein alia loca petere.* Liv. XXVIII. 35. aliis atque aliis de causis; XLIII. 22. nec deinde alios atque alios mittendo tentare eum destitit; c. 50. quippe qui alii super alios trucidentur; III. 56. alia super alia; cfr. Liv. II. VII. 39. XXV. 23. XXVII. 25. XXX. 28. unde intelligitur admodum usitatam hanc dicendi rationem Livio fuisse.

c. 73. *invitum et offensum* Bas. et omnes fere libri. *invictum* Par. b c. sed nuperrimus editor deteriorum librorum lectionem *inrisum* reposuit, tamquam *invitum* absolute dici non potuerit. quod falsissimum est. cfr. Cic. pro Roscio Comœdo c. 13. „Fannium invitum et huc atque illuc tergiversantem, testimonium contra se dicere coegi.“ Cic. ad Att. VII. 13. „Delectus quidem adhuc invitorum est et a pugna abhorrentium.“ *acceperant* tuetur etiam Bas. *decori fuit* Bas. Par. spl. sed idem m. pr. *fuerat.* sed *fuit* pauci omittunt, unde Cortius et eius admiratores verbum omiserunt; sed ad vim sententiæ verbum substantivum h. l. necessarium est. *volgum excitare* Bas. 1. Par. x. ut Sen., et Guelf. 6. *exercitare.* illud ad sensum satis commode cfr. Catil. 58. *quem neque gloria neque pericula excitant,* et simili modo Sisenna apud Nonium: *imperitum concitat vulgus*; et quotiens apud Ciceronem: *excitare* atque *inflammare animos, motus in animis hominum exc.*, et ap. Virgilium: *quis indomitus tantas dolor excitat iras?* Sed aliis locis Salustio *exagitare* usitatum. cfr. infra c. 84. *senatum exagitandi causa*; Cat. 14. 45. Iug. 34. 63. sed tantum uno loco Cat. 39. *senatum criminando plebem exagitare* eodem sensu quo hic positum. Ceterum *excitare* facile errore librarii ex *exagitare, a* littera omissa et similitudine litterarum *c* et *g* oriri potuit. *in manus celebrare* Bas. Par. x. *immanius* Par. c. quam lectionem etiam Rivius in nonnullis libris invenit neque eam plane reiecit. *immane* enim prope ad significationem verborum *in maius* accedere ratus tantum scrupulo quodam se retineri passus est, quo minus illam lectionem reciperet. *Manlio Mancilio* Bas. Par. c x. *C. Manlio* Par. z. *Manlio Mantino* Tur. *Manlio Mancino* Ein. Prænomen multi libri *L.* sed Par. z. *C.* scribunt, quare *C. Manlio Mancino* verum nomen fuisse existimo cfr. Pigh. Annal. III. p. 116. *Sed paulo decreverat senatus d* spl. Bas. Par. x. sed in Bas. *senatus* in margine adscriptum idque omissum in Par. c z. et in Par. b. m. pr. ubi *senatus* spl. *Sed senatus paulo*

decio decreverat Tur. *iussu senatus paulo decreverat* Ein. deteriores libri *Numidiam*, nonnulli *Num. provinciam* addunt. *Numidiam Metello* Bas. 4. habet. *Sed paulo ante Metellum decreverat* Rem. 1. *sed paulo decreverat* Naz. m. pr. *Senatus decio prov.* Commel. Unde recte colligitur hunc locum in ἀρχετύπῳ mancum fuisse lacunamque ab aliis librariis aliter fuisse expletam. Et primum quidem *provinciam* additamentum librarii esse nemo non intelligit, etiam *sed* fortasse ab aliena manu adscriptum, vel inde ortum, quod prima littera sequentis vocabuli bis scribebatur, et ab his cupide arreptum est, qui iuncturam orationis sic molliorem fieri statuebant. Cum *paulo* pro dativo haberetur, non solum *ante* omissum est, sed etiam *Metello*, quod fortasse una littera scriptum fuerat, ut aliquoties fit in nominibus sæpius repetitis. Iam cum accusativus deesse videretur, alii *Numidiam* alii *Metellum* scripserunt; sed *Numidiam* addere non opus fuit, quippe quod ex antecedentibus facile suppleri poterat.

c. 74. *vanus incertusque* Bas. Ein. Par. b. mendo scripturæ; *varius* Par. z. Tur. m. pr. (*vagus* m. sec.) *quisquam omnium* Par. z, quæ lectio alteri *hominum* fortasse præferenda est. *ceteri eius omnes milites.* ita optimi libri, sed quia *omnes* in nonnullis libris post *ceteri*, in aliis post *eius* scriptum est, hoc quendam interpretem impulit, ut id vocabulum eiiceret. Iisdem rationibus usus, et pessimos libros in auxilium vocans, facile aliquis totam Salustii orationem perverterit. Hoc quidem pro certo poni posse videtur, hunc locum in altera illa codicum familia minus fuisse corruptum quam in iis libris, quos veram Salustii manum expressisse recte statuimus. *et armorum et aliquanto numero hostium p.* Bas. Par. b. c. x. particula *et* incuria librariorum transposita. *numidis* spl. *vl. as* Bas. *Numidis* etiam Par. c. z. *numidas* Ein. *tutata* Bas. Leid. Tur. *tuta sunt* Par. b. z. sed in b spl. *vel tutati* et in z in margine: *syllepsis per genera tutor tibi — tuta* confirmat Ein. Unde intelligitur, vel hoc loco scripturæ discrepantiam iam in antiquissimis libris fuisse. et *Numidis* quidem non inventum librariorum esse, sed iam olim in libris fuisse expressum docet nota libri Parisini z. et Bas. m. 1. sed quod *vl. as* in eo superscriptum est, etiam huius lectionis satis magna auctoritas est. Accessit quod libri inter *tutati, tutata, tuta* variabant. Iam *tutari* ab Salustio sæpius usurpatum fuisse, satis constat. cfr. Iug. 52. 85. 103. et ipsa illa nota Par. z. *tutor* defendit. quod verbum cum

Digitized by Google

optimi libri tueantur, utique reponendum est. Inde necessario sequitur, etiam *Numidas* esse scribendum. Etsi alteram illam structuram *Numidis — magis pedes quam arma tuta sunt*, non contemnendam duco. Si quis est, qui *hoc mihi tutum est* Latine dici neget, in eius gratiam duo loca adscribo. Cæs. B. G. II. 28. „Cum victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum arbitrarentur.“ Cic. pro domo c. 42. „quæ maiores nostri religionibus tuta nobis et sancta esse voluerunt etc.“ Plura addere non opus est.

c. 75. *magnum atque op.* ita optimi libri; *et op.* ceteri, idque in recentiore quadam editione expressum; causam frustra quæras. variatio delectat. *ibique plerique* Bas. Paris. a c d e. in P. z *ubique* et *i* spl. m. sec. vetus corruptela esse videtur, quod oculi scribentium ad sequens vocabulum aberraverant. *in spatio* omnes fere libri; præpositionem delent nonnulli interpretes, quod intervallum simplici ablativo satis significetur, immemores illi *in spatio* hoc loco non intervallum significare. sed fere idem esse quod *intra* cfr. Cæs. B. G. VI. 36 in milibus passuum tribus. et de tempore Cic. Top. 10 si filius natus esset in decem mensibus. *ubi præsto fuerit* Bas. Par. z. Leid. Tur. *fuerint* Eins. quod commode dici poterat. contra alius editor *forent* contra omnium librorum testimonia scripsit; quæ idem contra *fuerit* disputat, acuta sed non vera; in iussis enim sæpius tempore præterito utuntur Latini pro futuro. Ut igitur dicitur *hoc factum volo, hoc feceris*, ita etiam h. l. Sallustio perfecto uti licuit, ut Metelli iussum maiore cum vi exprimeretur. sed ne opus quidem est ad hanc interpretationem confugere. Id enim Metellus imperavit, ut omnes illi in eum locum *pervenerint*, antequam ipse eo accedat. Ita perfectum propriam suam vim tuetur. *quod Numidis præceperat* Bas. Tur. præterea Nazar. Commel. Fabric. Tegern. ex Parisinis b c z; lectio haud dubie memorabilis et ex vetere fonte petita; quippe quam optimi libri confirmant; sed recentiores interpretes id Latine dici posse negant. nemo autem credo offenderet, si *indicaverat* vel *indixerat* scriptum esset. cfr. Virg. Aen. VII. 467. *indicere iter*; et Sueton. Nerone c. 27. indicebat familiaribus cœnas. A qua quidem dicendi ratione *præcipere* plane diversum esse nemo dixerit. præcipere enim est aliquid imperare adiecta admonitione vel explicatione; igitur *quod præceperat* fere idem est, quod: *adire eos iusserat*. sed vel tum *quem* dictum malim. Inde satis recte colligitur,

hanc lectionem inde ortam esse, quod veteres grammatici vel glossatores hac coniectura orationem magis compositam et concinnam fore statuebant.

c. 76. *Deinde iubet locis ex copia maxume idoneis vineas agere superque eas aggerem iacere et super aggerem inpositis turribus opus et administros tutari.* ita hunc locum exhibent Bas. Paris. bcxz. in z enim ubi *iubet* erasum erat, super lineam scriptum est. sed *super eas* etiam Tur. et Eins. confirmant et omnes fere libri. et illi quidem etiam *duobus locis* defendunt. sed in Tur. m. sec. *iubet* erasit et *duobus* superscripsit. — locus, ut omnibus fere placet interpretibus, corruptus, quem exprimere malui ut in optimis libris est, quam coniecturas recipere. Et primum quidem illud *duobus*, quod etiam Leid. c. g. l. et Erlang. tuentur, admodum suspectum est, quippe cuius vocabuli in præstantissimis libris nullum sit vestigium. Hoc igitur ad notionem pluralis explicandam a scholiastis additum puto. Sed iam magis dubium est, num etiam *iubet* expungendum sit. Potuit id quidem omitti et infinitivus historicus, qui statim sequitur, vel huc inferri, sed hoc minus necesse est; nam infinitivum activi post *iubet* sequi, notione personæ, quam aliquid facere iubemus, non disertis verbis expressa, multis exemplis interpretes docuere. cfr. ad Cæs. B. Civ. II. 25. Liv. XXII. 54. 7. eaque structura apud Livium adeo frequens est, ut cum altera mutetur. cfr. Liv. XXI. 45. Gallis parci quam maxime iubet, principumque animos sollicitare ad defectionem. XXXIV. 37. nihil respondere, bellum geri iusserunt. Cum igitur res ipsa nihil dubitationis habere possit, tantummodo verborum positio initio propositionis non satis elegans esse videtur. Sed multo maiorem difficultatem habent verba *superque eas*, quæ alii pro falsis habuerunt, alii varie interpretati sunt. et *super* quidem de loco superiore vel loco propinquo interpretari, mihi quidem non satis certum esse videtur. Etsi enim vineæ locis inferioribus promovebantur, quippe sub quibus subsidentes ad murorum fundamenta subruenda penetrabant, tamen locus editus, illis proximus, parum recte verbis *super eas* significari videtur. et *super* pro *præter* positum, quod apud Livium sæpius occurrit (cfr. Liv. XXII. 6. extr. cum super cetera extrema fames etiam instaret. et XXX. 8. Massinissa recenti super cetera victoria terribilis) hoc quidem loco minus etiam ferri potest, quod *super ag-*

Digitized by Google

gerem, quod mox sequitur, proprio sensu dictum est. Quare hæc quidem verba *superque eas* quam maxime suspecta sunt et facile addi poterant ab iis, qui sequentia *super aggerem* male interpretati, ad singula orationis membra inter se iungenda tali additamento opus esse statuebant. Ceterum de re ipsa cfr. Liv. XXI. 61. 10. Cæs. B. Gall. II. 30 et Veget. IV. 15. *ab perfugis* Bas. *comburunt* Bas. sed in margine: *corrumpunt.*

c. 77. *adversum quem — iugurtini* — Bas. *semperque* Bas. quod errore librarii factum, qui hæc ad protasin referenda censuit, et *manserunt*, *cuncta* correxit, nam *mansere et* poni non potuit, si apodosin primum a *cuncta* incipere statuimus. *nave* idem et Par. c. x. z. *gnave* Par. b. z. m. pr. *Emissæ* omnes libri credo. Nihilo minus tamen nonnulli editores scripserunt *et missæ* quod *emitti* dici non possit, nisi de loco clauso vel obsesso, sed recte alii laudarunt *emittere exercitum in Asiam* Nep. Ages. 2. et *educere*, *egredi* et *expeditio* compararunt, sed ipsum verbum *emittere* apud Livium tam frequens est, ut iure mireris, hoc hominem doctum fugere potuisse cfr. Liv. IV. 18. VI. 13. IX. 36. XXXII. 27. XXXIII. 36. XXXIV. 14. et Drakenborch. ad Liv. XXVIII. 14. 11.

c. 78. *discordias civilis — proxuma* Bas. *pares natura, impares magnitudine* ut Salustius dicit. Serv. ad Aen. 1, 111. *alta alia in tempestate* ita omnes fere libri, uno Bern. I. excepto, eamque lectionem hoc loco retinuerunt nonnulli interpretes, diversis illi rationibus ducti. Orellius enim *alia* pro ablativo habuit, et *alia in tempestate* iunxit; eaque verbis *si fors tulit* respondere alius statuit. Sed recte hanc explicationem explosit homo doctus, quippe qui verba *uti fors tulit* ad duo orationis membra pertinere intellexit, quod auctor huius mutationis causam ad casum referat. Iam facile est ad intelligendum, si aliis in locis alterum *alia* sæpius omissum esse statuimus, hoc nostro loco multo etiam facilius fieri potuisse. quodsi autem hoc loco auctori illud omittere licuit, idem etiam aliis locis sibi permittere potuisse videtur. Et primum quidem quod Orellius *alia* pro ablativo habuit, dormitasse videtur; quæ enim alia illa tempestas est? *alia* igitur sine dubio pro nominativo habendum. Iam cum *cetera* antecesserit, non negaverim alterum *alia* minus fuisse necessarium, ut Catil. 56. *ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii præacutas sudes portabant.* scili-

cet *cetera* cum omnia reliqua complectatur, videtur novam divisionem excludere. Sed cum loca a litore remota intelligantur, eorum non una facies erat; pars enim alta erat, pars vadosa, idque maxime tempestate sæviente fiebat, quo quidem tempore arena, limus, saxa ab alio loco in alium trahebantur. Si igitur ad *cetera* omnia referantur, ne poni quidem semel debuit *alia*, sed dicendum erat: „cetera, uti fors tulit, modo vadosa sunt, ea enim vis tempestatis est.“ Sed pro *modo — modo* — aut accuratior temporis definitio inferri potuit: *alio tempore, alio*, aut ipsorum locorum diversa natura significatur, idque *alia — alia* exprimit. quod vocabulum si semel posueris, claudicare videtur oratio. *Syrtes ab tractu nominatæ*, quæ verba non nemini suspecta videbantur, confirmat Isidorus XIII. 18. 6. *Syrtes autem Salustius a tractu vocari dicit*; quamquam audacior criticus etiam huic rei remedium invenerit et glossam ante Isidorum receptam dixerit. *legum cultusque* optimi et longe plurimi libri; *leges* deteriores, quæ lectio ex illo librariorum studio orta, vocabulorum, quæ iuxta posita sunt, terminationes æquandi; quæ multarum depravationum causa fuit. Ceterum si consilium scriptoris fuisset leges et cultus seiungere, vix putaveris *cultusque* dixisse, sed *leges et quæ ad cultum pertinent.*

c. 79. Scripturæ cod. Basiliensis: *negocia — cirenenses — finis eorum — nomen philenes — cohortus harenam — quos finis — aliterque illis. — pleræque Africæ* omnes fere libri. *pleraque Africa* Arrusianus Messus p. 237. ed. Lind. cuius auctoritate etiam hæc lectio nuper recepta est. Plus enim interpretes illi grammatico quam constanti codicum testimonio tribuerunt. Sed iam sæpius vidimus, quanta sit inconsiderantia illius grammatici in laudandis Salustii locis, ita ut recte mireris, eius iudicium ad mutandam Salustii orationem valuisse. Ceterum *philenes* quod primo loco in multis libris est, (sed non in Par. b c x z.) eo minus auctoritatis habet, quod infra in omnibus *Philænis* scriptum est. *aliterque* pro *aliique* nil nisi scripturæ mendum est.

c. 80. *quis adiutoribus*, spl. *bus* Bas. *incepto belli* Bas. Par. b c x z. Ein. Leid. et multi alii libri. *adversus* Bas. *bellum incipiat* idem. hoc in *suscipiat* corrupit editor. *bello* Tur. et fere deteriores. illud errore librariorum ortum, qui cum de substantivo cogitarent, genitivum *belli* induxerunt; nam quod alii suspicati sunt, insolentius

Digitized by Google

aliquod vocabulum e. gr. *inceptui* a manu Sallustii fuisse, idque illi corruptioni ansam præbuisse, id mihi quidem parum probabile videtur. *Iugurthæ filia bocchi* Bas. Par. c x et viginti septem alii libri, quod me invito non expressum est. *boccho* Ein. *boco* Par. b z. Tur. quam quidem lectionem et ipse olim in maiore editione defenderam, quippe quam verborum ordo maxime commendare videbatur; accessit Nonii testimonium, qui p. 241 edit. nostræ (p. 353 Merc.) et ipse *Boccho* confirmat. Sed quantum his quidem grammaticorum iudiciis tribuendum sit, non uno loco expositum est. Accedunt enim ad cod. Bas. reliquorumque auctoritatem firmandam inprimis testimonia historicorum, qui Bocchum non generum sed socerum Iugurthæ fuisse narrant; Flor. III. 1. 17. fraudulentissimus regum fraude soceri sui in insidias deductus est. cfr. Plutarch V. Sullæ c. 3. *ὁ δὲ Βόκχος ἐτύγχανε μὲν ἔτι γε πάλαι γαμβρὸν ὄντα μισῶν καὶ φοβούμενος τὸν Ἰουγούρθαν* et Mar. c. 10. *Βόκχος ἦν πενθερὸς Ἰουγούρθα.* Etsi fuerunt, qui non solum de significatione vocabuli *πενθερός* dubitarent sed etiam statuerent Sallustium aut errore aut alia de causa a ceteris scriptoribus dissentire et maxime quidem verborum positionis causa, de qua supra, et quod ipsa sententiarum vis id postulare videbatur. Hoc enim per se patet, Iugurthæ filiam Boccho nuptam multo plus ad mariti animum movendum valuisse quam si Bocchi filia Iugurthæ nupta fuisse dicitur. sed non hoc consilio Sallustius illius matrimonii mentionem fecisse videtur; sed potius id egit, ut iam ante certam quandam necessitudinem inter utrumque regem intercessisse doceret, unde aliquis factum esse putaret, ut Iugurtha facilius etiam Bocchum in partes suas traheret. Cui quidem rei ne quis nimium tribueret, de matrimoniis Numidarum pauca adiecit. Fuit etiam qui loco Nonii p. 143 confirmatus coniecerit: *Iugurtha filiæ Bocchi nupserat*, quod ad verborum ordinem satis probabile, nimis contra vulgarem usum pugnat. sed recte idem animadvertit, Sallustium dicere noluisse: *in matrimonium duxit*, ne videretur concubinatum Afrorum cum iusto matrimonio Romano commutare. *nullam pro socia obtinet* Bas. Par. Ein. Tur. Leidd. omnes fere libri. *nulla* Med. 10. Ven. I. m. 1. (*nulla* 2.) Guelf 11. — Carrio, Edit. Pompon. Læti, Laud. 3. quam quidem lectionem omnes arripuerunt, ut Sallustii orationem hac insolentiore structura exornarent. Sed omnia loca, quæ laudata sunt, aliena dixeris cfr. Liv. XXI, 46, 10: *quod et plu-*

res tradidere et fama obtinet. cuius loci et structura et interpretatio admodum incerta est. Liv. I. 4. 6. *tenet fama lupam ad puerilem vagitum cursum flexisse.* Auctor Ep. ad Cæs. sen. de ord. re. p. *pro vero antea obtinebat.* iam *tenere* sæpius idem esse quod *durare* pluribus exemplis Duker. ad Liv. IV. 7. 7. confirmavit. Sed ex scriptoribus aureæ ætatis solus locus Varronis paulo propius accedit de R. R. II. 1. „*Non ipsos quoque fuisse pastores obtinebit, quod Parilibus potissimum condidere urbem?*“ Sed in Pandectis *obtinere* sæpius idem est quod *prævalere:* Paul. L. XLII. tit. 1. leg. 36. Et si dissentirent, sententia plurium obtineret. Ulpian. Dig. I. 16. 7. ferias secundum mores et consuetudinem, quæ retro obtinuit, dare. Petron. Satyr. c. 2. Simulque corruptæ eloquentiæ regula stetit et obtinuit. Ulpian Dig. I. 16. 13. hodie obtinuit, indifferenter quæstores creari tam patricios quam plebeios. Quibus ex locis intelligitur, *obtinere* ut Græcum *νικᾶν* non solum esse *firmare et comprobare*, sed etiam *valere.* Sed Salustius *obtinere* neque pro verbo impersonali usus est, neque absolute posuit; supra enim cap. 17, 7. dixit: *fama, quæ plerosque obtinet.* quare hunc in locum contra omnium fere codicum auctoritatem novam dicendi formulam inducere, neque considerati hominis neque critici religiosi mihi esse videtur. Tum quod sunt, qui negent: *nullam pro socia obtinet* dici potuisse, quod in antecedente propositione *animus* subiectum esset, eos ad Hor. Carm. IV. 9. 34 amandatos volo, ubi *animus* non solum *vindex avaræ fraudis*, sed etiam *consul non unius anni* audit. ad quem locum cfr. Bentleius, qui plurima collegit. Ceterum in Bas. primitus fuerat *obtinent*, quod fortasse rectius.

c. 81. *lubidine imperitandi — quis omnia regna advorsa sunt — Q. Metellus — urbe precium —* (*operæ* spl. ad minimum duobus sæculis post scriptum) *si dux Romanus* Bas. *ne mox agitando* idem, *moras* spl. m. sec. ut supra. iam *lubidine* quod confirmat Par. z. *(lubidini* c x.) errore librarii ortum, qui hoc vocabulum non cum *causam* coniunxit sed pro ablativo causali, qui dicitur, habuit. *advorsa sunt.* si quis est, qui hoc loco transitum ad orationem rectam fieri statuat et supra c. 17. in auxilium vocet, ubi in Bas. itidem *uti permixti sunt* legitur, eum potius ad cap. 4. *adeptus sim* ablegaverim, eumque monuerim ut accuratius examinet, quam diversa talium locorum sit ratio. cfr. Tac. Annal. II. 12. *regem Persæ* Bas. Par. cx. *Persem* z.

Digitized by Google

nuper inverso ordine *Persea regem* editum est, ratione, ut videtur, nulla. *Q. Metellus* Par. b. c. x (in z *minus metellus* — *Q* spl.) prænomen ab aliena manu esse adscriptum nemo non intelligit, sed simul id manifestum est, unum omnium horum librorum fontem esse, unde illi expressi sint et plus minusve recesserint. id quod etiam sequentia confirmant, ubi et *dux* et *mox* pro *moras* et in z. et in b. c. x leguntur. *capta urbe operæ pretium fore aut, si dux Romanus* hæc plurimorum codd. lectio. Sed vereor ne dum summa cum religione omnium fere librorum lectiones expresserim, ipsi Salustio fortasse alienum vocabulum obtruserim. *operæ* apud Tacitum omitti vel potius *pretium* absolute poni, nemo est, qui nesciat. Similia sunt Hist. III. 8. *in Veronensibus pretium fuit; exemplo opibusque partes iurere.* cfr. Annal. I. 57. *Germanico pretium fuit convertere;* Ann. II. 35. *res eo anno prolatas haud referrem ni pretium foret Cn. Pisonis et Asinii Galli super eo negotio diversas sententias noscere.* De qua quidem dicendi ratione qui ad Wolfii auctoritatem confugiunt, egregie falluntur; quippe qui hanc quidem rem levissime tractaverit. Primum enim *operæ* in hac dicendi ratione non utique supplendum est, quod etiam alia substantiva adduntur: *pretium cædis erat.* h. 3. 31. *pretium laboris peti* Ann. XV. 12. *in pretium belli cedere* h. 1. 11. Ut igitur supra *in Veronensibus pretium fuit* nil aliud significat, quam urbis illius eæ opes fuere, ut illam rebus suis plurimum conducere dux arbitraretur, ita apud Salustium verba *capta urbe pretium fore* exprimunt: Iugurtham hoc statuisse, si urbs capta foret, se satis magnum præmium esse consecuturum. Facile igitur intelligitur nihil impedimenti in hac re inesse, quod accusativus subiecti hoc loco desideretur. quippe quo non opus est; nam pretium fore idem est quod *præmium fore.* – *dux romanus* multi libri et fere meliores, alii ut Leid. g. h. l. *Romanus dux* quod dubitationem integritatis iniicit et glossam sapere videtur. Iam gentilia *Numida, Maurus, Pœnus, Romanus* sæpissime non modo pro populo sed etiam pro singulis poni non est, quod moneamus. Sed huius loci non plane eadem videtur esse ratio; non enim scriptor ipse loquitur, qui haud dubie nomine Metelli usus fuisset; sed cum ipsum Iugurtham loquentem vel cogitantem inducat, *Romanus* satis commode dicitur, neque *dux* superfluum debet videri. Parum enim fuit probabile, ut si tantum legatus Cirtam missus foret, prœlio de-

cerneretur, quia nonnisi ipsius imperatoris auspiciis tanta res geri posset.

Ceterum omnes adhuc editores *mox* quod in multis libris solum exstat, deleverunt et *moras* reposuerunt, sed quæritur annon recte utrumque ponatur? Certe facile ex simili initio duorum vocabulorum explicari potest, quomodo fieri potuerit, ut alterum utique excideret. Utrumque retinuit Tur. et etiam Bas. m. 2 restituit. Quare vereor, ne Salustii oratio uno vocabulo truncato, pauperiori vena fluat. Nam ad sensum illud vocabulum non esse superfluum, immo satis aptum atque concinnum, facile patet. quæ enim Mauri mobilitas ingenii fuit, periculum erat, ne simulac locus ei datus esset deliberationis hac de re habendæ, consilium mutaret. quæ quidem animi varietas optime et particula *mox* et *moras agitando* exprimitur.

c. 82. *cirtha* Bas. Par. b. *operitur* idem. Ein. *opperitur* Par. z. Bas. — *quibus rebus* Bas. — *aut honestum* Par. cx. Bas. — *lacrumas* Par. xz. Bas. — *vortebant.* Par. b x z. Bas.

Quibus rebus Bas. *quis* cuius libri auctoritate præter Guelph. 3. receptum sit, nescio. *supra bonum aut honestum* præter Paris a. c. b. c. x. et Bas. etiam Leid. Ein. Tur. (de Par. z nil compertum habeo). sed etiam multi alii libri. vide Cortium et Edit. mai. Iam quidem satis constat, in optimis libris *atque* et *aut* confundi; cuius rei multa exempla laudantur. Virg. Georg III. 329 „ad puteos aut alta greges ad stagna iubeto“ ubi alii *atque;* Sal. Cat. xxxi. dissimulandi causa aut sui expurgandi; ubi var. lect. *atque.* c. 39. *imperium atque libertatem,* ubi alii *aut.* c. 51. qui reges *atque* populi (ubi nonnulli libri *aut)* c. 52. *si divis aut hominibus umquam ullis pepercit.* c. 59. *tribunus aut præfectus.* Iug. c. 53. *collis aut noctis auxilio.* quæ quidem loca ut librariis ansam præbuerunt sæpius *aut* et *atque* inter se confundendi, ita testimonio sunt, duorum illorum verborum eam esse naturam, ut facile inter se commutari et aliquoties promiscue poni possint. et primo quidem loco *aut* recte positum esse, vix aliquis negaverit, altero commode poni potuisse per se clarum. sed in *bonum atque honestum* hoc fieri posse negant, quippe quæ iungantur non opponantur. ita supra c. 5. *amicitia Mas. bona atque honesta nobis permansit.* c. 7. *quibus divitiæ bono honestoque potiores erant.* Hist. III. Or. Macri: *si vera et honesta flagitium superaverit.* cfr. infra c. 85. *boni honestique vitam exigerent.* supra c. 29.

Digitized by Google

a bono honestoque in pravum abstractus est. nostro loco variant libri *inter bonum atque, et, ac, aut,* quæ omnia poni poterant. *aut* enim non semper opponitur sed orationem variat et synonyma iungit cfr. Hand. Tursellinus I. p. 554. *bonum aut honestum* igitur non plane idem significat, quod *bonum atque honestum.* ut enim iam *bonum atque honestum* notiones magis seiungit quam *bonum et* vel *bonum honestumque,* ita *aut* magis etiam illas dirimit; quod quidem commode fieri potest, cum *bonum* propius ad notionem utilitatis, *honestum* ad decoris vel honestatis accedat. Non solum igitur *supra bonum* sed etiam *supra honestum perculsus est.*

c. 83. *hostis P. R. li. ni* spl. Par. z. Bas. *amiciciæque* idem. *et quamquam* idem. *ægerrume* Par. z. *florentis* Bas. Par. z. *nunciis* Bas. Pro *hostis populi Romani* quod et Bas. et Par. z. tuentur, alii *populo Romano;* quod non minus bene Latinum, cfr. supra c. 10. *si tuis hostis fueris* et c. 14. *qui vobis h. fuit.* cfr. etiam c. 7. *qui tunc Romanis imperator fuit.* Sed hæc omnia optimorum librorum testimonia non evertunt; immo hostis *populi fieret* etiam a Latinitate magis commendatur, si, quod interpres quidam voluit, dativus non ab *hostis* sed a verbo *esse* penderet. *et quamquam* ita Bas. et Par. z. ab omnibus fere editoribus *et* omissum; quod quam facile post *esset* excidere potuerit, nemo non intelligit. *et* bene coniungit duo orationis membra: *quæ potior bello esset* et *quanquam confideret.*

c. 84. *spolia cæpisse — præmia habere — ambiendo — advorsus erat — plebe miliciam volente — volgi — lubido — volt* — Bas. de mendis scripturæ *cæpisse* et *præmia* pro *prima* plura addere non opus. pro *plebe miliciam volente* Par. z. recte: *plebi militia volenti* sed primitus *plebe* eamque causam corruptelæ fuisse puto. quam quidem formam cum librarii pro ablativo haberent *volenti* quod est in Par. z. Ein. Leid. in *volente* corruperunt et accusativum *militiam* adiecerunt. veram lectionem confirmat Priscian. ed. Kr. XVIII. 20. p. 181. qui hanc structuram a Græcis repetit, et Demosthenem comparat „ὕστερον, ἂν βουλομένοις ᾖ τούτοις ἀκούειν, μνησθήσομαι. Sallustius in Iugurtino: Neque plebi militia volenti putabatur."

c. 85. *hisdem artibus* Bas. Par. c. x. Tur. *isdem* Par. z. Ein. Vat. *suppliciis* Ein. *supplicis e* spl. Par. *supplices* Bas. *dehinc* Ein. *dein* Bas. *deinde* nuper editum. *plurisq.* Bas. Par. x. *pluris est* Tur. Ein. *pluris univ.* Par. z. *præfectura* Bas. m. 2. et Par. x. qui fere in omnibus

consentiunt. *maxumo vestro beneficio* ita Bas. Par. Vat. *max. b. v.* nuper editum. *et virtute* ab eodem editore per errorem, ut videtur expressum. *nam bene — mea facta in rem publicam procedunt* Vat. quod Latine quidem dici potest sed alio sensu. *cedere* et *concedere* sæpius et apud Tacitum et supra apud Salustium eo sensu ponuntur, ut fere idem sit quod *pervenire, transire, redire;* sed hoc loco scriptor de prospero successu et eventu loquitur. *num mutare id* Bas. Par. x. alii *id mutari*, quod utrumque recte dicitur. sed infinitivus activi magis ad consilium populi, inf. passivi ad ipsius rei utilitatem refertur. Iam cum *reputate cum animis vestris* antecesserit, facile est ad intelligendum multo præstantiorem esse infinitivum activi, quem liber optimus exhibeat. *aut multarum imaginum* de vi particulæ vide supra; quæ hic locum suum multo melius tuetur, quod et *vetus prosapia* et *multæ imagines* per se sunt diversa et verbis *nullius stipendii* additis magis etiam seiunguntur. *Quem vos imperatorem iussistis* Vat. quæ quidem formula sollemnis cfr. Liv. I. 22. 17. X. 11; IX. 20. sed hoc loco propter sequentia non admittenda; quis enim hoc ferat: *quem vos imperatorem iussistis, is imperatorem alium quærat?* multo igitur probabilius est, librarios ex insolentiore illa dicendi ratione *imperare* i. e. *cum imperio esse iuss.* — finxisse *imperatorem*, quam contrarium. eadem ratio est pronominis *sibi*, quod plurimi libri addunt, sed Basiliensis omittit et Paris. z. punctis notavit. Nemo enim hoc commode dici potuisse negaverit, sed probabilius etiam est, talia a librariis addi quam omitti, et hanc ipsam ob rem, quod hæc sponte se offerunt, haud facile reiiciuntur. Ceterum tractum litterarum accuratius persequenti admodum fit probabile, ipsum illud pronomen inde ortum esse, quod ex vocabulis *is imp.* eadem syllaba repetita facile *sibi* oriri potuit. *et acta maiorum* Bas. quod longe plurimi libri male omittunt, sed optime Græca Romanis opponit. *ex matre Albini* Vat. *faciunt* libri deteriores Sen. 1. Guelf. 3. Ven. 2. et Par. z. m. pr. *faciant* Bas. Vat. quod multo præstantius. Altera illa lectio fluxit ex errore, quod totam dictionem *iure me despiciunt* in *faciunt* repetitam esse volebant, sed *faciant idem* tantum ad *despiciunt* referendum est. *Huiusce rei ego inopiam patior* Bas. Par. et omnes libri præter Vaticanum, qui *fateor* exhibet; præstantissima lectio, quam et ipse olim receperam et nonnisi codicum Bas. et Par. z. auctoritate

Digitized by Google

permotus reliqui. Primum enim recte statuitur, *fateor* animi libertate, qua Marius excelluit, multo esse dignius. Tum propter *patitur*, quod proxime antecedit, *fateor* multo est concinnius. Præterea *fateor* melius respondet sequentibus, *meamet facta mihi dicere licet*, quæ non modo est confessio sed professio. Quæ quidem omnia ita comparata sunt, ut iure aliquis miretur, me Vaticani cod. lectionem non recepisse; sed cum hanc mihi legem imposuissem, ut a scriptura codd. Basiliensis et Parisini non nisi necessitate coactus recederem, et in reliquis Vaticanus illorum librorum dignitatem non exæquet, lectionem *patior* exprimendam curavi, quæ non contemnenda est, quippe de cuius veritate nemo dubitaverit, antequam Vaticani codicis varietatem publici iuris fecerim. Nam quæ contra Latinitatem nuper disputata sunt, ad veritatem huius dictionis infirmandam nil valent. Estque haud dubie hæc varietas ex antiquissimis grammaticorum scholis petita, qui Salustii orationem magis ad præceptam quandam de eius orationis proprietate opinionem quam ad antiquissimorum librorum fidem conformabant. Quare nemo miretur, quod etiam ex recentioribus criticis aliquis in repetitione vocabuli *patior* nescio quam elegantiam et stili proprietatem sibi invenisse visus est. *pœnitendum est.* spl. eadem manu *sit* Bas. *advorso pectore* spl. *corpore* idem. *sed quæ ego meis plurimis* Bas. *egomet* Vatic. utra lectio præstantior sit, dubitari non potest. *non sunt composita mea verba* Bas. Par. x. ita scribendum fuit, *verba mea* typothetæ incuria expressum. *nihil profuerant* Bas. Par. z. quod quidem tempus melius imperfecto respondet. *præsidia agitare* Bas. *præsidium* Vatic. utrumque recte dicitur, neque negandum est, facilius *præsidia* quam *præsidium* librariorum errore oriri potuisse. *humum* spl. *humi* eadem manu Bas. *His ergo præceptis* Bas. Tur. fortasse etiam alii libri; ad vim sententiæ multo gravius. *ego* reliqui. *vilicum* Bas. m. 1. *l* spl. m. 2. adpinxit. *sudorem et alia talia* Vatic. *pulverem* om. item in sequentibus *viri* omisit et *turpissumi bonorum* scripsit. *atque superbiam. atque* editor omisit, quem fugisse videtur, quantam vim hæc particula addat: quippe hoc additamento (*atque sup.*) Marius Metelli mores perstringit. *adnitimini et capessite.* omisso *mecum* Bas. quare hoc vocabulum suspectum habeo. *aut in prælio, aut* quod adhuc in editionibus omissum est, utique reponendum; tuentur enim illud et multi alii libri et Vaticanus atque Basiliensis. Par. b. x. *ignavia nemo* Bas. *nemo ignavia* Par. Vat.

c. 86. *navis onerat* Bas. Par. c. x. z. sed in hoc *e* spl. *neque classibus* Bas. Par. x. sed in Bas. *ex* quod in fine lineæ positum erat, erasum esse videtur. liberum enim spatium relictum. *sua cara* Bas. Par. b. x. c. Tur. m. pr. sed *curæ* Par. z. Ein. Leidd. b. c. d. e. g. h. Tur. m. 2. *tollerare* Par. z.

c. 87. *Ceterum alia levia aliis locis* ita omnes codd. ut videtur, verba transposuit Ciacconius: *levia, alia aliis;* quæ quidem res documento est, id quod multis aliis rebus confirmatur, omnes Salustii codices, qui Catilinam et Iugurtham complectuntur, ex uno exemplo esse expressos. *fugientis* Par. b. c. x. *difficilis* Par. c. z. *hostis* Par. iidem. *hostes* Bas. spl. *vl. is.* etiam *fugientis* Bas. m. pr. scripsisse videtur.

c. 88. Variantt. cod. Bas. *excipitur* spl. *vl. accipitur — utriusque — advorsum — aut prelio certaretur — boccus — ad eum nuntios — amiciciam — gravior accederet — certaretur* etiam Par. c. habet, quod vitium inde ortum quod librarius verbi formam proxime antecedentibus æquavit. de ordine verborum *ad eum nuntios* quem nunc primum in Bas. inveni, dubito. vulgatus enim mihi videtur esse præstantior. *gravior accederet* ita etiam Par. b c x et multi alii libri; *accideret* Naz. Fabr. 1. Franc. Berol. 1. de Par. z dubium. cfr. supra c. 14. *quo infelix accedam.* et c. 46. *quocunque accederent* c. 20. *pleraque loca hostiliter cum equitatu accedit.* c. 113 *eodem Numida — accedit.* Altera lectio *acciderit*, quam olim Cortio auctore retinueram, primum non satis certa neque codicum testimoniis satis firmata; tum iure dubitatum est, num satis commode de personis dici posset. quod enim *tela, clamor, sonitus, strepitus accidere* dicuntur, inde non sequitur, hoc etiam ad personas posse transferri. Sed quomodo nuper aliquis *accedere* defendit, idque significare voluit, *quo improvisus gravior suas copias Iugurthæ adiungeret* id a vero tam alienum est, ut mireris hoc alicui in mentem venire potuisse; præterea satis refellitur hæc interpretatio locis supra ex c. 20 et 46 laudatis, neque dubitari potest, quin *accedere* hoc loco de hostili impetu intelligendum sit. cfr. infra c. 107.

c. 89. *avortere — hercules libris — ad vorsum — ægentia aquæ — pociundi — cæperat — affrica — lubidini* Bas. *lybiis* spl. *lybis* Par. z. *libis* Par. b. *oppidum* spl. *o* Par. z. *quarum vis* Tur. item Par. z. sed *o* spl. contra Bas. *quorum* sed *a* recentiore m. spl. *quæ procul — age-*

Digitized by Google

bant Tur. *inritamenta* Par. z. de quibus lectionibus hæc animadvertenda. *Libys* in nullo libro videtur esse expressum, sed vel sine libris emendandum. In *serpens*, quod satis constat, genus fluctuat; poetæ fere masculino, pedestris orationis scriptores feminino utuntur. Sed nostro loco cum Bas. pr. m. *quorum* exhibeat, et Par. z. eandem formam per emendationem, masculinum pro præstantiore forma habendum. *agebant* librariorum inventum esse videtur, qui asperitatem structuræ plurali numero leniri statuebant; eadem de causa lectio multorum librorum *agebatur* orta.

c. 90. *ad æstatis extremum* Par. b. *manilium* Par. z. sed emendatum. *tanaim* Bas. Sed *Tanam* longe plurimi; sed si verum est, quod Mannertus statuit, haud procul a Syrti minore etiamnum rivulum esse nomine *Thaini*, fortasse scriptura cod. Bas. quam plurimi libri confirmant, non contemnenda est.

c. 91. *item turmas distribuerat — effecta utrium — ocasu — proxuma — ab casa — opperitur — cohercitum* Bas. Initio igitur *æqualiter* in Bas. omissum est, cuius rei vix ullam satis probabilem causam afferas quam librarii negligentiam, nisi quis est qui hanc particulam ex Catil. 56 repetitam statuat, ubi eadem verba leguntur. ibi enim cum *per centurias et turmas* non additum esset, *æqualiter* utique ponendum erat, nostro loco non ita. *simul inopiam.* Bas. Par. b c x. vulgo *et* ante *inop.* positum, quod non modo non necessarium, sed etiam a Salustiana oratione alienum, ubi sæpissime in similium particularum compositione variatur. cfr. Catil 28. *egestate simul ac dolore*, et sæpius *simul* pro *et*, *ac*, *atque* ponitur. cfr. Catil. 17. 19. 20. Iug. 4. contra verborum ordo *maxuma vis effecta utrium* nimis a vulgari recedit, quam ut librarii inventum esse videatur.

c. 92. *peregit Marius — cælum — bene ea res ubi evenit — plura propter Caps. — comburit* in marg. *vl. corrumpit — et altis — præcisæ — cum hæ paulo — neque opere* Bas. Initio verbum multi libri omittunt Fabr. 1. Guelf. 1. Sen. 2. Heuss. Nazar. Commelin. alii *egit*; sic Vin. 1. Vratis. 1. *peragit* Guelf. 2. *fecit*, *gessit* alii. sed *peregit* longe plurimi et ex nostris Par. b c x z. Unde varia interpretum iudicia. Gruterus coniecit: *Patrata tanta re sine ullo suorum incommodo.* Wassius: *incommodo patravit*; quod verbum interpretatione obscuratum arbitrabatur; Cortius: *post tantam rem Marius sine ullo suorum incommodo.* Sed cum *patravit* in Pal. 2. inter lineas scriptum sit,

omnes fere interpretes Wassii coniecturam receperunt. Et dixerit aliquis, satis probabilem illam esse coniecturam, quod monachi illud verbum, quod teste Quintiliano VIII. 3. 44 mala consuetudine in obscenum intellectum detortum erat, aut deleverunt aut alio verbo expresserunt. Sed cur illi idem intactum reliquerunt Catil. 18. 33. 56. I. 22. 70. 88.? Qua re concidit illa coniectura. Neque quod aliquis animadvertit, *peragere* nullo alio loco apud Sallustium legi, nobis erit impedimento, quo minus lectionem optimorum librorum recipiamus. Librariorum incuria verbum exciderat, et ab alio aliter restitutum erat, id quod paulo infra iterum in participio *deserta* factum erat. *bene ea res ubi evenit* verborum positio insolentior, quam cum liber optimus exhibeat, exprimendam curavi. Cuius quidem collocationis praeclara viri docti industria haec exempla collegit: Statilius et Gabinius ut cum magna manu duodecim etc. Catil. 43. deque ea re postulant ut referatur 48. fortasse etiam c. 1. vitam silentio ne transeant. Iug. 25. de Iugurtha interea uti consuleretur. 29 atque in deditionem uti acciperetur. 65 petenti more regum uti sella iuxta poneretur. 91. et ex coriis utres uti fierent. *ne* c. 31. postulare patres conscripti ne quid de se temere crederent 58. Nam multitudo hostium ne circumvenire queat. I. 13 postremo quae possint largiundo comparare ne cunctentur. *quo*. I. 94 ponderis gratia simul et offensa quo levius streperent. *quia* C. 11. huic quia bonae artes desunt. *quod* C. 9. in pace vero quod beneficiis quam metu imperium agitabant. *cum* C. 22. inde cum post execrationem omnes degustassent. 29. ea cum Ciceroni nuntiarentur. 35. plura cum scribere vellem. *si*. I. 42. sed de studiis partium et omnis civitatis moribus si parem disserere. 64. dimidia pars exercitus si sibi permitteretur. *nisi*. C. 52. Hoc nisi provideris ne accidat. *ubi*. c. 36. haec ubi Romae comperta sunt cfr. 40. 59. *postquam* I. 36. atque paulatim temptando postquam oportunos sibi cognovit. *et frumenti*. Bas. *et* a librariis interpositum, quod *satis magna vis* iunxerunt. *et altis* Bas. mendo scripturae pro *aliis* — *praecisae* ita quoque Paris. c x z. corruptum propter sequens *vineae*. — *Cum eae* Leid. L. Paris. z. m. 2 *cum paulo* Tur. *ex plano* Leid. I. Guelf. 3. 10. *paulum* Cortius. poterat corrigi *eae*, sed *paulo*, quod non nemini dubium esse videbatur, confirmatur usu loquendi. cfr. Caes. B. G. VII. 45. Legionem — paulo progressam inferiore constituit loco.

Digitized by Google

vi. 26. magnitudine paulo antecedunt. Cic. Parad. 3. fin. histrio si paulo se movet extra numerum. *neque opere—pro* per negligentiam librarii omisso.

c. 93. *advorsum prœliantibus* Bas. et omnes fere libri meliores; in deterioribus *avorsum* legitur, quod omnes interpretes cupide arripuerunt, quod Ligus talia nonnisi in aversa parte castelli audere potuerit. Sed primum structura offendit, erat enim dicendum *avorsum a prœliantibus*; tum lectione bonorum librorum Liguris audacia magis declaratur; denique si verba *non procul* recte interpretamur, vix aliquis dixerit, nullam Liguri tanti facinoris suscipiendi facultatem fuisse. *cupido difficilia faciundi animum vortit* Bas. Paris. b c x z (in Par z m. 1. *advortit*) et plurimi libri; aliæ varietates sunt: *accendit, intendit, invadit, invasit, cepit, attendit* omnia perversa. pro *cupido* pauci libri *cupidus* vel *cupidi*, lectiones negligentia vel falsa interpretatione librariorum ortæ. Accedit quod Gellius ix. 12. Sallustium alicubi dixisse narrat, *more humanæ cupidinis ignara visendi* et quod Nonius p. 129 ed. Merc. habet: „Sallustius in Iugurthino bello: *amore humanæ cupiditatis ignara visendi*“ — unde fuerunt, qui statuerent, hæc nostro loco esse reponenda. sed quam infirma grammaticorum sit auctoritas ad lectiones bonorum librorum corrigendas, iam sæpius vidimus. Omnia enim bene se habent; sensus enim illorum verborum est: cupido difficilia faciundi effecit, ut Ligus mutata mente novum consilium caperet. Adhuc enim in cocleis legendis occupatus, magnum aliquod audere constituit. cfr. Virg. Aen. 1. 241. quæ te genitor sententia vertit? et x. 34. Cur nunc tua puisquam vertere iussa potest? *deinde inflexa* Bas. et boni libri; *dein flexa* ceteri; cum pro *deinde* a nonnullis *dein* scriptum esset, prima syllaba vocis sequentis excidit. *in castelli planitiem pervenit* Bas. Par. b c x z. sed in b spl. *vel perscripsit vel investigavit.* alii *pernotat.* sed *perscripsit* etiam Tur. *perscribit* Leid L. denique fuit, qui coniiceret: *in castelli planitiem perrepsit. perscribit* vel *perscripsit* a compluribus interpretibus et a me ipso ut verbum insolentius receptum, sed iam mutata sententia ad optimorum librorum lectionem reverto, quæ ideo a librariis corrupta esse videtur, quod paulo ante scriptor narraverat, *prope ad summum montis egressus est.* Sed quis est, qui omnium errorum causas indagare possit? Hoc quidem non dubium est, finem Iugurthæ multo magis interpo-

lationibus esse corruptum quam initium. *eodem regreditur* Bas. Par. b c x z. (in z spl.) *eadem* quod etiam boni libri tuentur, unus Rivii Tur. m. 2. et plurimi Leidenses, certe necessarium non est. si enim Ligus in eundem locum descendit, unde exierat, aliter fieri non potuit, quam ut eadem fere via rediret. *ascenderat* Bas. et omnes fere libri. *escenderat* Paris. z. sed spl. *a.* iterum paulo infra *descenderat* Tur. Leid. m. sed etiam hoc loco *ascenderat* optimorum librorum auctoritate satis defenditur. *arrectus est* Bas. et recte quidem. *quatuor — proxumum* idem.

c. 94. *qui centuriis præerant* Bas. et plurimi libri; *centurierant* sed *is* et *præ* spl. Paris. z. *qui ex centuriis præerant.* Naz. Commel. alii. *qui ascensuri erant* Pal. 5. Guelf. 6. Sen. 2. Erl. Præterea aliquis coniecit: *qui escensuri erant.* Sed neque hoc loco ulla causa satis idonea, cur a lectione optimorum librorum recedamus. Vix enim aliquis existimaverit, tantum quatuor illos centuriones cum Ligure missos fuisse, quippe pauci homines præsidio vix esse potuissent, et commemorantur infra milites, quod auctor non dixisset, nisi alios quam centuriones significare voluisset. *nisui* Bas. Paris. b. x. z. *nisu* Eccard. Guelf. 3. 4. 6. Leid. E. Tur. Paris. c. *advorsum hostis* Bas. *nunciis* idem. *vineas regressus,* vitio ex repetitione litteræ prioris (*s* enim et *r* in codd. simillimæ sunt) orto. *Romanis omnibus* Bas. et fortasse multi alii libri, certe Havercamp. et Leidenses ut videtur. *Omnibus Rom. et hostibus* vulgo. *quemquam hominum* Bas. falso pro *omnium* inde ortum, quod *h* sæpius præscribi solet nominibus, quæ a vocali incipiunt.

c. 95. *quod uti* Bas. Par. b. *quos* Guelf. 3. Par. x. *quem uti* Par. d. *qui* reliqui, etiam Par. z. mendo scripturæ. *iam prope ex.* Bas. *prope iam* vulgo. *et Latinis* Bas. *atque* quod vulgo editur, locum non habet. *pudat* (*e* spl.) *an pigeat magis* Par. z.

c. 96. *sup. prædictum est.* Bas. ex repetitione ultimæ syllabæ vocabuli prioris. *ab nullo petere* Par. b. *a nullo* Bas. Tur. *quibus rebus* Bas. Leid. Tur. vulgo *quis.* sed plenior forma hoc loco habet, quo commendetur; vim enim conclusionis auget et acuit.

c. 97. scripturæ cod. Bas. *boccum — nuncios — faciundi — proxumos — boccus — quivisset — concurrunt* spl. *vel in — advorsos — accerrume — quivisset* haud dubie reponendum. *quiverit, quivit, quierit, quivissent, queunt,* aliorum librorum scripturæ,

Digitized by Google

tantummodo comprobant, dubios hæsisse librarios, et *quivit* quidem ex scripturæ compendio ortum esse videtur. Alii coniunctivi satis ostendunt, intellexisse illos non solum temporis notionem hoc loco expressam esse, sed Sallustium suum ipsius interposuisse iudicium, ut magnitudo periculi magis etiam intelligeretur. *concurrunt* fuerunt qui minus idoneum esse rati, cum altera scriptura *incurrunt* mutarent. Sed *concurrunt*, quod optimi et plurimi tuentur, eo consilio auctor posuit, ut hostes undique Romanos aggressos esse indicaret. *Concurritur* quidem vocabulum proprium de prœlio commisso, cfr. Liv. x. 40. VIII. 8. XLIV. 38. VIII. 7. XXIX. 18 et Interp. ad Horatii S. 1. 1. 7. Sed etiam de altera parte dicitur Liv. XXIV, 15; II. 11. Auctor de b. Afric. c. 6. equites contra tantam multitudinem audacissime concurrunt. ita *ad curiam concurrere* sæpissime dicitur. de structura cfr. Liv. XXI. 53. concursabant modo in primum, modo in novissimum agmen. *equites peditesque* Bas. pro *que* est in nonnullis *et;* in aliis *ac;* inde coniecerunt interpretes, *que* esse expellendum; sed altera dicendi ratio, ut codicum optimorum auctoritate firmata, ita apud Livium usitatissima. cfr. Liv. XXI. 27. equites virique; ibique interpretes. Id. XXIX. 33. ceteri pedites equitesque cæsi aut capti cfr. supra Iug. 7. et 69. utroque loco *equites peditesque*. Cur asyndeton huic loco convenientissimum sit, equidem non intelligo. *veteres novique* omnes libri. Sed quod eadem supra c. 87. leguntur, *novique* turpe additamentum esse rati, aut uncinis includunt aut expellunt. quæ si omittuntur, ne *veteres* quidem locum habet (dicendum enim erat *veterani*) neque si Sallustius tantum *veteres* posuisset, additamento opus erat: *et ob ea scientes belli*, quod et ipsum aliquis pro glossemate habeat; sed quia utrosque coniunxit, eo quidem consilio, coniunctis ut plus virium ita plus consilii est, poterant illa addi, etsi si quid mutandum esset, multo facilius hoc additamento quam verbis *novique* carerem.

c. 98. *magna parte edita* Bas. m. 1. Par. b c x z. sed *editus* m. 2. correxit.

pauca munimenta gerebant Bas. m. 1 *gerebat* m. 2. corrupte. *gerebant* item Par. c x z. sed in x. m. 2. *gerebat*. z. m. 2. *quærebant*. sed *quærebat* Leid. A. E. unus cod. Aldi et Rivii, Eccard. *feroces, quia non fugere, aut pro victoribus agere* ita optime cod. Bas. Par. b c x z. quam lectionem editores varie corruperunt. et primum qui-

dem fuerunt, qui *fugerant* reciperent ex cod. Par. c. m. sec. alii *fugerent* potius duxerunt, quod ipsorum regum iudicia a Salustio expressa esse statuebant, quod mihi quidem ab hoc loco videtur esse alienissimum. tum *aut* quod sequitur deleverunt, parum illi de huius loci sensu solliciti, ubi Salustius regum stoliditatem vituperat, qui ferocius agebant, quod non fugere coacti sunt, immo, ut rectius dicam, hæc enim particulæ *aut* vis est, pro victoribus se gerebant. *feroces* igitur non minus quam *pro victoribus* cum *agebant* iungendum est. *ortamento* Bas.

c. 99. scripturæ cod. Bas. *impericia — ante iam — vectigales — erumpere iubet — tumultu formidine, terrore quasi vecordia acceperat. — iam* ante *hostibus* sine dubio ex repetitione ortum et delendum est. *vigiles*, quod pro *vectigales*, omnium codicum lectione, simul cum omnibus editoribus recepi, palmaria Cortii coniectura est, qua sola inveterato illi vitio succurri potuit. *vigiles enim vocales*, quod nuper tentatum est, unde perversam scripturam *vectigales* ortam esse aliquis voluit, vereor ne a Salustii ætate plane alienum sit. *erupere* Par. z. eodem consilio, quo cod. Bas. *iubet* ad *erumpere* addit; videbatur enim vis verbi paulo longius remoti non ad totam orationem trahi posse. quod si recte statuitur, post *canere* plenius interpungendum est. *tum. form. terr.* in nonnullis ordo verborum mutatus. *terrore formido* Vin. 2. Fabr. 2. Guelf. 7. Palat. 3. Tur. m. 2. *formidine terror* Vrat. 2. Guelf. 2. 3. Putschii liber. Sed cod. Bas. scriptura, quam Paris. b c x z confirmant, bene se habet. *quasi vecordia* iungenda ut supra Catil. 36 *uti tabes* et c. 18. *quasi navium carinæ sunt. acceperat* mendum scripturæ ex repetitione litteræ proxime antecedentis ortum. *plures* Bas. *que* omisso, quod hoc quidem loco ferri non potest.

c. 100. *in hiberna it propter.* sed Bas. Par. c. Leid. B. E. inter *hiberna* et *it* aliquid erasum et *inhibernavit* primitus scriptum fuisse videtur; itidemque ante *propter* littera expuncta, ubi *q.* scriptum esse potuit. *it* om. Par. b. in Par. x z *it* spl. *in hiberna proficiscitur quæ* complures Leidenses confirmare videntur; tuentur Martin. B. Pub. Laud. 1. Pal. 9. 10. 11. 12. Erl. Bas. 4. Misn. et Berol. 1. sed longe plurimi et *it* et *quæ* omittunt. Id quod fieri non potuisse videtur, si vocabulum aliquod longius vel usitatius ut v. gr. *proficiscitur* positum fuisset. Quare vix aliquis hoc ab ipso Salusito

Digitized by Google

ortum esse putaverit. Sed cogites quæso, *itq.* primitus scriptum fuisse. iam multo facilius intelliges, quomodo hoc excidere potuerit. nam ex compendiis scripturæ in *ib. ppt.* potuit obscurari *it*, et *q* cum sequente *p* coaluit. Quare si ellipsis, quam olim statui, admitti non potest, vix dubitaverim, quin Salustius *in hiberna it, quæ propter* scripserit. *in hiberna: propter*, quod Orellio placuit, durissimum et intolerandum. *laudare et increpare* Bas. Par. b c x z. optime; *et* sine ulla probabili causa ab editore nuper eiectum. *equites et auxiliarios* Bas. Par. c. *eq. exauliarios* Par. z. sed iam supra c. 46. *auxiliarios equites* vidimus, ita ut illud *et* delendum esse videatur. *pro diffidentia* Bas. Par. x *pro* pessimum glossema est. *futuri* Bas. et optimi et plurimi libri. *futurorum* spl. *futuri* Par. z. *futurum* recentiores interpretes. sed recti *futuri*, quæ scriptura insolentior quidem sed plane ex Græca expressa est τοῦ ἔσεσθαι τὰ παραγγελθέντα cfr. Gell N. A. I. 7. et Vechner. Hellenolex. p. 387 *rei p.* Bas. et plurimi libri; *omnia rei publicæ* deteriores; sed nulla alia vitii origo, quam quod notæ *r. p.* a librariis male explicatæ sunt, pro *res. p.* scripserunt. *rei p.*

c. 101. scripturæ cod. Bas. *ibidem opperitur — item iugurthæ — æque alios ab tergo — maxume — prœliarentur — nuncii — his quos adversum ierat — erupit.* pro *item*, quod etiam in Tur. est, cum melioribus *ita* scribendum. etiam *Iugurtham* libri meliores tuentur, etsi *frustrari* apud priscos passiva significatione satis usitatum fuit. Sed qui olim ex ipso Salustio locus laudabatur, ex oratione Licinii Macri, is nunc aliter legitur. *æque aliquos* ex Parisinis et omnibus melioribus restituendum est. de quo loco editor: „rectissime Handius Turs. I. p. 193. reiecit mirabili audacia conflictas aliorum opiniones et *æque* docuit esse in quocumque hostium incessu.“ Sed minus recte illud monuit, cohærere verba *ex omnibus æque*, cum apertum sit *æque* ad hunc omnem verborum complexum *aliquos ab tergo hostibus venturos*, spectare atque hoc dici: „ex omnibus sive hoc sive illo modo instructi essent hostes, certe aliquos ab tergo iis venturos.“ Sed totius loci ratio hæc est: Iugurtha, quicumque ordo hostium agminis erat futurus, tamen eam suarum copiarum distributionem esse statuebat, ut uno alterove modo hostibus a tergo venirent, parum enim discriminis facere hostium agminis ordinem. i. e. *æque*. Iam quantum Handii explicatio et a priorum in-

terpretum iudiciis differat, et quid novi attulerit, equidem intelligere non possum. *catervatim* Bas. sed in margine *turmatim*. paulo post *præliarentur* scripturæ mendo pro *præliantur*. *apud primos erat* spl. *agitabat* Par. z. contra *his* retinendum est. *advertitur* Paris z. pro *erumpit* e Basiliensi *erupit* reponi poterat: etsi enim primitus lineola supra scripta fuit, tamen nunc ea erasa *erupit* legendum est.

c. 102. *velle de se* spl. *de suo* Bas. *de suo* Tur. et Par. z. m. 1. sed in hoc *e* spl. Sed utrum *de se* an *de suo* (quod nuper editum est) scribendum sit, dubitari potest. Et primum quidem hoc unus quisque intelligit, in lectione *de suo* nullum librarium potuisse offendere, ut novam quandam lectionem inducere vellet. Contra multo facilius fieri potuit, ut aliquis *de se* in *de suo* mutaret. Accedit quod, quæ tum Bocchi condicio erat, vix Romanos invitare poterat, ut de suo commodo secum sermones conferrent; *de se* autem ut longe modestius, ita Bocchi rebus multo erat convenientius. *cum iis* Par. z. *ingenium aut aversum flecterent* Bas. 1. Tur. Par. z. contra *uti ing.* Bas. 4. Gruter. ex aliquot Pal. et plurimi Leid. *quo ing.* Vinar. 1. Bern. 1. contra *qui ing.* Leid. m. unde fit probabile, *uti* ante *flecterent* esse ponendum, ut in nonnullis Rivii libris est. *magna leticia nobis est.* Bas. *magna nobis læt.* plurimi Cortii libri. optimorum librorum auctoritatem sequor. *te optumum cum pessimo* Bas. *a principio inopi* idem et Paris. z. m. 2. *tutius esse rati* Bas. *tutiusque* Vat. Par. b. c. z. *quia parentes* Bas. Vat. Par. b. z. vulgo. *inopi* om. Guelf. 1. 3. 4. Fabr. 2. aliquot Manutii, Pal. 4. unde omnes fere editores *inopi* pro spurio habuerunt, atque aut eiecerunt aut uncinis incluserunt. Sed me quidem plurimum movet, quod optimi libri Bas. Par. z. Vat. hoc vocabulum retinent, tum ne sensus quidem pugnat. Vis orationis Sullanæ in eo posita est, ut Romanos semper idem consilium secutos esse comprobet. Non enim servos illos sed amicos sibi parare voluisse, quod cum illis temporibus iis placuerit, ubi eorum opes admodum exiguæ essent, multo magis tanto imperio dignum debere videri. non igitur *inopi* pro ablativo habendum, sed dativus est *populo Romano*, cuius opes ab initio infirmæ fuere. *perpessus esses* Bas. et omnes fere libri, etiam Vat. et Par. z. *perpessus es* cod. Mss. Victor. et nonnulli editores; sed quam illi necessitatem sibi invenisse videbantur, ut indicativus ponendus esset, ea contra

Digitized by Google

se habet. tota enim sententia ὑποθετικῶς expressa. *multo plura* tantummodo cum *bona* iungenda, at *mala* absolute dictum; non enim quantitatem *bonorum* et *malorum* inter se comparat, sed bona multa, mala nulla eum perpessurum fuisse statuit. Omnia igitur bene se habent. Qui autem omnia ad logicorum regulas revocant, ii sæpius in dumeta compelluntur, ex quibus se ipsi expedire non possunt. *cui scilicet placuit* Bas. *vel. complacuit* Par. b. Gorl.; omnes fere libri; *placuisse* Par. c x z. Gruter. ex Pal. 1. plures Leidd.; (*placuisset* Sen. 1. Guelf. 1.) sed mirum me habet, quod Par. x. qui fere Basiliensem exprimit, hoc loco ab eo dissentiat. insolentia structuræ, quæ infra c. 113 redit, haud dubie pro infinitivo facit; sed non minus probabile est, librarios ad exemplum loci superioris c. 4. et ad analogiam c. 113. immo fortasse propter sequens *experiri* infinitivum induxisse. nam sensum quod attinet, equidem indicativum adeo prætulerim; quæ quidem asseveratio et vigori ingenii et animi constantiæ, qua Sulla excelluit, multo magis convenire videtur. *dimitte* Bas. Par. c. z. *demitte* Vat. *simul pro delicto suo verba facit (pauca* omisso) Bas. sed hoc per negligentiam librarii, ut videtur.

c. 103. *in hibernaculis* plurimi et optimi libri; *in hibernis* nuper receptum est ex paucis libris Rivii Laud. 2. 3. Arond. Balliol. Rem. 2. Berg. quod Marius in oppidis maritimis agere constituisset; sed *hibernacula* castra, quæ prope oppida sita erant, appellata fuisse, satis constat. *Tum rursus boccus feliciter seu reputando* Bas. Tur. ant. Leid. Par. b c x z et libri longe plurimi: *feliciter erga Romanos* Guelf. 7. Vin. 2. Vrat. 2. Leid. G. *fel. ait erga R. seu* Guelf. 9. *felic. egit erga R.* Guelf. 10. Berg. Pal. 5. 6. Tur. rec. sed is spl. *flectitur*. Sed *Boccus seu reputando* nullo vocabulo interposito, Vin 1. Sen. 1. Inc. 1. Eccard. Guelf. 3. 6. et Gorl. unde Cortius statuit illud *feliciter* a librariis fuisse interpositum, qui Romanorum studio incensi et iis optima quæque exoptantes, hoc in margine adscripserint. Quod si verum est, habes novum argumentum omnes Salustii codices ex uno eodemque fonte fluxisse. *Ex omni copia necessariorum*: post hoc vocabulum magna lacuna est in cod. Bas. omnia enim omissa usque ad c. 112 *vellet daret operam* neque ulla significatione indicatum est, multa esse omissa. Ceterum in fine libri ex alio codice, sed eadem manu cap. 110, quod orationem Bocchi continet, ad-

scriptum est. Eadem est ratio codd. Paris. x et z. quorum in priore itidem cap. 110 m. 2. ex alio codice adiectum est. *venerant* Bas. Par. b c x z, alii; id quod etiam apud Livium pro *evenerant* haud raro ponitur, cfr. Liv. XXIV, 40; X, 22, 45; IX, 12; *evenerant* tuentur multi libri, in quibus etiam Tur. rec. *profugiunt* longe plurimi et optimi libri; *perfugiunt* pauci et deteriores. illud utique præstantius; homines enim insidiis latronum circumventi et oppressi non *perfugiunt* sed *profugiunt* i. e. magnis periculis erepti, locum, qui proximus est, fuga petunt. *perfugere* contra eorum est, qui aliquem auxilii petendi causa adeunt.

c. 104. *infecto negotio* plurimi libri, *confecto* pauci; quod editores fere receperunt, quod, si res minus prospere cessisset, hoc aliis verbis exprimendum fuisset. fuerunt etiam qui verborum ordinem mutarent et *confecto, quo intenderat, negotio* scriberent; sed neque hoc codd. auctoritate firmatum. habent tantum pauci Cortii libri Leid. C. I. M. Paris. a. c. d. Ven. 1. Vat. 1. Sed etiam hoc loco recte aliquis quærat, unde lectio *infecto* orta sit, nisi initio in libris fuisset, cum, ut recte illi statuunt, omnes potius *confecto* quam *infecto* exspectaverint. At causa erat reddenda, cur res ad irritum cecidisset, quippe quod Marii auctoritati officeret; sed turris oppugnatio male tentata non potuit multum de ducis auctoritate detrahere. Immo verba, quæ addita sunt *quo intenderat*, satis declarare videntur, negotium non fuisse confectum. *illosque et Sullam ab Tucca venire iubet, item L. Bellienum prætorem Utica* ita hunc locum scripsit Orellius, sed antea editum fuerat: *illosque et Sullam ab Utica venire iubet, item L. Bellienum prætorem. præterea.* variat enim admodum scriptura. alii enim habent: *Sullam ad Uticam* ut Sen. 2. Heuss. Vrat. 2. 3. *S. Uticam* Bern. 1. *ab Utica v.* longe plurimi libri; *ab Tucca venire* Rem. Sen. 1. Fabric. 1. Sed primum mihi admodum dubium esse videtur, num Sulla quæstor tam longe a Cirta abfuerit, quod caput belli gerendi fuit. supra enim legimus c. 103 *quem in castris reliquerat.* ea castra autem non in ipsis oppidis, sed prope oppida sita fuisse satis constat. Tum Bellienus quæstor haud dubie longius abfuit; hanc ipsam enim ob rem Sulla a Mario pro prætore in castris relictus est. Utica enim commoda navigationi haud dubie a Romanis obsessa tenebatur, quo facilius inde in Siciliam et Italiam navigarent. Quodsi igitur hac de re nemo dubitat, quin prætor

Digitized by Google

Uticæ fuerit, ne exercitus Romanus mari et commeatu intercluderetur, fieri non potest, ut etiam Sulla in eodem loco fuerit. quam ob rem Orellius, ut lacunam expleret, *ab Tucca* induxit, cui urbi iam hanc ob causam locus esse non potuit, quod in antecedentibus nulla umquam eius mentio facta fuerat, neque Sullam in urbe castra stativa habuisse probabile est. Quæ quidem si recte a me dicta sunt, verba *ab Utica* post *Sullam* pro mera glossa habenda sunt, quæ aut librariorum inventio est, aut errore ex inferiore linea in superiorem transcripta est. Hoc enim nullo modo fieri potest, ut Sullam Uticæ aut eodem quo prætorem loco fuisse statuamus, contra prætorem ibi sedem et domicilium habuisse, ubi et belli gerendi et commeatus expediendi causa fere necessarium esse videbatur. Unde satis recte fecisse videntur, qui verba *ab Utica* priore loco delerent, neque nova illa *ab Tucca* admitterent. contra post *Bell. prætorem* omitti non potest *ab Utica*. — *Cn. Octavio Rufo* ita Pigh. Annal. III. p. 139, pauci Gruteri libri. *Rufone* longe plurimi. unde Orellius coniecit *Rusone*, quod quidem multarum familiarum cognomen fuit. Sed de Octavia non satis certum est. *adportaverat* Leid A. Palat. 2. et fortasse in multis aliis libris. in aliis contra prior syllaba cum antecedenti vocabulo coaluerat. *Romæque* Tur. rec.

c. 105. *baleatorum* plurimi libri; *baleariorum* alii.; *Balearum* Sen. 1. Guelf. 3. 6. *Balearium* Fabr. 1. libri a Manutio laudati, sed iam antea Carrio idem coniectura assecutus erat. *præterea iere. iere* om. Guelf. 10. Cod. Ald. Par. in Tur. locum mutat. in Par. c. *præterea vero*. Ceterum *item* ante *fund.* et apud Havercampium et in multis libris omissum, etiam in Bas. 4. *item* retinent Par. a. Vin. 2. Tur. Bern. 3. Sed quod *iere* in aliis libris non legitur, in aliis ut in Tur. locum mutat, hoc tamen non satis causæ esse videtur, ut verbum eiiciendum sit. olim aliter statui, cum falsum illud de brevitate Salustiana iudicium me aliquotiens impulit, ut contra optimos libros scriptoris orationem mutarem. Ceterum in *item* etiam nuper offensum est, quod, cum mox cohors Peligna et sagittarii commemorentur, haud facile est ad intelligendum, quinam illi pedites fuerint, quos iam supra nominaverat, et iure quæritur, num omnes pedites velitaribus armis instructi fuerint. quod si statuendum est, Salustius non satis dilucide locutus esse videtur. Contra si hoc tantum ad cohortem Pelignam spectat, scriptor hoc ideo adiecisse putandus

est, quod Sulla ea cohorte tamquam expeditis militibus uti constituerat, cum se Liguribus aliisque auxiliis committere nollet. Ceterum de funditoribus Balearibus cfr. Liv. xxviii. 37. xxxviii. 29. Cæs. B. G. ii. 7.

c. 106. *præsidium* pro *præsidio* Bas. 4. Paris b. Gorl. *accurrit* longe plurimi libri. *occurrit* Bas. 4 et novem alii libri, *currit* Paris. b. *post paululum* Par. c. *ignesque* Paris. b c. et fortasse plurimi libri; *que* om. Fabr. 2. Guelf. 3. Franc. Bern. 1. 3. *quam* et Gruterus in nonnullis codd. et Wassius in compluribus invenit. habet etiam Bas. 4. ut videtur.

c. 107. *eadem æstumabat* Sen. 1. Pal. 2. 10. 6. *æstimabat* Rem. 2. Vin. 2. Sen. 2. Heuss. Vrat. 2. 3. *existumabat* Bern. 1. *existimabat* Bas. 4. *extimebat* Par. b. *estimabat* Tur. rec. *advorsus* Leidd. omnes ut videtur. *advorsum* Reg. λ. Pemb. Wassii, Bas. 4. et optimi libri. *optimum factu* Bas. 4. *optimum factum*, quod nuper receptum est, nondum satis usu loquendi firmatum esse videtur. *quia de improviso acciderant* Bas. 4. Leidd. A. F. H. I. K. *acciderat* Leid. M. N. Paris. c. *qui quoniam accersunt* Paris. b. *quæ quoniam de* Tur. rec. *adcesserint* Leid. L. *accesserant* Victor. Inde fuerunt qui hoc loco *acciderat* legendum esse statuerent; ita Faber. cfr. supra ad cap. 88. *Deinde* Bas. 4. *dein* Tur. rec. *dehinc* Par. b. *quo intenderant* (*ire* omisso) Tur.

c. 108. *sese agebat* Bas. 4. *leniter et subdole* Vrat. 3. multique alii libri. *speculatum Bocchi consilia ierat* iidem, Gorl. *erat* Paris. b. alii *venerat* vel *audierat* addunt, quæ omnia inventa librariorum sunt, quibus insolentiam structuræ *præmissus — orator* et *subdole speculatum* lenirent; unde etiam in nonnullis *speculator* legitur. *nam mater eius ex concubina nata erat* Tur. rec. Franc. Struv. Acad. Guelf. 1. 4. 11. Leid. a. d. e. g. h. m. n. Pal. 5. 6. Arond. *mater-orta e.* Vinar. Sen. 2. Heuss. inc. 2. Guelf. 7. Leid. k. Pal. 7. Bern. 1. 3. *rata er.* Bas. 4. sed *nam pater eius ex concubina natus erat* Pal. 2. 3. 8. *quia pater* etc. Pal. 4. *pater eius ex c. ortus* Pemb. in marg. m. 2. Thosan. et Bertiniens. quæ lectio sola habet auctoritatem. recte enim Palmerius: quid enim referebat, matrem non esse regia stirpe aut ex concubina ortam, si, quod amplius est, pater e gente Masinissæ legitimus esset.

ob facta egregia mauro carus erat et acceptus Bas. 4. *mauro ob ingenii multa bona carus acceptusque* omnes fere boni libri; *ob ingentia* Ven. *ingenia* Paris. b. *deligeret* Tur. rec. Bas. 4. et omnes credo libri;

Digitized by Google

pertimesceret illum accitum Pal. 7. *pert. quod eo advocatus esset* Pal. 8. Ven. *quem esse accitum* Martin. Sed hæc verba a libris longe plurimis absunt, et haud dubie delenda sunt, neque *quin* quod Gronovius suaserat, neque aliæ coniecturæ *quo remoto res* aut *quom res communis licentius gereretur* admittendæ. Omnia enim bene se habent, neque, quod nonnullis nuper placuit, lacuna statuenda est. Sensus enim hic est: dehortatur Bocchus Sullam, ne Iugurthæ legatum pertimesceret, omni enim timore sublato rem communem licentius geri posse; ceterum Iugurthæ legatum fuisse admittendum, quia aliter ab eius insidiis caveri non potuisset. *licenter* igitur in bonam partem interpretor ut apud Valerium Maximum v. 4. 3. Excedere omnes iussit cubiculo, quo licentius, remotis arbitris, indicium perageret. Quæ quidem interpretatio si cui ab hoc loco aliena esse videtur, una Orellii coniectura: *quom res communis licentius gereretur* huic loco succurri posse videtur. Et sensus erit: ne quid Sulla timeret a Iugurthæ legato, etiamsi res paulo licentius geri videretur, illum enim fuisse admittendum, quod aliter etc. *se cavere* Bas. 4. Pronomen etiamsi delendum est, tamen documento est infinitivum activi satis auctoritatis habere. neque *caveri* correcturi erant librarii.

c. 109. *igitur pauca Sylla* Bas. 4. *pauca se Syl.* Victorius. *respondit pauca se* Tur. rec. *respondit* om. Par. b. *quæ sibi respondeantur* Bas. 4. sed *responderentur* libri meliores, etiam Paris c. *quæsitum ab eo venisse* Par. c. *a consule quæsitum venisse* Par. b. *dicit se missum a consule quæsitum ab eo pacem an bellum agitaturus foret* Bas. 4. quæ structura non durior est quam supra: *præmissus orator et speculatum.* nihilo minus tamen verbum non eiecerim, quod ad structuræ elegantiam plurimum facit. *ac nihil etiam tunc* Bas. 4. *ac tum etiam nil* Tur. rec. *fidi interpretes: præterea* (verbo *adhibentur* omisso) Bas. 4. unde intelligitur libros deteriores non minus in spuriis adiiciendis quam in genuinis delendis peccare. *sanctus vir iurat ex sent.* Bas. 4. nil nisi eiusdem vocabuli repetitio et cum sequente vocabulo copulatio; nam ex *vir et* ortum est *iurat;* id quod confirmat Tur. rec. qui habet: *sancte iurat ex sent.* et Par. c. *sanctus vir et ex sententia ambobus*; accedunt multi alii libri Guelf. 6. 9. 11. Fabr. Sen. 1. Par. l.

c. 110. *nullius indigus* Bas. Bern. 4. Vat. Par. c x *indigui* Par. b. Tur rec Bas. 4. Barb. 2. vulgo. quod cum certatim recentiores editores recepissent, alterius lectionis receptionem ineptam iudi-

cavit homo omnium acutissimus. Sed vide sis, ne contrarium potius recte se habeat. Prisciani enim testimonium contra optimorum librorum auctoritatem nil valet; et si lectio quidem satis certa est (apud Krehlium Vol. II. p. 218. hæc verba tam negligenter expressa sunt, ut *indigni* legatur) nil aliud quam ostendit, hanc varietatem iam in veteribus libris fuisse. Ceterum orationem adiectivo fieri abruptiorem et iam eo, quod præter exspectationem cadit, magis Salustii ingenium exprimere nemo est, quin intelligat. *fuerit mihi pretium* Bas. 4. Tur. rec. *eguisse aliquando pretium* Rem. 1. *in pretium* Tur. ant *pretio* Franc. *pretii* Ac. Ecc. Guelf. 1. 4. 11. denique *pretium* omittunt Palat. 8. vetustissimi Rivii, tres Wassii. Unde recte colligitur *pretium* pro glossa esse habendum et ab aliena manu illatum. Sensum quod attinet, recte compararunt Prop. I. 20. 13. Nil mihi sit duros montes et frigida saxa Adire. cfr. Gronov. Obs. IV. 8. p. 116. *nihil carius habeo* Bas. 4. Paris. bx. Tur. rec. vulgata. *nihil carius est* Bas. 1. Bern. 4. Par. c. et haud dubie etiam Vat. qui in ceteris cum Bas. consentit. *quoad vivis* Bas. 1. quæ lectio adhuc ignota fuit, eaque satis bona, nisi quod de vi sententiæ aliquid imminuit. *nunquam redditam* (*tibi* omisso) Bas. 1. Guelf. 1. (tibi *gratiam*) Bern. 1. unde aliquis coniiciat, *tibi* non ab ipsius auctoris manu esse profectum; et est sane vis vocabuli *redditam* tam aperta, ut *tibi* addere non utique necesse sit. cfr. Senecæ Epp. 81. Non dicimus: „*gratiam reddidit;* reddunt enim et qui reposcentur et qui inviti et qui ubilibet et qui per alium.“ cfr. Iug. 14. *graves poenas reddat.* unde magis etiam manifestum fit, *sibi* omitti potuisse. *æstumo* codd. *existumo* reposuerunt nonnulli interpretes, ut suis ipsorum præceptis Salustii orationem accomodarent. *flagitiosum est. est* iterum iidem deleverunt, quibus rationibus ducti, nescio.

at finis Bas. Bern. 4. Par. c. et Vat. qui *adfinis* tuetur. sed istud *at* adhuc in omnibus fere editionibus omissum fuit, neque habet id Bas. 4. *gerite quod vultis* ita Bas. 1. Vat. Bern. 4. Par. c. *uti vultis* Bas. 4. vulgata et unus alterve ex recentioribus interpretibus. *neque intrare iugurtham sinam* Bas. 4. *neque id intrare Iug. sinam* Par. c. Bas. 1. Vat. — pron. omiserunt etiam Tur. rec. Guelf. 9. 12. duo Wassii, Bern. 1. Sed tametsi in Salustii libris sæpius aliena addita quam genuina omissa sunt, tamen hoc loco pronomen, quod ad acuendam sententiam plurimum facit. retinendum duco, quippe quod ante *in-*

Digitized by Google

trare facillime excidere potuit; sed ordinem verborum mutare et *Iugurtham id intrare* legere inconsultum puto.

c. 111. *quod copiam iugurthæ* Bas. 4. *ut illi deberent plurimum* idem. Sed et is et Tur. rec. in extrema belli Iugurthini parte multa temere mutant, verba transponunt, glossas adscribunt. in *negitare*, quod in Paris. c. sincerum est, plurimum turbatur: *negare, agitare, negare agitare, neglectare.* verbum enim Plautinum et Lucretianum est. *invisi erant* meliores Cortii. *essent* Tur. rec. *erant inv.* Par. c. *avidissimus erat* omnes fere Leidenses, sed non B. G. L. etiam post *visa* nonnulli Bas. 4. Leid. A. M. N. *sunt* apponunt. *lenitur et* ita pauci ex optimis; ut Par. b. *leniter* vel *leviter* ceteri.

c. 112. *dein* Bern. 1. 3. *dehinc* Par. b. *deinde* nuper editum; etiam *fidere* pro *confidere*, quod tantum de rebus non de personis dicatur, novum. cfr. Liv. II. 45. consules magis non confidere quam non credere suis militibus Liv. XXI. 4. Neque milites alio duce plus confidere aut audere. præterea *Bocchus* omittitur, iudicio an inconsiderantia, nescio; denique *atque populi* auctore Cortio corrigitur, quasi non sæpius alia a senatu decreta, alia a populo iussa sint. Etsi igitur supra legimus: „Senatus ita uti par fuerat, decernit, suo atque populi iniussu nullum potuisse fœdus fieri.“ tamen Iugurtha non tam ignarus rerum Romanarum erat, ut multa senatus decreta a populo mutata esse nesciret; et quæ tum in urbe factiones erant, hoc facilius etiam fieri potuit, et documento fuit ipsius belli Numidici imperium a Metello ad Marium translatum. cfr. quæ supra ad c. 82. de usu particulæ *aut* disputavimus.

c. 113. *remotis ceteris* codd. sed *ceteris* delerunt interpretes, quod quidem omitti potuit, minime enim necessarium est, sed eleganter subiecto opponitur ut Græcum ἄλλος cfr. Heind. Plat. Georg. p. 473. Walch. Emend. Liv. p. 59. Hildesh. Krit. Bibl. 1825. Nr. 2. p. 201. *voltu corporis pariter* etc. *voltu et oculis pariter atque animo variis* Serv. Aen. VII. 251. *voltu colore ac motu corporis* Leidd. C. D. F. G. H. plures Palat. omnia librariorum inventa ad insolentiam orationis *voltu corporis* leniendam. sed *corporis*, quod nemo desideraverit, Sallustius ideo apposuisse putandus est, ut *animo* haberet, cui opponeretur. *ita tacente. ita* inde ortum quod sequens syllaba bis scribebatur. *occultare et oris inmutatione* Bas. 1. Paris. z. corruptela inde orta, quod litterarum tractus confusi legi non poterant.

Primum igitur pro *occulta* legi cœptum est *occultare*, tum pro *pectoris* scriptum est *et oris*; quod ut explicaretur, *immutatione* vel *specie* addiderunt. id quod bene inde intelligitur, quod in Paris. z. *immutatione* supra lineam est. Sed *occulta pectoris* retinent Palat. 4. Leidd. B. D. E. *occulta peccatoris* Pal. 5. sed *cordis et oris immutationem patefecisse* Pal. 6. *quæ scilicet ipso tacente occulta pectoris oris mutatione patefecit.* Pal. 8. *oris* in his ex repetitione eiusdem syllabæ ortum, vel quod in aliis libris inventum erat, adscriptum. *patefecisse* optimi et plurimi libri. alii *dicitur* addunt. *occulta pectoris patefecissent* Ursini et Ciacconii libri; *patefecissent* vel *patefecit* alii; non intellexerunt enim interpretes, infinitivum a *scilicet* regi, cuius structuræ apud Lucretium et Plautum multa sunt exempla; etiam apud Salustium Or. Philippi contra Lepid. *At scilicet eos — gratiam ab eo peperisse.* sed dubia sunt c. 104. et c. 4. *et ex illius sententia* Bas. 1. 4. Tur. ant. et rec. quod fortasse erat præferendum, quippe rei insolentia atque atrocitas hoc pronomine magis etiam significatur. *accersi* Bas. 1. 4. Fabr. 1. Sen. 1. Vrat. 1. Fabr Rivii Rem. Tur. ant. *accersiri* Par. z. multi alii. *arcessi*, *arcessiri* alii. cfr. quæ de horum verborum discrimine supra exposuimus.

c. 114. *Q. Scipione et M. Manlio* Bas. 1. 4. *Scipione* etiam Par. z. et plurimi libri. in Tur. ant. et rec. prænomen om. sed *Scipione* aperte falsum. Cæpionem enim eo anno consulem fuisse satis constat et confirmant scriptorum testimonia, codd. Wassii et Tacitus Germ. c. 37. *M. Manlio* omnes libri tuentur, tribus libris exceptis, Guelf. 9. et duobus Parisinis; Par. z enim *men. Manlio* habet sed *men.* punctis notatum et *gaio* spl. et *C. Manlio* etiam Guelf. 12. Iam *Cneium Manlium* simul cum Q. Servilio Cæpione consulem fuisse testantur Fasti consulares et accedit auctoritas Livii Epit. LXVII. ubi Orellius nuper *Cn.* edidit, et Orosii v. 16. ubi corrupte quidem sed tamen *C. Manilius* scribitur. denique nummi cfr. Rasche Lex. Num. P. III. p. I. p. 1 et 174. et inscriptiones apud Gruter. p. 207. Orelli n. 3697. de nummo Goltziano cfr. Morell. Thesaur. I. p. 523. Ciceronis quidem auctoritas pro Plancio c. 5. pro Muræna c. 17. de Or. I. 28, ubi etiam *Cn. Manlii* mentio fit, eo infirmatur, quod Orellius novam lectionem *Cn. Mallii* induxit, quæ scribendi diversitas, ut ego quidem statuo, ex varia pronuntiatione orta, nunc tantum historiæ fidem elevat, sed ad ipsius gentis Manliæ historiam illustrandam nil facit. Neque quod Drakenborch. ad Liv. Epit. LXVII. Du-

Digitized by Google

ker ad Flor. III. 3. docuerunt, prænomina *Marcum* et *Cneium* sive potius *M.* et *Cn.* sæpius propter quandam tractuum similitudinem in libris MSS. confundi, satis explicant, quod non solum hoc loco in optimis et omnibus fere libris, sed etiam in Taciti Germania c. 37 et apud Eutropium V. 1. constanter *M. Manlius* scriptum sit. Et quod alii iactarunt, decreto gentis Manliæ cautum fuisse, ne quis deinde *M. Manlius* vocaretur Liv. VI. 20 id ad solos patricios pertinet, teste Cicerone Phil. I. 13. cfr. Plutarch. Quæst. Rom. 91. Dio Cassius fragm. Peiresc. 31. Fuerunt autem plebeii Manlii *Acidini* et *Mancini* cfr. Cic. Verrin. I. 10. Ascon. p. 46. 52. ed. Or. Iam vix ullum umquam tam audacem fore putaverim, qui casu factum statuat, ut in tribus scriptoribus idem nomen errore librariorum eodem modo scriptum sit. Quin immo nostro iure inde colligere videmur, iam apud veteres hoc nomen multum dubitationis habuisse et ab aliis prænomen *Marcum*, ab aliis *Cneium* scriptum fuisse; quod eo facilius fieri potuit, quod prænomen *Marcus* huic quidem familiæ maxime usitatum fuit. *contremuit* Bas. 1. Par. c x z. Fabr. 1. Guelf. 1. quæ haud dubie præstantior est lectio; plusquamperfectum ab iis inventum, qui hoc ante factum esse sibi persuaserant. sed recte videntur statuisse interpretes, eodem anno et Romanos magnam illam cladem a Cimbris et Teutonis accepisse, et Iugurtham captum a Boccho Sullæ traditum fuisse. Nulla igitur satis idonea causa est, cur plusquamperfectum ponatur. *Illique* omnes libri; *ibique* nuper ab editore ex coniectura positum. quod monstri instar est. Negavit enim acutissimus interpres, *illi* de hominibus illius ætatis dici potuisse. De qua re per tot sæcula nemo ne dubitavit quidem, hoc ille Latinum esse negavit. Sed *ex illo* ut de tempore præterito dici possit, nobis concedet; neque *illa ætas* Latinum esse negaverit. cfr. Virg. Aen. II. 169. Prop. II. 22. extr. et quid de usu pronominis iudicabit apud Livium XXI. 7. „et patres vestros, asperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen captivorum redimendorum gratia Tarentum misisse“ num ab eiusmodi locis temporis notio plane aliena est? Sed res tam aperta, ut plura addere non opus sit. *Iugurtham Romam vinctum adduci* ita codd. sed nuper mutato ordine *vinctum adduci Romam*, quod ut contra libros est, ita omnem orationis numerum pervertit. *Ex ea tempestate* Bas. 1. et longe plurimi libri; *Ea tempestate* Par. b. z. Franc. Fabr. 1. incert. Guelf. 10. 12.

deteriores Gruteri. salva Latinitate et historiæ fide utrumque dici potest. sed quæritur de Salustii iudicio. Iam primum nullam causam satis probabilem attuleris, cur præpositio *ex*, si non in libris erat, a librariis adderetur. Ad ablativum temporis enim explicandum nulla præpositione opus fuit. Præterea non ea solum tempestate, sed per quinque deinceps annos opes civitatis in illo sitæ. Plus igitur tribuit Mario Salustius præpositione *ex* addita quam omissa. Scilicet præpositionis ea vis est, ut Salustius tantum tempus designet, ex quo tanta Marii auctoritas esse cœpit, ut omnis salutis spes in eo posita putaretur; hoc autem omnium iudicium fuisse significet. Iam cogita quanta gloria Marii fuerit, quanta eius virtutis admiratio, et quam præclarum de eo fecerit iudicium Salustius. Quæ quidem omnia ita comparata sunt, ut facile credideris Salustium in tanti viri præconio modum esse transgressum. Accessit quod belli Iugurthini historiam inprimis eo consilio scribendam susceperat, quod eo tempore superbiæ nobilitatis obviam itum est. Iam opes nobilitatis fractæ et consul plebeius unus omnia potuit. Recte igitur *ex* ea etc. Quodsi igitur animo reputaveris, quantum in discrimen res publica adducta fuerit, quod periculum sola Marii virtute depulsum est, ne nimiæ quidem eius viri laudes videri debent, de quo præclare Florus III. 4. 3. *Actum erat, ni Marius illi sæculo contigisset.*

G. SALUSTII CRISPI
ORATIONES ET EPISTOLÆ EXCERPTÆ DE HISTORIIS.

In emendandis orationibus et epistolis ex Historiarum libris admodum utilem operam posuit C. Orellius, vir quondam mihi amicissimus, cuius obitum etiamnum Musas Latinas deflere putaverim. Qui quidem, cum ante hos XVIII. annos consilium minoris editionis Salustianæ agitarem, non modo consilio me adiuvit sed etiam ipse historiam criticam, quam ille appellavit, eclogarum ex Salustii Historiarum libris elaborare cœpit et ad primam quidem orationem farraginem lectionum variantium congessit. Idem iam antea easdem illas orationes et epistolas emendaverat et scholarum in usum ediderat.

Digitized by Google

Accessit tertia quædam cura, eædem illæ reliquiæ ad apographon codicis Vaticani primi diligenter expressæ; denique integra Catilinæ Iugurthæ et orationum epistolarumque ex Historiarum libris simul cum Pseudo – Salustii epistolis ad Cæsarem senem editio. Ex quibus quidem curis magnum me utilitatis fructum percepisse ingenue profiteor. Non modo enim mea collatio codicis Vaticani nonnullis locis aucta et emendata est, sed multa etiam, quæ adhuc dispersa et neglecta iacebant, ab illo collecta et e tenebris in lucem protracta sunt. Sed idem in editione, quam scholarum in usum paraverat, multa puerilia et aliena immiscuit, et quod eius erat studium omnia conquirendi, non solum veritatem novis argumentis firmare sed etiam omnium errorum fontes inquirere conatus est. Quare tantam illam farraginem ut repetere putidum est, ita ad ipsius scriptoris orationem perpurgandam nihil facere existimo. Postquam enim genuinæ lectionis fontes aperti sunt, nil attinet commemorare, quotiens editores via aberraverint.*) Omnibus igitur quæ a meo consilio abhorrent omissis, ex Orellii copiis pauca, quæ ad rem faciunt, excerpam et quantum fieri potest receptam lectionem argumentis et rationibus confirmabo, ut non solum intelligatur, cuius codicis auctoritate et quibus scriptorum testimoniis singula verba confirmentur, sed etiam in aperto sit, quibus rationibus ductus certam quandam sermonis formam expresserim.

Plurimum auctoritatis sine dubio est Vaticano primo; ad quem proxime accedit, quem Orellius Vaticanum tertium appellavit; in nonnullis locis Vaticano secundo fides habenda; de quorum libro-

*) cfr. 1) C. Crispi Sallusti Orationes et Epistolæ ex Historiarum libris deperditis ad fidem Codicum Vaticanorum recensuit atque in scholarum usum edidit Io. Casp. Orellius, Turici MDCCCXXXI. 8o. 2) Historia Critica Eclogarum ex Sallustii Historiarum libris. Scripsit Io. Casp. Orellius. Turici MDCCCXXXIII. 3) C. Crispi Sallusti Orationes et Epistolæ ex deperditis Historiarum libris expressæ ex Codice Vaticano MMM. DCCC. LXIV. Lipsiæ 1835. 8o. qui quidem libellus iunctim editus est cum *C. Vellei Paterculi quæ supersunt ex Historiæ Romanæ libris duobus.* 4) C. Sallusti Crispi Catilina et Iugurtha Orationes et Epistolæ ex Historiarum libris deperditis cum integra varietate Victoriana, Gerlachiana, Kritziana; recognovit Io. Casp. Orellius, additæ sunt M. Tullii Ciceronis Catilinaria et Epitomæ T. Livii librorum CLX. Turici MDCCC. XL. 8o.

rum discrepantia infra fusius agam. Alia quærere subsidia vix opus est, sed si quando fieri necesse est, suo loco adnotabitur.

ORATIO LEPIDI CONS. AD P. R.

gentis V. 2. *quo captis* V. 1. 3. *captivis* V. 2. Cum igitur lectio *captis* optimi libri auctoritate firmata sit, de sensu verborum quæritur, quem hunc esse iudico. Sullæ spes salutis in eo erat posita, si atrocitate sceleris vel metum illorum superasset, quo quidem si illi capti essent, malorum magnitudine futurum speravit, ut omnem libertatis curam omitterent. In Historiarum libris magis etiam e more Salustii est, plures sententias brevi verborum complexu includere. *in vitandis periculis* V. 1. olim *tutandis* edebatur, quo dicendi genere usus est Cæs. b. c. 1. 52. *nominis, optumis* V. 1. 2. 3. olim verba *non minus* interposita erant, quæ nihil aliud quam prioris vocabuli est deformatio. *scævus iste* V. 1. 3. Serv. ad Virg. Eclog. 3, 13. quod ante ex *sævus* corruptum esse putabatur, sed iam codicum auctoritate firmatum, optime locum tuetur. cfr. *cinæde Romule* Catull. Epigr. 25. *Romule Arpinas* declam. in Cic. Romulus enim Sulla appellari voluit, tamquam alter urbis conditor. *humani* V. 1. 3. *generis* quod excidisse videtur, ex coniectura repositum. *hominum* vulgo. *parvissimeque* V. 1. corruptum ex *pravissimeque*, quod vel sine libris emendandum est. *agitandi inops* V. 1. 3. Arrusian. Messus p. 236 Lind. *cogitandi* V. 2. sed *agitandi* hoc loco idem quod *agendi* significat cfr. C. 10 *imperium beneficiis a.* 23. *ferocius quam solitus erat agitabat* I. 63. *in potestatibus agitabat.* infra Or. Cottæ: *nunc malis fructibus ipsa vix agitat.* cum igitur *agitare* et *vitam agere* sive *vivere* et *res gerere* sive *administrare* significet (ut *agere bellum, rem publicam*) non ad inopiam victus sed ad ereptum ius tribunicium et ad plebis opes fractas hoc verbum retulerim. *bene parata* V. 1. *parta* V. 2. 3. quod non nemini concinnius videbatur; sed cum h. l. *bona* et *fortunæ* intelligantur et de iusta illorum possessione agatur, multo melius *parata* quam *parta* quadrat. *quæ tum formidine mercatus sum, pretio soluto, iure, dominis tamen restituo* (ita corrige in contextu) hac interpunctione optime huius loci sensus declarari

Digitized by Google

videtur. Iactat enim Lepidus suam innocentiam, quod nonnisi metu adductus bona proscriptorum coemerit, eaque iam dominis restituere paratus sit. Primum igitur ad se excusandum *formidine* posuit, tum pretium se solvisse addit, igitur *iure* illa possidere, nihilominus tamen se iis cedere volentem affirmat. poterat etiam altera interpunctio quodammodo defendi, pretio, *soluto iure*, ut paulo infra *iniuriam solvere*, sed si hoc dicere Salustio in animo fuisset, sine dubio *iure nullo* vel tale quid dixisset. Magis etiam ii improbandi, qui *iure dominis* iungunt, i. e. legitimis, quod si significasset Lepidus, suam ipsius laudem imminuisset. *quam raptum iri licet et quam audeas tam videri felicem* V. 1. 3 *audias* V. 2. locus corruptus. *quam raptum ire licet ei, quem haud pudeat tum videri felicem* cj. Orellius 1. *quem pudeat vos tam videri felicem* Or. 2. Causa corruptelæ inde repetenda esse videtur, quod ad *ante*, quod supra positum est, *quam* necessario pertinere statuerent librarii, cum *ante* iam verbis *alius alium principem exspectantes* satis sit explicatum. Primum igitur *quam*, si vera est lectio, ad *socordiam*, non ad *ante* referendum. quod si pro vero ponitur, *captum ire* cum Cortio emendandum. Infinitivus enim futuri passivi nullo modo ferri potest, neque *raptum* locum habet; in reliquis Orellii tertia coniectura non plane sensu caret: *licet ei, quem audias tum videri felicem;* quæ ut non nimis a lectione codicum recedit, ita satis aperte Sullam significat. Sensus igitur verborum hic erit: vestra socordia facile ab eo decipitur, qui hanc ipsam ob rem felix sibi esse videbatur. Sed contorta etiam tum ut verborum structura, ita sententia est. Cum enim orator inprimis plebis socordiam i. e. torporem et ignaviam incusasset, fusius explicat, quanto ista plebi sit exitio, quippe quam fallere omnibus liceat, qui in hac re gloriam putent. Sed vocabulum *felix*, quod usurpavit, ad Sullam spectare videtur, qui hoc cognomine gaudebat; inde igitur satis probabilis fit coniectura Orellii *ei* coniectantis, et altera *quem* necessario sequitur. Sed fieri potest ut auctor ipsa orationis forma turbulentum Lepidi ingenium exprimere voluerit. *itaque iura et iudicia* V. 1. pro quo *utique* recte correctum est. *intellegerent* V. 1. ex apographo Orellii; in meis schedulis *intellegerint* est, quod tempus unice huc quadrat. *Nisi forte specie concordiæ et pacis* etc. pertinent hæc ad superiora: *quare igitur tanto agmine et animis incedit?* scabrum et abruptum dicendi genus, sed

hanc ob rem ingenio Lepidi maxime consentaneum. *pax et composita* V. 1. 2. olim *concordia* editum est. *atque etiam prædio* V. 1. compendium scripturæ pro *præsidio*. — *ad rem publicam suimet sanguinis mercede circumveniundam* V. 1. 2. sed emendandum sine controversia *ad populum Romanum s. s. m. circumveniundum*. quam sæpe enim notæ *R. P.* et *P. R.* in libris manu scriptis inter se confundantur, neminem fugit. Iam hoc loco cum modo rem publicam commemorasset, ipsum populum Romanum nominare erat utique accommodatius. Etsi enim Cicero ad Att. IV. 16. „amisimus, mi Pomponi, omnem non modo succum et sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis;“ tamen hoc loco, ubi *sanguis* proprio sensu accipiendum est, rectius id ad populum quam ad rem publicam referas.

ORATIO PHILIPPI IN SENATU.

Ex apographo Orelliano pro *in senatu* legitur *INSIA* i. e. in sententia dicenda, quod compendium, si vere est in codice, pro invento grammaticorum habendum. *parva incepta* habet V. 1. *prava* per emendationem repositum. *adhuc tegitis* V. 1. 3. non *regitis*, ut olim edidi. cfr. *armis tegere* Cat. 6. arma quibus corpus tegitur 58. neque virtus neque arma satis tegunt I. 97. reliquos illius potentia tegeret c. 48. Cæs. b. c. 1. 85. quos in potestate sua habuit, conservavit et texit. Cic. pro Planc. 1. is meam salutem atque vitam sua benevolentia, præsidio, custodia texit. sed quæritur, quorsum verba *cura omissa* spectent. quæ quidem non cum *tegitis* posse coniungi per se patet. quale enim illud præsidium fuisse cogites, ubi cura sit omissa? sed quamnam urbem intelligis *cura omissa?* potest nihil aliud significare quam ubi omnis cura omissa est. et *cura omissa* i. e. in tanta civium incuria, videtur esse oppositum dictioni *cum cura*. quænam cura sit intelligenda, significat Livius VI. 15: „quid ita solus ego civium curam ago?“ *se contempto* v. 1. pro: *se e contempto.* — *vatum carminis* idem, *carminibus* per emendationem. ceterum verba *mussantes et retractantes* summam illorum animi ignaviam exprimunt, quippe qui indignationem vix querelis

Digitized by Google

significare auderent et ab omni cura rei publicæ refugerent. *ob benefacti* v. 1. *habeo peperisse* idem. *benefacta* et *ab eo* per emend.

ne patiamini v. 1. *neu* v. 3. *Agitur enim ac laceratur* sic v. 1. 3. et Vat. Bongarsii. sed *angitur* v. 2. quod solum huic loco convenit. *agi* et *lacerari* nimis aliena sunt, quam quæ inter se arctius iungi possint. vitium ex scripturæ compendio ortum. *itanta* v. 1. de Vat. 3. nil compertum habeo, sed 2 quidem *intenta* confirmare nullus dubito, et ita corrigendum est. dativo quem aliquis desideraverit, facile caremus. dictum est ut *intenta nex* Val. Flacc. Arg. v. 340. *tanta mala* Orellius. *concordiæ gratia tribuniciam potestatem* ita Vatt. 1 et Bongarsii. *plebei* ex Prisciano receptum, qui VI. 11, 256. „Invenitur etiam *plebes plebei*. Salustius in I. Historiarum: *Plebei tribuniciam potestatem.*“ Sed admodum dubium est, num hæc verba ex Lepidi oratione petita sint; poterat enim alio quoque loco in primo Historiarum libro idem iisdem fere verbis dici. Certe non satis causæ est, cur contra codd. *plebei* recipiatur, quod integro sensu omitti potest. *digna nomini* Vatt. 1. 2. V. Bongarsii; dativus paulo insolentior sed non reiiciendus. Plaut. Pœn. 1. 2. 44; diem dignum et celebrem, dignum Veneri pol; Ter. Andr. v. 8. 5. Hercle ita nobis decet; infra fragm. 51. quam victoribus decebat. cfr. Tac. Annal. XIII. 13. veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio. ubi itidem dativus intelligendus est. *novos exercitus* antiquior forma nominativi, quam et V. 1. et V. Bongarsii confirmat.

ORATIO GAI COTTÆ COS. AD P. R.

nunquam animus negotio defuit v. 1. V. Bong. pro *nunquam* adhuc *neque* editum fuerat, quod propter sequentia locum habere potest. *acta iam ætate* v. 1. 2. olim *senecta iam ætate* editum est. *suplicia* v. 1. *Nam vita et mors iure naturæ sunt* v. 2. *Neque mox ingenio corporis*, ita Codd. locus difficillimus ideoque multis hominum doctorum coniecturis tentatus. Orellius olim coniecerat: *in senio corporis*. ipse: *neque morbis ægro corpore*. alii: *ingenuo corpori* vel *ingenui corporis*. Nimirum interpretes et in *mox* et in *ingenio* offenderunt. et illud quidem haud dubie temporis notionem

habet et significat: „neque proximis temporibus vel neque tempus brevi invenietur, quo, quæ mei corporis natura est, honestius vitæ finem facere possim.“ Tum *ingenium* pro natura et indole rerum et locorum apud Livium et Tacitum sæpius dici satis constat. cfr. Liv. II. 30. imperium suo ingenio vehemens; Tac. An. 6, 41. ingenium locorum; ingenium montis Tac. An. II, 4; latitudo camporum suopte ingenio humentium Tac. Ann. V. 14. si natura insita velut ingenio terræ vinci posset Liv. 37, 54. Sed hæc omnia nondum confirmare videntur, etiam *ingenio corporis* dici posse; quod eo minus ferri posse putaverim, quod hoc tantummodo ad senectutem spectare possit, quæ nullo modo vocabulo *ingenio* designari posse videtur. *ingenium* enim naturalem habitum sive naturam, non unamquamque condicionem significare potest; quare ad sensum etiamnum coniecturam *morbis ægro corpore* prætulerim: quæ coniectura si cui audacior esse videtur, *ingenuo corpori* emendandum puto, et hoc anacoluthi genus ipsum corruptionis causam esse duxerim. *volente* v. 1. quod aperte corruptum est. *volentem* v. 2. *Per vos, Quirites* sic Vatt. omnes. *igitur* Aldi interpolatio est; *nequiquam* v. 1. ut fere ubique Basiliensis primus et Livii codex Einsiedelensis.

Nuper Toleti membranula quædam reperta est sive pars codicis palimpsesti, in qua homines docti reliquias librorum deperditorum Livii invenisse sibi visi sunt; quas ab oratione C. Cottæ, quæ apud Salustium legitur, haud alienas esse statuit Carolus Ludovicus Roth, ita ut illas ipsi Salustio vindicari posse speraret. Eæ in quatuor columnis sunt scriptæ atque ipsæ inter se spatio satis magno, de quo alii aliter statuunt, seiunctæ; omnes vel initio vel fine sunt laceræ, sed in duabus paucæ tantum litteræ desunt, ita ut coniecturis virorum doctorum satis probabiliter restitui posse videantur. Eæ infra sunt scriptæ:

I.	II.
verae	Q. Lentulus Marcell*inus*
specta	eodem actore quæst*or*
lli in	in novam provinci*am*
rat dein	Curenas missus est q*uod*
ita con	ea mortui regis Apio*nis*
quorum	testamento nobis d*ata*
dae et	prudentiore quam *illas*

Digitized by Google

tae ro per gentis et minus *glo*
e tum riae avidi imperio *compo*
t cupi nenda fuit. Præterea *di*
oritu versorum ordinum

III.

.is saevitia. Qua re fati
*gat*a plebes forte consu
les ambo Q. Metellum cui
*post*ea Cretico cognomen
fuit vel candidatum
*pr*aetorium sacra via de
*tec*tis cum magno tu
*m*ultum invadit fugien
*tis*q. secuta ad Octavi do
mum q. propriore erat in
*pro*pugnaculum perv*enit*

IV.

pauc
ulter
cupit e
va lin
in c*ontione hoc modo dis*
ıeru*it : Quirites multa*
mihi *pericula domi mili*
tiaeq*ue multa adversa fu*
.re *quorum alia tolera*
bi p*artim repp*u*li deorum*
*auxilio**)

Quæ in tribus prioribus columnis inclinatis litteris scripta, coniecturis hominum doctorum, inprimis Pertzii et Kreyssigii restituta sunt, sed quartæ columnæ restitutio debetur ingenio Rothii, qui cum hæc ex Sallustii Historiis excerpta esse sibi persuasisset, initium orationis C. Cottæ hoc in fragmento expressam esse putavit. Iam tractus litterarum quidem non omnes huic coniecturæ favebant, in sextæ enim lineæ initio *ieru* vel *teru* in *seru*, in nona linea *.ae* in *ere* erat mutandum, in decimi versus initio *bi* pro extrema syllaba perfecti *toleravi* habendum. Sed Pertzius his de litterulis iterum a Rothio rogatus eas iam plane exstinctas esse docuit, verum aliter legi posse negavit, se enim cum summa religione litteras, quo modo scriptæ fuerint, expressisse.

Quibus quidem litteris coniectura, per se satis probabilis et haud dubie ingeniosa, fit incerta. Hoc quidem argumentis luculentis comprobavit Rothius, fragmentum II. et III. optime ad annum 679

*) Lineæ fere viginti litterarum sunt, ita ut in prima columna ab initio quatuordecim litteræ desint, qua quidem re etiam Rothii coniecturæ multum probabilitatis accedit, quod quæ reponenda esse censuit, hunc ipsum numerum explent.

Varron. referri, et cum nomine *Octavi* alterius utique consulis memoria satis certa sit, cum multa quæ in oratione C. Cottæ leguntur, nonnisi magno tumultu coorto, quo ipsorum consulum vita in discrimen vocata est, explicari possint, paucis his reliquiis et illam orationem illustrari ipsamque his scriptoris verbis multum luminis afferre nemo non intelligit. Quibus si quis opponat ex quattuor lineis tantum duarum initia Rothii coniecturam confirmare neque ipso sermone aut Livianam aut Salustianam stili proprietatem satis esse manifestam, (scripturam enim *Curenas*, *gentis*, *Octavi* magis ad ætatem codicis quam ad scriptoris ingenium illustrandum facere) hoc quidem pro certo poni posse videtur, pertinere has reliquias ad ipsum illum annum, quo oratio C. Cottæ habita est, neque de argumento posse dubitari, satisque esse probabile ab ipso Salustio illas esse profectas, cuius quidem orationi non sint contrariæ. A Livio enim easdem illas res tam diligenter et tam accurate scriptas fuisse, nullum neque in epitome vestigium exstare neque aliorum scriptorum testimoniis confirmari. Salustius autem quam diligenter in huius ætatis historia perscribenda versatus sit, et multæ reliquiæ comprobant et hæc ipsa oratio confirmat. Sed omnia argumenta, quibus Rothius hanc sententiam illustravit, enarrare hoc loco non opus est, ipseque eam in Museo Rhenano fusius exposuit.

ORATIO MACRI TRIB. PLEB. AD PL.

Disserendum fuit docendique V. 1. 2. scilicet *fuistis* supplendum est. olim *docendumque* editum est. Sed ut de lectione librorum optimorum dubitari non potest, ita ex hac dicendi ratione intelligitur, quæ sibi permiserit Salustius. ex TR. PL. quod in V. 1. est, Orellius finxit *tribunos plebei*, quæ quidem forma huic loco minus convenit. *pro libertate potiore* V. 1. *potiora* V. 2. 3 ut videtur; illud vitium inde ortum, quod verborum iuxta positorum terminationes similes fingunt librarii. *vob. metipsis* V. 1. 2. Orellius: *vobismet ipsi*. sed iam supra vidimus, utrumque recte dici, et id tantummodo quæri, num hæc sit sententiæ ratio, ut maior vis in casu recto quam in obliquo posita sit. Hoc loco commode dici poterat: *ipsi vobis dominos destinatis* cfr. Seneca de Benef. III. 23: illos quoque ad suos redisse et

Digitized by Google

dominum sibi ipsos dedisse. Sed vis sententiæ non imminuitur, cum dicimus: *vobismet ipsis non aliis dominos creatis.* vix enim aliquis putaverit, fieri potuisse ut, quibus libera sint suffragia, dominum constituant, qui sibi ipsis, non alienigenis imperitet. *Ad vos plerique*; olim ex interpolatione additum est *ad vos* redibunt *plerique.* quo additamento facile caremus. *An dubium habetis, num* codd. V. 1. 2. *ne* Cort. *mittuere* V. 1. corrupte pro: *metuere — omittendum hunc morem* V. 1. 2. 3. *amittendum* Arrusianus p. 212. Lind. Orellius 4. Iam cum Arrusianus hunc locum in littera A. laudaverit et uterque cod. *amittendum* exhibeat, hoc quidem dubitari non potest, veterem illam esse lectionem et in ipsis his excerptis iam graviores scripturæ discrepantias inveniri. *quo tribunos plebei modo*, interpunxit Orellius 4. *qum* V. 1. *a* superscriptum, ut cum sequenti vocabulo iunctum esset *quamvis.* id quod primum Latinius correxit. *ignam quiusque tenuissimas per frustratur* V. 1. *et ignavi quisque tenuissima perfrustrantur* V. 2. Gronovius emendavit: *ignavi quoiusque tenuissimas spes frustratur.* sed Orellius 4. *et ignaviam quoiusque tenuissima spe frustratur*, quæ quidem coniectura ut audacior est, ita a probabilitate longius recedit. *ignam* enim multo propius ad *ignavi* quam ad *ignaviam* accedit. post *tenuissimas* altera *s* facillime omitti potuit, et *per* quod sequitur, ex mutata littera *r* cum *s* ortum esse videtur. Qua in re enim aliquis offenderit, quod *quisque* cum positivo coniunctum sit, id etiam apud Tacitum occurrit. cfr. Annal. XII. 43. „invalidum quemque obviorum corripere" et hoc quidem loco minus etiam difficultatis habet, quod superlativus *tenuissimas* sequitur. *quæ tamen quamvis ampla quoniam servitii pretium ostentaretur* V. 1. sed Orellius 4. *qua tamen* ex coniectura Faerni, ut ad *decipi* referretur, quod mihi quidem remotius esse videtur. multo melius ad *quamvis* intelligitur *sit*, quod eo facilius fieri potuit, quod mox *ostentaretur* sequitur. *Kavendus dolus est* Arrusianus sub littera K p. 243. Lind. multæ editiones *tamen* interponunt, contra libros. *et vestrarum rerum ultro iniuria gratiam debere.* ita omnes libri, ut videtur. quæ Gronovius coniectura sanare sibi visus est: *et vestra munerantibus pro iniuria gratiam debere.* qua quidem sensus loci magis obscuratur quam illustratur. Sed omnia bene se habent; tantummodo, qui animi fervor oratoris est, plura cumulat, quo magis etiam indignationem significet. Primum igitur omnia, quæ patricii plebi condonent, ex

ærario solvi ostendit *vestrarum rerum*. Pro his vero gratiam debere summa est iniuria, inprimis cum aliquis sponte non coactus (*ultro*) tantam ignominiam suscipit. *res claudit* cfr. Cic. Orat. §. 170. Brut. §. 214. Fronto p. 239. 243 ed. Rom.

EPISTULA CN. POMPEI AD SENATUM.

Lacetaniam V. 1. *Lacettaniam* V. 2. *Laletaniam* Carrio ex libris (?) Cortius; et ipse olim ita scripseram. *hiememque castris* V. 1. V. Bongarsii, Pomponius; *in* primum Britannici interpolatione in textum venisse videtur. *Durium* V. 1. hoc nomen ex historiæ fide *Turiam* scribendum esse iam dudum docuerunt Ciacconius, Ursinus, Bongarsius, quippe qui non procul Valentia fluat, et hodie *Guadalaviar* appelletur. et ipse Salustius p. 218, 18: inter læva mœnium et dextrum flumen *Turiam, quod Valentiam parvo intervallo præterfluit.* cfr. Priscian. V. 2. 169. et VI. 2. 224. sed Plinius III. 4. eundem fluvium appellat *Turium* et alii *Duriam*, alii aliud, ita ut ipsius Salustii error facillimus fuerit. Et apud Priscianum quidem nil mutari potest, quia ille hæc addit: „quod autem *Turia* et similia fluminum nomina masculina sunt, ostendit etiam Salustius in *am* terminans eius accusativum" et p. 224. „Unde Salustius in II. Hist. — *Turiam* dixit, qui accusativus masculini est, non neutri;" Claud. Sac. Art. Gramm. L. II. 1. p. 47 ed. End. „*A* enim terminata nomina generis neutri solius latinitas non habet, præter hoc *Thuria*, nomen fluminis, lectum in Salustio." cfr Prisc. VI. 1. 8. sed etiam ap. Plut. Sert. 19. *Τουτίαν* et *Δουσίαν* variat. *Duriam* Xyl. sed cum diversa eius nominis esset pronuntiatio, aut varia fama, quo loco prœlium commissum fuerit, facile fieri potuit, ut Salustius alio loco aliam scripturam exprimeret. accedit quod etiam Cicero pro Balbo c. 2. ubi haud dubie eandem rem significat, hæc habet: *acerrimis illis prœliis et maximis, Sucronensi et Duriensi, interfuisse.* quamquam et Ern. et Sch. 2. eo quoque loco *Turiensi* scripserunt, perperam si quid video. *civitatis ultro nobis sumptui onorique* V. 1. et Bongarsii; Pomponius ceterique editores et ipse olim *quæ* interposueram, quod iam deletum est. ex mendo scripturæ *onorique* pro *onerique* apud Pomponium est *honorique*.

Digitized by Google

societate morantur V. 1. *quæsitur* idem. *quæritur* Cort. *bonis tuis* V. 1. olim *tuis bonis* editum est. *misceris perem* V. 1. *rarum prosperæ* V. 1. *parum* emendavit Britannicus.

accepiet V. 1. *chartaginensibus* idem. *eum en cuius* V. 1. corrupte pro *Eumenem cuius*, quod per emendationem et primum quidem in Aleandrina Paris. 1513. est. *post habitum custodiæ* V. 1. 2. olim *Attalum custodem* foeda interpolatione. *capti vi* V. 1. sed *captiva pecunia* Liv. 1. 53. *cap. vestis* Virg. Aen. II. 765. *currus captivi* id. VII. 184. *c. ebur* Hor. Epp. II. 1. 193. et alias passim occurrit. Accedit quod *agri* absolute dictum non satis manifestum est, et quod vi ante *sumptibus* et *contumeliis* positum non quadrat. *filius Nysa*, ita codd. Orellio notante quinque mulieres hoc nomine innotuere. *Nysa* saltatrix coniux Nicomedis II. mater Nicomedis III. Memnon Hist. Exc. C. 30. pag. 44. cfr. Iustin. 38. 5. 10. „Nicomedi . . saltatricis filio.“ altera Nysa Nicomedis III. filia cfr. Sueton. Cæs. 49. tertia uxor Nicomedis III. quæ nostro loco intelligenda est. quarta filia Mithridatis cfr. Appian. Mithr. c. 111. quinta soror Mithridatis a Lucullo capta, Plut. Luc. c. 18. Multa turbavit De Brosses Hist. Rom. T. II. p. 537. *quom* ita h. l. V. 1. semel *qum*, alibi *cum*. *cæpi* V. I. V. Bong. *cepi* V. 2. *pulcherruma* ita h. l. V. I. *militibus procul ab domo* V. 1. 2. 3, sed Charisius, qui totum hunc locum inde a „*Scio equidem — bellum conficere*“ laudat, non solum legit *ad prædam petieris* pro *peteris*, sed etiam post *militibus* addit: *belli prudentibus;* præterea Asperi notam adiungit: „Ceterum, quo modo positum est pro alioquin consilium est, an pro relicuum, ut sit nomen, relicum consilium est.“ cfr. Char. p. 177 Putsch. et inprimis quidem est memorabilis glossa *belli prudentibus* (glossam enim esse facile est ad intelligendum) addita sine dubio ab iis, qui hæc verba satis difficilia hoc additamento explicari posse statuerunt. Nimirum Mithridates Arsaci persuadere studet, ut quam primum societatem iungat, idque eum non minus suis ipsius rationibus ductum facere debere demonstrat, quam ut sibi victis sit auxilio. Callidum enim Tigranem agitare consilium, ut si victor esset, maiori etiam Parthis foret formidini, et si victus esset, periculum eorum augeret. Illum enim inexhaustis sui regni viribus, Mithri-

datis copiis bellum esse gesturum, quæ cum procul a domo essent, belli peritiores essent (ita quidem Asper hæc verba explicuisse videtur; sed possunt illa etiam seiungi et ad Tigranem referri, ut superiora confirmaret, *regno integro*, quibus etiam consentiunt et *parvo labore* et *per nostra corpora*, quippe quæ omnia ad idem comprobandum faciunt) Tigranem aut victorem maiori hostibus terrori futurum aut victum maximam prædam Romanis relicturum, qua illi locupletati facile Parthis bellum inferre possint. Quare nescio an melius interpungatur *meis militibus, procul ab domo. — quo* ita haud dubie legendum est; in V. 1. lineola super *quo quom* nos legere iubet, cui non locus est. *partum* V. 1. perperam, *raptum* Ciacconius emendavit. *sine patria parentibus* V. 1. Vat. Bong. olim *sine* iterum posueram. *excindant* V. 1. olim *excidant*. populari et exscindere Tac. Ann. II. 25. gentem sceleratam ferro exscindere Aen. IX. 137. cfr. Liv. XXVIII. 44. XLIV. 27.

EPISTOLÆ AD CÆSAREM SENEM DE RE PUBLICA.

De his epistolis idem fere meum est iudicium quod olim feci. Neque quemquam fore putaverim, qui earum auctorem Salustium esse existimet. Nullus enim grammaticorum hæc Salustii scripta laudavit, neque in codice Vaticano, quem accuratius contuli, Salustii nomen inscriptum est. Ceteris orationibus et epistolis ex Salustii Historiis adiunctæ sunt, nihilque de auctore addit librarius. Sed totius orationis color a Salustiano dicendi genere non abhorret, quin immo auctor potius omnes flosculos orationis Salustianæ collegisse videtur, quo plus fidei atque auctoritatis libellus haberet. Neque negaris, multas his epistolis inesse sententias quæ Salustio haud indignæ sint, rerumque civilium haud imperitum auctorem iure dixeris. Sed primum recte quæritur, num duæ illæ epistolæ ab uno eodemque auctore scribi potuerint. Quamvis enim argumenta satis sint diversa, tamen vix animum induxeris ut ab eodem, qui primam epistolam scripsit, alteram quoque compositam esse putes. Neque ulla in iis est significatio, eundem auctorem bis de eadem re egisse. Quare credideris artis rhetoricæ studiosos, qui Salustianæ orationis ornamenta et sententiarum lumina æmulabantur et Salustium ipsum

Digitized by Google

factioni optimatium infestum et Cæsari amicum fuisse cognoverant, hoc sibi proposuisse, ut Salustianum dicendi genus his in epistolis exprimerent. Nam totius orationis similiumque sententiarum multitudo facit ut putem, iuvenes qui eodem artis oratoriæ doctore usi fuerint, certamen quoddam ingenii instituisse, unde cognosceretur, uter plus in his litteris profecerit. Et prioris quidem epistolæ auctor multo magis in eo occupatus fuisse videtur ut orationem sententiis exornaret, quam ut ullum consilium expromeret, quo rei publicæ exhaustæ succurri posset. Postquam igitur Cæsarem laudavit, qui omnia suæ ipsius virtuti debeat, id ei agendum censet, ut civibus quam optimis imperitet. Tum Pompeii imperandi cupidinem accusat, et quo modo factum sit, ut homines perditissimi Cæsarem secuti sint, cum magna animi libertate exponit. Itaque et clementiam illi suadet et victoriæ Sullanæ sævitiam exsecratur, iterumque corruptos mores eorum, qui ad Cæsarem transfugerint, graviter reprehendit. Hoc igitur de bello componendo; ad pacem firmandam plurimum facere, si sumptuum et rapinarum licentiam dempserit. quare feneratorem in posterum esse tollendum. Iam se quidem non ignorare, quantum difficultatis hæc res habeat, sed maxima illa Cæsaris virtute plurimum confidere, quæ quo maius periculum subeundum est, eo magis accendatur. Hoc igitur curæ ei esse debere, ut plebes habeat negotia sua, iuventus probitati et industriæ, non sumptibus atque divitiis studeat. Tum iterum in avaritiam et luxuriam invehitur iterumque hoc ei inculcat, ut honos pecuniæ desinat, ut securitati et Italiæ et provinciarum prospiciat, ut militia iusta et æqualis sit, ut frumentum veteranis per municipia et colonias distribuatur. Hoc igitur prioris epistolæ argumentum est. Alterius epistolæ auctor paulo altiores spiritus sumit et primum quidem de sua ipsius rerum civilium prudentia atque industria agit, Cæsarisque virtutem laudat, cuius maior in adversis quam in secundis animus sit; cuius quidem magnanimitatis admiratione factum esse, ut ipse eum inter belli labores de negotiis urbanis admonere constituerit. Primum igitur opes factionis nobilium esse exstinguendas plebisque libertatem restituendam. Illos enim, in quibus inprimis M. Catonem et L. Domitium notat, atrocius etiam quam Sullam in rem publicam sæviisse et Cæsaris odio impulsos nihil intentatum reliquisse. Tum de tantorum malorum remediis disputat. Et primum quidem popu-

lum inopia atque inertia tam corruptum esse statuit, ut nonnisi novis additis civibus libertatis retinendæ studium excitari possit. Novas igitur colonias esse deducendas veteresque civis cum novis permiscendos. Qua quidem re etiamsi nobilitatis indignationem moveat, tamen tanta præsidia et rei publicæ et suæ ipsius salutis causa esse paranda. Tum id ei potissimum esse agendum, ut boni mores colantur et concordia inter novos veteresque cives coalescat, quod fieri quidem non posse nisi pecuniæ studio sublato aut, quoad res ferat, imminuto. Tum multa rhetorice de divitiarum cupiditate et de auctoritate pecuniæ; quæ ut imminuatur, ex omnibus primæ classis civibus iudices creari iubet, et ut in magistratibus creandis ex confusis quinque classibus sorte centuriæ legantur. Mox iterum vehementer in avaritiam et factionem nobilium declamat et graviter in Bibulum, Domitium et Catonem invehitur, quasi etiam tum contra Cæsarem bellum parent. Sed ut res publica firma sit, necesse est ut vera consilia valeant. Multa igitur de auctoritate senatus, de vetere re publica et de nobilium superbia, quibus malis eo medendum esse censet, ut senatorum numero aucto per tabellam sententiæ ferantur. Denique iterum multa de suo libertatis et publicæ salutis studio, quantumque onus Cæsar susceperit, ut et omnium exspectationi et patriæ satisfaciat. quem ut magis etiam studio accendat, patriam loquentem inducit et ut eius consilia patriæ prospere eveniant exoptat. Hæc igitur duarum epistolarum consilia, quibus in constituenda re publica Cæsarem uti iubet Salustius! Difficillimum autem est ad intelligendum, quo tempore auctores has epistolas ad Cæsarem dedisse putandi sint. Dixerit aliquis ad extremam Cæsaris ætatem eas pertinere, ubi ille rei publicæ legibus firmandæ operam dederit. Sed insunt plura his epistolis quæ docent, ad certum tempus hæc scripta referri non posse. Nam Ep. II. c. 2. adversi consulis fit mentio, quo loco Lentulum esse intelligendum bene monuerunt interpretes Cæs. b. c. I. 1. 2. Brevi igitur post bellum civile hæc scripta esse putaveris. Sed paulo infra c. 4. mortuum Catonem et L. Domitium dicit. Igitur Pompeium etiam iam cæsum fuisse necesse est. Sed eius quoque tamquam vivi mentionem iniecerat c. 3. Quid? quod c. IX. iterum L. Domitium et M. Catonem commemorat, quasi etiam tum sint timendi. Ceterum temporum confusioni aliquis succurrat, capite quarto sublato; sed hoc

Digitized by Google

est causam satis lubricam parum firmis argumentis et levibus coniecturis defendere. Sed ut certo tempore scriptæ sint litteræ, earum argumentum et a Cæsaris persona et a rerum, qui tum fuit, statu est alienissimum.

Dicat aliquis id egisse epistolæ auctores, ut Cæsarem monerent, ut victoria sapienter uteretur neve aures præberet sanguinolentis hominum nequissimorum consiliis. Sed quos homines illi significent, equidem non intelligo. Cæsari enim cum multa vitio vertantur, nemo tamen dixerit, aliorum consiliis eum se regi passum esse. Idem tanta benignitate et clementia imperium temperavit, ut ipsorum inimicorum admirationem moverit. Sed ipsa consilia ita comparata sunt, ut auctores potius sui ipsius animi dolorem verbis expressisse quam utilia suasisse videantur. Præterea nonnulla in utraque epistola iisdem fere verbis expressa cfr. Ep. I. et II. c. 1. *quod prius defessi* etc. Alia contra diversissima: Sullæ crudelitas accusatur Ep. I. c. 5. altera Epistola c. 4. eius laudatur clementia. Ridicula est imitatio eorum, quæ Salustius Catilinæ et Iugurthæ præfatus est. Ep. II. c. 1. *sed mihi studium fuit adulescentulo* etc. et c. 10. *postquam mihi artes;* prætorea cfr. c. 7. cum c. 11. 12. Catilinæ. Singula verba et figuræ tot sunt ex Salustio petita, ut ieiunum declamatorem facile agnoveris. cfr. c. 9. *parantur hæc disciplina Græcorum etc.* Quæ Salustius Marium facit dicentem Iug. c. 85. ea stolidus declamator tamquam ab ipso Salustio dicta repetit, quem litterarum Græcarum tantopere fuisse studiosum constat, ut Thucydidis imitator recte dicatur. cfr. præterea c. 5 *in duas partes* et Iug. c. 41. Sed ut hæc mittamus, quæ unus quisque facile inveniat, cuiusmodi tandem est totius epistolæ argumentum? Consilia de re publica constituenda se Cæsari dare velle profitetur modestissimus auctor. Accusat factionem optimatium, tamquam non fracta fuerit. Tanto maledicendi ardore flagrat, ut quos paulo ante laudarit, eorum laudes ipse imminuat; et quos mortuos esse dixerat, in eos tamquam vivos maledicta coniiciat. Novos cives Cæsarem addere iubet; sed iam ante multi in civitatem adscripti fuerant. Pecuniæ studium tollendum esse censet; hoc est: naturam expellas furca, tamen usque recurret. Senatum augendum esse putat, sed vilissimorum hominum greges Cæsar senatores fecerat. Iam ad senatus auctoritatem augendam plurimum facere existimat, si per tabellas sententiæ ferantur. Sed fugit sapientem homi-

nem perversitati se etiam adminicula præbere. Non paucos enim imbecillioris animi homines nihil a vitiis retinet, nisi prava quædam ambitio, qua bonos se haberi quam esse malunt. Quorum prava consilia silentio si texeris, nihil non audebunt. Sed in eo maxime hominis stultitia notanda, quod Cæsarem eversam libertatem restituere iubet. Adeone et Cæsaris ingenii ignarum et rerum publicarum imperitum Salustium putaveris? Accedit tandem notissima illa e Cicerone petita dicendi figura, qua patria supplex et imis precibus Cæsaris auxilium implorans inducitur. Quæ quidem omnia mihi reputanti maxime fit probabile, has duas epistolas a declamatoribus fuisse compositas ætatis Frontonianæ, qui in imitando Salustio ingenii certamen inter se instituerant; qui cum eodem eloquentiæ doctore usi fuissent, eundemque scriptorem imitandum sibi proposuissent, easdem fere sententias eandemque orationis formam in scriptis suis exprimunt. Et ut imperiti facilius etiam in errorem inducerentur, plurimum studii in eo posuerunt, ut veterem illam orthographiam, cuius apud Salustium non pauca occurrunt vestigia, ubique fere imitarentur et horridiorem etiam facerent, ita ut orationis forma antiquissima litterarum Latinarum monumenta asperitate et scabritie pæne superaret. Id quod potissimum ex codice Vaticano primo intelligitur, qui Orationes et Epistolas ex Catilina, Iugurtha et Historiis excerptas simulque Epistolas ad Cæsarem senem de re publica continet, quem fere in hac editione exprimendum curavi. Id quod facilius etiam fieri potuit, quod et a me ipso iterumque a iuvene doctissimo Theodoro Heyse diligentius comparatus fuerat. Vaticanus secundus, cuius variantes scripturas et ipsas olim excerpsi, iam multum ab horrida illa antiquitate recedit, sæpius tamen meliores lectiones confirmat. Hos igitur libros secutus sum, neque tamen ea fuit religio, ut omnia sermonis vitia, iam ab aliis emendata, et errores exprimerem.

p. 149. *fortune* V. 1. *fortunam* V. 2. Pomp. *deformentur* non est in V. 1., a Pomponio ex V. 2. ut videtur suppletum. *maius* neque V. 1. neque Pomp. habet. suppletum est sed præter necessitatem; talia enim in vulgari sermone cumulari solent. cfr. Plaut. Bacch. IV. 4. 20. immo vero nimio minus multo parum; et Rud. II. 6. 37. næ ille hercle mihi sit multo tanto carior. Stich. II. 2. 15. nimio impertior multo tanto plus quam speras. cfr. Oudend. ad Apulei. Met. 7. p. 194,

Digitized by Google

26. *medicoris* V. 1. prima littera sequentis vocabuli bis posita. P. 150. *pauci* non habet V. 1. sed est apud Pomponium; potuit illud quidem omitti, sed non minus est probabile vocabulum, cuius prima littera eadem, per incuriam a librariis fuisse omissum. Sed tamen uncinis erat includendum. *reccidat* V. 1. *nequioris quam alii cives* V. 1. Pomponius, emendavit Carrio. P. 151. *interfecit* V. 1. 2. *intercepit* Popma. sed cfr. Non. p. 330. et 449. Merc. *attingerit* V. 1 quod fortasse poterat retineri. *qualis sit* V. 1. Pomp. *quale sit* Or. P. 152. *veteribus acc. conquirit* V. 1. *ne ista* V. 2. P. 153. *ne merito* V. 1. Pomp. *immerito* Britannicus. sed bene lectio Cod. se habet, ipsam enim illam necessitatem, ut cives merito patria expellantur, caveri iubet auctor. *eis* V. 1. Pomp. *et* per emendationem P. 154. *apsolvi* V. 1. *quæ medita pectore evolat* V. 1. q̄. *edita* Pomp. *cum edita* V. 2. *quæ dicta pectore evolvat* Riv. *meditata pectore evolvat* Carrio recte.

II. p. 155. *n. faciundo* V. 1. unde Orellius *in f.* quod ferri potest, sed *n* etiam nil nisi repetitum *u* esse potest. non habet illud Pomp. *ex alto reperiri* V. 1. *repeti* Ciacconius et Bongarsius. *Neque eo* V. m. pr. *ego* m. sec. multo recentiore. *cogitas* V. 2. et Orellio auctore etiam V. 1. sed in meis schedulis est *cæptas*, idemque ex Vaticano laudat Bongarsius; sed apud Pomponium *cogitas* est. P. 156. *adimunt, quæ luget.* V. 1. *quæ iubet* Pomp. *lubet* Ed. Bas. 1529. Crat. Ald. 1527. *at herculem Catonem* V. 1. Pomp. *hercule nunc cum Catone* Aldus, *hercule Catoni* Or. P. 157. *volunt, si liceat* V. 1. *nolunt* V. 3. Pomp. *humilimus quisque in armis* V. 1. 2. Pomp. *arvis* Douza; *agris* Popma. et *armis* quidem nullo modo ferri potest. inter *arvis* et *agris* optio relinquitur; illud tractus litterarum, hoc usus loquendi magis commendat. *qui dominus erat* V. 1. sed verbum sine dubio expellendum aut *et* recipiendum, admodum enim displicet h. l. asyndeton, et vim sententiæ imminuit. *et plebes bonis* V. 2. *plebs* V. 1. P. 158. *auctores fuerant* V. 1. *fierent* V. 3. ut videtur. *ac se existum.* V. 1. *de* omisso; *contra eam nisi* V. 1. pro mendo scripturæ habendum est; *res referet* V. 1. 2. P. 159. *id adeo haud mir.* Iuntina tertia. *id eo* V. 1. errore librarii; *fors tulit* V. 1. *coæquantur* V. 1. *coæquatur* V. 2. olim *coæquati* edideram; etiam *coæquata* coniici poterat. Sed fortasse abrupta oratio optime stilo auctoris convenit. Orellius *pecuniæ;* sed ille auctoris sententiam non recte intellexisse videtur. Legis enim Semproniæ ea vis erat, ut omnium ordi-

Digitized by Google

num, nobilium, ignobilium, divitum, pauperum suffragia eandem vim haberent, neque ullus dignitate aut pecunia tenuiores antecederet. *antire* V. 1. *quod* idem, sed *d* puncto notatum. *intendit* supra lineam *c* idem P. 160. *aut mediocriter* pro *haut* V. 1. *labor* V. 1. *Additamenta* cj. Orellius; *additamenti* V. 1. *super vacua nea* V. 1. P. 161. *patris* V. 1. *supervacuanea* V. 1. iterum; *quique virtute ceperant* V. 1. 2. *qui quæ* Pomp. *quia quæ* Iunt. 1527. *Ad hoc tempore* V. 1. *fert* V. Bongarsii, *fertur* V. 1. P. 162. *gratia omnium* V. 1. Pomp. *gratiam* Iunt. p. *mittenda* V. 1. *committenda* Lipsius. *discriptio* V. 1. *discribere* V. 1. Or. idque fortasse erat retinendum; in multis enim eius modi compositis scriptura fluctuasse videtur. *difficile factum fuit* V. 1. quod ut supra vidimus a nonnullis interpretibus defenditur, et optimorum librorum auctoritate confirmatum plus fidei habet. P. 163. *pro is amplissumis* V. 1. quod hoc quidem loco aperte falsum, ita ut liber optimus ad hæc duo pronomina distinguenda nihil valeat. *his* ut scribatur sensus postulat P. 164. *posteroque tempore* V. 1. *postero quoque* ci. Orellius. *demptis obtrectatoribus* V. 1. Pomp. *obtrectationibus* Cortius, Havercampius, nescio quibus auctoribus, quorum quidem scriptura per errorem a me expressa est; *obtrectatoribus* enim sine dubio restituendum est. *optestor* V. 1.

G. SALUSTII CRISPI UT INSCRIBITUR IN M. TULLIUM CICERONEM ORATIO ET CICERONIS RESPONSIO.

Declamationes in Salustium et Ciceronem, quas a grammaticis esse conscriptas hodie fere in confesso est, ab illorum hominum ingeniis haud plane esse alienas, iam hoc est documento, quod Quintilianus alteram certe genuinam habuit. cfr. Inst. Orator. IX. 3. 89. „Etiam in personæ fictione accidere quidam idem putaverunt, ut in verbis esset hæc figura — ut apud Salustium in Ciceronem: *O Romule Arpinas!*“ et IV. 1. 68. „Non Salustius directo ad Ciceronem usus est principio et quidem protinus? *Graviter et iniquo animo maledicta tua paterer M. Tulli.*“ Qua quidem re efficitur, iam Augusti ætate declamationes illas esse conscriptas. Vix enim quemquam

inveniri putaverim, qui statuat, quæ Gesneri fuit opinio, declamatorem hæc verba ex genuina Salustii oratione petita subditiciis verbis immiscuisse, ut majorem auctoritatem iis adstrueret. Neque eo illius testimonii auctoritas infirmatur, quo Cortius putavit, quod altero loco verba apud Salustium in tribus codd. Turic. Flor. Guelf. omissa sunt. Etsi nuper fuit, qui huius iudicii patrocinium susciperet, cfr. Zumpt. ad Quint. V. p. 184. „Mihi quidem verissime videtur Cortius ad Salustium iudicasse, utrumque locum, ubi Quintilianus declamationem illam tamquam Sallustii laudat, insiticium esse.“ Et idem fere statuerat Colomesius cfr. Burm. ad Quint. IV 1. 68 et Franciscus Floridus Sabinus cfr. Gruteri Lampas Crit I. I. p. 1006.

Facilius autem de Quintiliani iudicio quam de huius loci fide dubitari posse doctissimus editor Spaldingius monuit. cfr. Henr. Meyerus Vol. 1. p. 386. et Marklandus in Præf. Animadversionum, quam typis repetitam Fr. Aug. Wolfius Ciceronis Oratt. quatuor ab ipso editis Berol. 1801. p. LXXV. præposuit; qui Quintilianum eruditissimum ceteroquin rhetorem, aliorum vel testimoniis et auctoritate vel vulgari ætatis suæ hominum opinione vel sui ipsius iudicii errore deceptum fuisse statuit, ut Salustio assignaret, quæ imitatoris essent. Quod quidem eo facilius fieri potuit, quod ipsius Cæsaris, Ciceronis aliorumque orationes ferebantur suppositiciæ cfr. Sueton. Cæs. c. 55 et Wolf. ad Orat. pro Marcello p. XXVIII. sq. Neque hoc est dissimulandum, orationes illas et verbis et sententiis esse ornatas atque politas. Ne convicia quidem, quæ auctor Ciceroni petulantius ingessit, ab eius moribus aliena dixeris, quippe quæ ab irato homine in inimicum iactari posse videantur. Ne igitur in acerbitate orationis offendaris; haud modestius enim Cicero Antonium in secunda oratione Philippica, præterea Gabinium, Clodium, Pisonem oppugnavit, et atrocioribus etiam contumeliis a Fufio Caleno, Antonii amico, vexatus est. Neque stilum Salustio indignum dixeris; inest enim magnus facetiarum lepor et prava Ciceronis ambitio vanumque gloriolæ studium multa cum acrimonia irrisum est. Hæc ideo monui, ne quis Quintilianum nimiæ inconsiderantiæ insimulet, quod hanc orationem a Salustio conscriptam putaverit. Multa in hanc sententiam nuper disputavit M. Christian. Gotth. Herzog. Observatt. Part. VIII. Geræ MDCCCXXXVI. „Agitur primum de quibusdam artis Criticæ

præceptis tum de Pseudo-Salustii persona," p. 13—28. Sed illas orationes a declamatore potius quam a rerum Romanarum florentissimo auctore et a summo oratore esse compositas cum multi coniectura assecuti esse viderentur, e. gr. Lipsius Varr. Lectt. I. 8. et Oratt. VII. Vossius de vitiis sermonis Lib. III. 5. Petrus Victorius Varr. Lectt. XV. 3. totam rem diligenter pertractavit Sebastianus Corradus in libro, qui *Egnatius* sive *Quæstura* inscriptus est. Evulgatus est Basiliæ sumptibus Ioannis Oporini MDLVI. 8. quo quidem ex libro pauca, quæ firmiora videntur, laudasse satis erit. Primum igitur tales causæ in senatu non agebantur, nisi propter rem publicam inimicitiæ susceptæ essent. Dixerit igitur aliquis eas orationes eo tempore esse habitas, quo Clodius a Milone cæsus fuerit. quo quidem tempore inimicissimas contiones a Salustio de Milone habitas magnamque invidiam Ciceroni factam esse auctor est Asconius cfr. supra p. XV. Sed Cicero in responsione c. VII. 30. 31. Salustium villam ait possidere C. Cæsaris, quam illo demum interempto et Numidia expilata eum parare sibi potuisse manifestum est. Sed etiam Historias iam ab eo conscriptas fuisse significat c. III. „Neque te tui piget, homo levissime! cum ea culpas, quæ in Historiis mihi gloriæ ducis." Postea autem nullæ amplius inimicitiæ Ciceroni cum Salustio intercessisse videntur. fuerat enim in suspicione Salustius cum illo in gratiam rediisse cfr. Ascon. l. l. Neque aliter fieri potuit, postquam utrumque suæ causæ Iulius Cæsar adiunxit. Qua quidem ex re recte colligitur, ne ab æqualibus quidem illorum temporum, nedum a Cicerone et Salustio has declamationes scribi potuisse. Plura igitur addere vix opus est. Ceterum impudenter sive absurde vel hoc dictum est, quod Ciceronis consulatum coniurationis Catilinariæ causam fuisse insimulat. Tum parum probabile mendacium est, quod Cicero post consulatum cum Terentia uxore legis Plautiæ iudicia domi fecisse aliosque capitis damnasse, alios pecunia multasse dicitur. Neque hoc est negligendum, quod qui profitetur se responsurum esse in altera oratione initium altercationis fecisse dicitur. cfr. declam. in Cic. c. 1. in Sal. c. 1. Sed quamvis inconsideranter hæc dicta sint, ita ut suspicionem falsitatis moveant, omnis tamen dubitatio eo tantum tollitur, quod historica inter se discrepant. Quam ad discrepantiam tollendam necesse est, ut illas oratiunculas, quæ tam arcte inter se cohærent, ut verbum verbo

Digitized by Google

respondeat, diversis temporibus scriptas esse aliquis demonstret. Quod cum vix fieri posse videatur, has declamationes ferme triginta annis post mortem Salustii compositas esse existimem. Quæ enim inimicitiæ Ciceroni cum Salustio intercessisse putabantur, eæ declamatoribus harum orationum scribendarum materiem dedisse videntur. In Cicerone enim accusando et defendendo inprimis occupatos fuisse declamatores docent exempla, quæ Seneca Suasoriarum libro proposuit edit. Bip. p. 31 – 52. Speraveram fore, ut has orationes ex antiquissimis codd. emendatiores ederem, sed hæc spes me fefellit. Satis igitur habebo varietatem Orellianam notasse et si quæ ad receptam lectionem defendendam opus esse videntur.

c. 1. *sed quum* Or. *perfidiæ locum* aliquot codd. Lambini; misella glossa. *perfidiæ esse* dictum ut *oneri, miseriæ, prædæ esse;* neque *reperticius*, quod Orellio placuit, neque *repticius* quod alii commendarunt, satis auctoritatis habet, sed in vulgari lingua talia multa. mihi tamen *repticius* huc quidem melius quadrare videtur. pro *acitus* (Or. *adscitus*) *accitus* reponendum. *periuriis debilitata* Or. Ern. *delibuta* Lambin. Cort.

c. 2. *domum ipsam tuam* Or. *res sit* O. *habitares* Or. quod locum non habet. *viri clarissimi* Or. *consularis* Lambin. Cort. *se Cicero* O. *quod te custodem* Or. fortasse rectius. *rempublicam caram habet* O. cfr. ad fin. Orationis Lepidi. C. 3. *Aliud vero amicitia tantum ac virtus est amici* ita corrupte Grut. Ern. 1. *Illud vero amicitiæ tantum ac virtutis est animi.* Cort. *amicitiæ* proprie non locus est. quare potius aliquis coniecerit *constantia*, ut hoc ad *neque terrore neque gratia commoveri* referatur; sed neque sequentia *immo vero* satis quadrant; quod ut poni posset in antecedentibus, scribendum erat: *At præclara tua constantia ac virtus animi est; lingua vana* etc. hæc ita expressit auctor epistolæ ad Cæsarem: *lingua vana, manus cruentæ, pedes fugaces, quæ honeste nominari nequeunt, inhonestissima. oblivisci his servitutis suæ. his* ferri nequit, et ex repetitione ultimæ litteræ vocabuli antecedentis et primæ vocabuli sequentis ortum esse videtur. *onerabis tuo o.* Or. *Scipiones, Fabios.* idem. *cui nsidias.* sed verba *in civitate* neque ante neque post posita satis commodum sensum habent; quare libenter ea eiecerim, quod prava repetitione vocabuli *insidias* orta esse videntur. *Ciceronis Responsio. queis* Or. C. 2. *ante fuerint aut opinionis* Or. quod ne Latinum quidem est. *commendavit* coniecerit aliquis *commendarit.* — *iltum palam* O. sed non in *illum* vis

sententiæ est posita, sed *scribentem* — et *dicentem* opposita sunt. C. 3. *Sed quod ætatem* pronomine *meam* omisso Or. *se mulieres*, verbis transpositis. *tuos comp.* id. quod non minus recte dici potuit. C. 4 *mihi tantum fuit* Or. illud Cortius expressit. *Neque* [enim] a Lambino et Cortio eiectum est. C. 5. *ut ad te* Or. *accusare videar* idem. C. 6. *quod si tibi nil per me. — te unquam te* Or. *victores, qui exules* interpunctio erat tollenda. C. 7. *his palam refelle* O. Ceterum ad verba *Modo inquam patrimonio non comeso sed devorato* hæc adnotavit Carrio: „sumsit hæc quisquis tandem ille fuit, qui hanc declamationem tam liberaliter Ciceroni dedit, a Didymo, quem de Salustio scripsisse *comesta patrimonia* Diomedes auctor est.“ Unde. fuerunt qui colligerent Didymum ipsum huius declamationis esse auctorem. Quod ut non negaverim fieri potuisse cfr. supra p. xxvm. ita verba non eadem esse animadvertendum est. nam *comesta patrimonia* et *comeso patrimonio* satis sunt diversa, sed fortasse apud Diomedem locus emendatione sanandus est.

Iam de Iulii Exsuperantii opusculo, et Porcii Latronis sive, ut recte Carrio, de ineptissima illa sophistæ nescio cuius in Lucium Catilinam declamatione, quæ Latroni falso adscribitur, vix habeo quod dicam. Quodsi enim Iulius ille Rutilio auctore Itin. 1. 213. initio sæculi quinti æqualis fuit, eum hunc libellum non solum ex variis auctoribus, sed etiam ex scholiorum farragine consarcinasse putaverim; tam negligenter omnia exposita nullo ordine habito, ita ut brevis hæc epitome nil luminis rebus gestis afferat. Iam declamationem illam non a Porcio Latrone esse compositam, cuius nomen inscriptum est, de quo tam præclarum fecit iudicium Seneca Controv. 1. Præfat. neminem fugit. Recte enim Cortius: „At si verum fateri licet, non Porcii illius, docti et exercitatissimi viri, potius novitii cuiusdam hominis fœtus esse videtur, quippe quæ ex Sallustio partim, partim ex Cicerone nullo sæpe iudicio consarcinata sit. Docti hoc facile per se viderint; imperitis idem persuadere frustra laboraverim.“ Ceterum orationis emendandæ fere nulla ratio, cum ne codices quidem, unde hæc declamatio expressa est, satis noti esse videantur. Immo ne de editionibus quidem satis accurate expositum est. In Venetis dicitur esse expressa, credo 1509 et 1521. item in editione Iodoci Badii Ascensii Lugduni 1509. Præterea Havercampius variantes notavit ex edi-

Digitized by Google

tione R. Stephani Paris. 1544, edit. Basiliensi 1564, Gruteriana Francofurti 1607. Sed his omnibus subsidiis instructus parum efficias, quod de fonte omnis lectionis nihil compertum habemus et quod ipsa declamatoris oratio tam varia, mixta et tam dissoluta est, ut vix normam invenias, ad quam iudicium dirigatur. Quare hanc declamationem intactam relinquamus, quippe quam non recentiori quidem grammatico tribuamus, sed tamen eiusmodi homini, qui neque doctrina neque ingenio cum declamatoribus primi et secundi sæculi comparari possit.

G. SALUSTII CRISPI HISTORIARUM LIBRI V.

Quingentæ fere et quod excurrit minores Historiarum reliquiæ simul cum quatuor orationibus et duabus epistolis, quæ ex iisdem libris ætatem tulerunt, haud dubie largissimam in utramque partem disputandi materiem præbent. Nam et de auctoris consilio et de ipsius operis ambitu et de eius compositione alii aliter statuunt. Ex quo igitur Brossæus totius operis ex reliquiis restituendi consilium persecutus est, plurima eius iudicia in dubitationem vocata, multa loca novo modo composita et aliter explicata sunt. Sed quod iam supra significavi, ad Historiarum libros scribendos Salustius postremo accessit, evulgatis iam Catilina et Iugurtha, quos libros post Cæsaris mortem ediderat. Quin immo ne agitasse quidem illum eo tempore consilium historiæ scribendæ facile colligitur ex Iugurtha c. 95. *neque enim alio loco de Sullæ rebus dicturi sumus*. Quare vix ante annum XL a. Chr. tantum opus illum esse adgressum satis probabiliter coniicias. Cum enim tanta diligentia atque religione in hoc opere scribendo versatus sit, quanta ex reliquiis intelligi potest, non poterat ille statim post Catilinam et Iugurtham absolutum novam suscipere curam; sed multa hunc in finem erant colligenda, accuratius excutienda, examinanda atque in ordinem redigenda, ita ut aliquantum temporis interiectum fuisse facile credideris. Sed ad quod usque tempus librum deduxerit, ex ipsius libri initio, quod aliquis libro absoluto additum voluit: *res populi Romani M. Lepido Q. Catulo ac deinde militiæ et domi gestas composui* accuratius explicari non potest. Paulo diligentius hanc

rem circumscribere et definire videtur Ausonius in Protreptico Eid. IV. 60. sqq. cfr. supra p. XXIII. nisi tota eius oratio contorta esset atque perplexa. Primum enim *facinus Catilinæ* et *Lepidi tumultum* coniungit, tum *Ab Lepido et Catulo iam res et tempora Romæ* dicit, quasi non eorum pars Lepidi tumultus fuerit; mox addit *Orsus, bis senos seriem connecto per annos;* quod nisi id significat, per duodecim annos opus esse productum, plane sensu caret. Denique adiungit *Iam lego civili mistum Mavorte duellum, Movit quod socio Sertorius exul Hibero;* quod iterum ita expressum est, tamquam hæc non prioribus inclusa fuerint. Inde igitur recte aliquis colligat Sallustium rerum Romanarum historiam inde a Lepido et Catulo Coss. usque ad annum LXVI. a. Ch. n. scripsisse. Sed aliud est quærere quem annum rerum scriptor attigerit, et quem ad finem ille pervenire voluerit. Nemo enim negabit præclarum utique historiæ corpus confici potuisse, si res inde a Sullæ morte usque ad Catilinæ coniurationem enarratæ fuissent. Sed nuper exstitit, qui qua est confidentia, Sallustium ne animo quidem id agitasse contenderet, quod annis sequentibus Pompeio non tam per virtutes suas, quam mira ipsius felicitate contigerit, ut omnia in se traheret totamque rem publicam solus teneret. „Nam uti Sullæ ita pedisequo eius Pompeio Sallustium maxime fuisse infestum et ex tota eius vitæ ratione et satis superque ex Historiarum fragmentis elucet.“ Mirum hominis acumen! Rem enim præclare a Pompeio bello piratico gestam Sallustius illustraverat, quod quidem Pompeii inimico plurimum tædii atque molestiæ creare debuit, quod eo quidem tempore eius gloria vel invidiam superaverat; sed postea ubi sæpius locus erat, quæ ille arroganter et insolenter immo regie fecerat reprehendendi, ea tempora scribere noluit Sallustius. Quare finem sane habuerint Historiarum libri in nobilissimo illo Pompeii et Luculli conventu, quem in Phrygia factum inprimis Plutarchus V. Pomp. c. 31. Luc. c. 36. illustravit, sed quod Sallustii consilium fuerit plane ignoramus. Non plus enim tribuas alteri, quæ affertur, rationi, „consulto Sallustium tamquam optimatium dominationi inimicum illius potissimum temporis res videri describendas sibi proposuisse, quo forma reipublicæ qualem Sulla instituerit, paulatim concussa, debilitata ac sublata fuerit.“ Quodsi enim Sallustius Pompeium pro Sullæ simia habuit, nullo umquam tempore Sullana vel optimatium dominatio firmior fuit quam eo

Digitized by Google

ipso tempore, quo Pompeius in extremis terris bellum gerebat. cfr. Catil. 39. „postquam Gn. Pompeius ad bellum maritimum atque Mithridaticum missus est, plebis opes imminutæ, paucorum potentia crevit.“ Sed contra hanc potentiam tum quidem insurrexit Pompeius, ita ut nimiæ eius opes, quas in Asia sibi paraverat, plurimum ad senatus auctoritatem imminuendam facerent. Quare hanc materiem populari homine haud indignam dixeris, in qua accuratius versaretur. Sed plane ridiculum est, talia coniecturis assequi velle, quarum una alteram evertit; Niebuhrius quidem statuerat et multo plures historiarum libros fuisse et totum opus usque ad finem belli a Pompeio in Asia gesti fuisse deductum. cfr. Nieb. Vorles. ed. Isler T. II. p. 395. Hoc igitur solum pro certo affirmare licet, nil de consilio et ambitu totius operis nos compertum habere, sed videri Salustium tantum duodecim annos inde a Lepido et Catulo Coss. memoria et oratione esse complexum. Iam utrum mors eum occupaverit, an longius ille progredi noluerit, hœc in medio relinquendum est.

Quæ quidem omnia cum dubia sint atque incerta, minus etiam de artis historicæ, quam Salustius in hoc libro secutus esse videtur, ratione statui potest. Hoc quidem ex paucis orationibus recte colligitur, pressius etiam atque limatius et sententiis crebrius dicendi genus fuisse, quo in historiarum libris usus fuerit Salustius. Sententiæ tam veræ, tam novæ, tam sine pigmentis fucoque oratorio, ut recte iudicatum esse videatur, in incerto esse, sententiæne verbis an verba sententiis magis illustrentur. Sed ut totius operis dispositio atque rerum ordo intelligatur, primum lacera illa structurarum et sententiarum fragmenta in libros distribuenda sunt. Quæ quidem res multum difficultatis habet, quod in numeris librorum maxima est lectionis varietas, ita ut multi statuerint testimoniis grammaticorum hac in re nihil vel non multum esse tribuendum. Quorum præcepta si sequimur, id efficitur, ut nullo certo initio et fundamento totius quæstionis uti nobis liceat. Sed ut satis certum sit, quænam reliquiæ singulis libris sint adscribendæ, maior etiam difficultas inde oritur, quo ordine illæ componendæ sint. Quod quidem totum in meris versatur coniecturis, ita ut quo maior alicuius in hac re sit confidentia, eo maiore labatur errore. Id quod nuper intellectum est, cum homo male sedulus ex paucis reliquiis

totius operis proœmium consarcinare ausus est. Iam possunt quidem nonnulla satis probabiliter distribui; potest aliis certus locus assignari, ubi commode posita esse videantur, ita ut in universum singulorum librorum argumenta noscantur, sed ad singulorum librorum dispositionem illustrandam hæc parum faciunt. Accedit denique historica quæ dicitur interpretatio, quæ aut in rebus gestis illorum temporum, quæ Salustius quinque Historiarum libris complexus est, in universum illustrandis versatur, aut in reliquiis explicandis posita est. Quod quidem primum a Brossæo tentatum; cuius studium magis in eo consumptum est, ut historiam illius temporis enarraret, quam ut exponeret, quænam a Salustio et quo consilio tradita fuerint. Quare olim duodecim illorum annorum historiam per annos digessi et reliquiarum interpretationem a perpetua narratione seiunxi.*)

Quas quidem curas repetere non mihi animus fuit. Ita enim sunt elaborati illi commentarii, ut non ita multa mutanda esse videantur, eaque ad rem criticam nihil pertinuerunt. Sed eo plus studii operæque in ipsis illis reliquiis emendandis posui; iterum rerum fontes adii, scriptorum testimonia auctoritatesque diligenter examinavi, ita ut tota collectio et multo auctior et emendatior sit; sed in ipso ordine et compositione reliquiarum pauca mutavi; levibus enim coniecturis gloriam quærere non tam subtilis iudicii quam vanitatis esse iudico. Sed ex fragmentis incertorum librorum satis multa in suum quodque librum transtuli, si numerus scriptoris alicuius testimonio satis confirmatus esse videbatur. Sed fortasse etiamnum pauca restant, quibus bonorum librorum auxilio alius locus assignari potest. Etiam nova nonnulla fortasse accedent, etsi multum laboris in omnibus conquirendis consumpsi. Unum paucis ante diebus inveni, quod antea me fugerat. Exstat apud Probum a. m. §. 691. p. 373. ed. End. *Antonius paucis ante diebus.* Contra ex incertis unum expungi potuit 83. *Piget et Pudet a Salustio simul ponuntur,* hoc enim ad Sal. Iugurtham c. 95. *pudeat an pigeat magis disserere* referri potest. Ita etiam fr. 85. recidendum fuit. Etsi enim

*) cfr. Commentarii et Indices in G. Salustii Crispi Catilinam Iugurtham et Historiarum fragmenta auctore Fr. Dor. Gerlach Voll. II. Basiliæ in libraria Schweighauseriana typis et sumptibus Augusti Wielandi Typographi Academici MDCCCXXXI. 4to.

Digitized by Google

Pyrrhi mentio non uno loco facta est a Salustio cfr. Or. Lepidi et lib. III. 88. nullo tamen loco hoc nomen *Burrhus* scriptum est. Neque verba *duobus senati consultis.* ap. End. incerti fragm. Gram. de nomine et pronom. p. 127 pro novo fragmento habenda sunt, haud dubie enim eadem sunt, quæ in Catil. c. 36. *duobus senati decretis* cfr. Inc. A. Gramm. p. 85. ed. End. Neque *pro consule* ap. Prob. a. min. 526. p. 339. ed. End. nam non uno loco hoc etiamnum apud Salustium legitur. Ita etiam verba: *Marius ad Thalam profectus* ap. Prob. a. m. §. 702. p. 375. ed End. nihil aliud quam corruptela eorum sunt, quæ Iug. c. 75. leguntur „eo modo instructus ad Thalam proficiscitur." Sed verba: *alii alibi stantes ceciderunt, omnes tamen adversis volneribus* quæ etiam Char. p. 133. et Diomedes p. 323. laudavit cfr. supra p. 245. fr. 65. falso pro corruptela loci ex Catilina c. 61 habentur. Sed e Charisio emendandum est: *omnes tamen advorsis volneribus conciderunt.* Sed fortasse pro novo Salustii fragmento habeat aliquis verba: *alioquin hoc fieri non potest.* quod ap. Cl. Sac. p. 24. ed. End. pluribus locis Salustianis adiunctum est. Sed eodem loco corrupte legitur: *Ceterum mihi in dies magis auxiliorum,* quod haud dubie *Ceterum mihi in dies magis accenditur* cfr. Catil. 20. legendum est. Ceterum satis constat grammaticorum, quos Endlicher edidit, testimoniis plura Salustii loca contra temeraria recentium editorum coniecturas defendi: cfr. p. 23. *Ac me cum ab reliquorum* Sal. Cat. 3. et l. l. *tametsi haudquaquam par gloria sequitur.* Denique unum fortasse fragmentum addendum est cfr. Inc. fragm. de nom. et pronom. p. 134. „Licet Salustius *Samnitium* dixerit." Genitivus eum huius substantivi in his, quæ nunc exstant, non invenitur.

INDEX

EORUM, QUÆ HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

pag.

Præfatio IX
De G. Salustii Crispi Vita et Scriptis XIII
G. Salustii Crispi Catilina 3
» » » Iugurtha 47
» » » Orationes et Epistolæ excerptæ de Historiis . . 131
Epistolæ ad Cæsarem Senem de re publica 149
G. Salustii Crispi ut inscribitur in M. Tullium Ciceronem oratio . 165
M. Tullii Ciceronis ut inscribitur in G. Salustium Crispum responsio 168
Iulii Exsuperantii opusculum de Marii Lepidi ac Sertorii bellis civilibus 174
Porcii Latronis declamatio contra Lucium Sergium Catilinam . . 180
Fragmenta ex Libris Historiarum G. Salustii Crispi 205
Historicorum veterum Romanorum Reliquiæ, disposuit C. L. Roth.
I. Fabius Pictor 251
II. L. Cincius Alimentus 259
III. P. Cornelius Scipio 262
IV. C. Acilius et Claudius 263
V. A. Postumius Albinus 265
VI. M. Porcius Cato 266
VII. L. Cassius Hemina et alii Cassii 288
VIII. L. Calpurnius Piso Frugi aliique Pisones . . . 295
IX. Cn. Gellius aliique Gellii 304
X. Fabius Maximus Servilianus 308
XI. C. Sempronius Tuditanus 309
XII. C. Fannius M. F. 311
XIII. Vennonius 313

Digitized by Google

pag.

XIV. L. Cœlius Antipater 313
XV. Clodius Licinus aliique Clodii 322
XVI. Sempronius Asellio 323
XVII. Cn. Aufidius 326
XVIII. M. Aemilius Scaurus 327
XIX. P. Rutilius Rufus 328
XX. Q. Lutatius Catulus 331
XXI. L. Licinius Lucullus 333
XXII. L. Cornelius Sulla 334
XXIII. L. Voltacilius Pilatus 338
XXIV. Q. Claudius Quadrigarius 339
XXV. Valerius Antias 351
XXVI. C. Licinius Macer 363
XXVII. L. Cornelius Sisenna 367
XXVIII. Q. Hortensius Hortalus 377
XXIX. Procilius 378
XXX. M. Tullius Cicero et L. Lucceius 379
XXXI. T. Pomponius Atticus 382
XXXII. Libo 385
XXXIII. Domitius 386
XXXIV. Vulcatius 387
XXXV. M. Octavius 387
XXXVI. Cn. Egnatius 387
XXXVII. Iulius Cæsar 388
XXXVIII. M. Terentius Varro 389
XXXIX. Q. Aelius Tubero 437

Adnotatio Critica

in Catilinam 443
in Iugurtham 474
in Orationes et Epistolas excerptas de Historiis . . . 546
in Epistolas ad Cæsarem 558
in declamationes Ciceroni et Salustio adscriptas . . . 564
additamentum de G. Salustii Crispi Historiarum Libris V. . 569

Digitized by Goog



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google